


Flauius.
Florus.
Fulgentius.
Gaietanus Cardinalis.
Galatinus.

Gregorius Magnus.

De Angelis prohibentibus ſui adorationem hominibus poſt incarnationem 38. De regreſſu ad Paradiſum alia via 253.

Gregorius Nazianzenus.

De bouis & aſini circa Chriſtum natum allegoria 19. De natura humana in incarnatione non deſinente 79. De eſſentia Deo propria, eiusq; notione in homine 89. De hominis vnione cum Deo per incarnationem 139. De peccati cogitationibus etiam præcidendis 173.

Gregorius Niſſenus.

Haymo. *Heſiodus.*

Hieronymus.

De pacis abundantia, Chriſto naſcente 24. De ſpeluncę Chriſti nati elogiis 25. De reſpuentibus pias correctiones 175.

Hilarius.

De carne Chriſti, non ex ſola Maria, ſed etiam ex Spiritu ſancto 38. De Verbo æterno per piſcatorem diuinè deſcripto 70.

Homærus. *Hippolytus martyr.*
Hoſius Cardinalis. *Hyſdaſpes.*

Ignatius.

De Mariæ virginitate mirabiliter fœcunda 26.

Ioſephus hiſt. *Iſidorus.*

Irenæus.

De Adam ſecundo vt primo, ſine contagione producto 104. De ſalutis compendio per incarnationem 109. De imagine Dei in homine per incarnationem reformata 111. 113. De ſpirituali vel carnali operatione 113. De doctrina & magiſterio Chriſti 127. De filio Dei ſecundum captum noſtrũ ad nos veniẽte 138. De perfectione hominis ſecundũ corpus, animã & ſpiritũ 174.

Iuſtinus Martyr.

De Verbi æterni ab humano differentia 87.
De Circumciſione ſpirituali 169.

Lactantius.

De Sibyllis & Philoſophis ſacra proferentibus 10. &c. 69. De Chriſti generatione vel ſine matre, vel ſine patre 81. De præputio cordis circumcidendo 172.

Leo primus. *Macrobius.*
T. Liuius. *Maximus Epiſcopus.*
Nicephorus. *Origenes.*

De Zacharia patre Baptiſtæ inter templum & altare occiſo 15.

Oroſius. *Rabbini Iudæorũ.* *Theophilactus.*
Orphæus. *Remigius.* *P. Tholoſanus.*
Ouidius. *Rupertus.* *Thomas Aquin.*
Photinus. *Sibyllæ.* *Thomas Beuxamis.*
Pindarus. *Socrates hiſt.*
Plato. *Strab⁹ in gloſſa.* *Triſmægiſtus.*
Plinius. *Suetonius.* *Varro.*
ProſperAquit. *Talmudiſtæ.* *Virgilius.*
Pythagoras. *Tertullianus.* *Xenophon.*
Rabanus. *Theodoretus.*

Errata marginalia ſic reſtitue.

Pagina 3. linea 7. quod eo nomine Iano. Pag: 12. lin: 19. Cõſtantinus. Pag: 16. lin: 7. Sapi: 7. ℣ 1. Pag: 21. Sap: 15. ℣ 14. Pag: 29. lin: 27. adde Luc: 2. ℣ 2. Pag: 30. lin: vltima pro Rom: 13. pone 1. Teſſal: 5. ℣ 5. Pag: 31. lin: 14. lege 1. Ioan: 3. ℣ 8. Pag: 33. lin: 16. Exodi 12. Pag: 45. lin: 28. Pſalm: 101. Ibidem Ioan: 8. Pag: 52. lin: vltima 1. Ioan: 5. ℣ 20. Pag: 53. lin: 3. adde 1. Ioan: 5. ℣ 12. Pag: 54. lin: 16. adde Iob 21. ℣ 14. Pag: 57. lin: 30. adde Lucæ 19. ℣ 14. Ibidem lin: 32. adde Math: 27. ℣ 25. Pag: 60. lin: 7. lege Pſalm 50. ℣ 7. Pag: 61. linea vltima adde Gen: 1. ℣ 26. Pag: 152. lin: 23. pro linea lege lima. Pag: 154. lin: vltima lege Gen: 17. Pag: 156. lin: 25. lege Exod: 4. ℣ 25. Idem pag: 168. Sic etiã lege Pag: 157. lin: 13. Pag: 159. lin: 32. lege Bern: Serm: 2. Pag: 192. lege 2. Pet: 2. ℣ 12. Pag: 198. lin: 14. adde Iſa: 48. ℣ 1. Pag: 121. omiſſus numerus ſequentis paginæ. Pag: 104. lin: 24. adde Luc: 11. ℣ 52. Pag: 234. lin: 23. Siquidẽ Ioſue legitur &c. vt in margine. Pag: 244. lin: 31. adde Math: 2. ℣ 2. Ibid: lin: 36. adde Pſal: 2. ℣ 6. Pag: 245. lin: 29. adde Math: 2. ℣ 2. Pag: 246. lin: 4. adde Math: 2. ℣ 3. Pag: 262. lin: vlti: adde Pſal: 280. ℣ 21. Pag: 285. lin: 32. adde Gen: 21. ℣ 10. Pag: 286. lin: 8. lege 3. Reg: 21. Pag: 263. lin: 35. adde Math: 2. ℣ 2. Pag: 236. lin: 36. adde Gen: 1. ℣ 14. Pag: 293. lin: 5. 2. Cor: 12. Pag: 281. lin: 10. Pſal: 54.

CRACOVIÆ, *in Officina Andreæ Petricouij,* 1602.

CHRISTOLOGIÆ,

SEV

Sermonum de Chriſto,

PARS SECVNDA:

Geſta Chriſti, quorum memoria fit die Cœnæ Domini, complectens Sermonibus xvIII. quorum titulos ſequens pagina exhibebit:

AVTHORE,

R.do HIERONYMO POVODOVIO,
Archipresbytero Cracouienſi:

Cum indicibus ſufficientiſſimis & vtiliſſimis, vnicuiq; æditioni accommodatus.

IOAN: 17. ver: 3.

Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti, Ieſum Chriſtum.

Permiſſu Superiorum.

CRACOVIÆ,
In Officina Lazari, Baſilius Skalski,
Anno Domini, 1604.

TABVLA SERMONVM IVXTA ORDINEM CONSEQVENTEM.



CLEMENTI OCTAVO

Summo summæ Ecclesiæ Apostolicæ ROMANO PONTIFICI, Orbis Christiani Pastori vigilantissimo, & Patri clementissimo:

Cùm exosculationis pedum Apostolicorum reuerentia, beatitudinem, ex temporali sempiternam.

ORdinata esse omnia, quæ à Deo sunt, Beatissime Rom: 13. vers. 1.
Pater, asserit Apostolus ille, cui in tertio cœlo au- 2. Cor: 12. v. 4
dienti verba arcana, quæ non licet homini loqui,
non potuit non esse perspectus ordo, non minùs terre-
stris, quàm cælestis Hierarchiæ; quē eius sine dubio ma-
gisterio, S. Dionysius Areopagita postmodùm literis cō-
mendauit. Quodsi idem Apostolus eam ordinationem
requirit, & ad Dei ipsius potestatem refert, in administra-
tione Politica, & quidem Principum infidelium: quan-
tò magis eam requirere censendus est, in gubernatione
visibilis Ecclesiæ: quæ non solùm domus Dei est, & co- 1. Timot: 3. v. 15.
lumna ac firmamētum veritatis, sed etiam terribilis tan- Cant: 6. vers. 9.
quam castrorum acies ordinata? Ad eum ordinem, cùm
& ego istas lucubratiunculas meas, veluti duo illa æra mi- Lucæ 21. vers. 2
nuta, in gazophilatium Ecclesię reponenda, reuocare vel-
lem: ne nisi hoc facerem, fortè magis quàm idem Apo-
stolus, in vanum currerem, aut cucurrissem: Occurrit Re- Galat: 2. vers. 1.
gius Propheta, diuina humanis, cælestia terrenis, ima Psalm: 44. ver. 3.
summis, hoc est hierarchiam summam illam cælestem
terrestri connectens. Primò enim ponit Deum Patrem
tanquam Diuinarum personarum principium; cui simul
& absq; vlla intercapedine & inæqualitate, cōiungit Ver-

 bum

bum illud bonum & æternum, quod idem ipſe Deus Pa-
ter ex cordis ſui ſubſtantia, ſuperabundanti quaſi bonita-
tis communicatione, eructaſſet. Subiicit deinde, idipſum
Pſalm: 44. ver 3 Verbum, vnctione propria diuina in aſſumpta humanita-
te ſupra omnes homines excellẽtiſsima, apparuiſſe mun-
do, tanquam Regem, cui omnia creata, dicanda & ſubiici-
enda eſſent, eò quòd Diuina ſua attributa præſeferret;
bonitatem quidem in gratia, & manſuetudine: ſapientiam
in veritatis reuelatione: potentiam, in gladii ad exactam
Pſalm. 44. verſ. 8. iuſtitiam præparatione. Exinde ſubinfert Pſalmiſta, quo-
Pſalm: 18. verſ. 6. modo hoc ipſum Verbum æternum exhibuit ſeſe mun-
do præ filiis hominum ſpecioſum, & de thalamo ſuo cæ-
leſti procedentem: vt ſponſus cùm ipſe ſit, habeat quoq;
Ioan. 3. verſ. 29. ſponſam Eccleſiam, quam ex latere ſuo ædificatam, aqua
Ephes: 5. verſ. 26. viuifica, ab omni ruga & macula emũdaret, ſanguine pro-
prio expiaret, & verbo vitæ in perpetuum viuificaret: vt
propterea tanquam ſponſa Regis, Regina; tanquam tho-
ri cæleſtis conſors, ad dextram collocata: tanquã tot cha-
riſmatibus abundans & prole ſpirituali fœcunda, varieta-
Pſalm. 44. verſ. 17 te & varietatibus circumdata, celebretur. Porrò ſicut
Auguſtinus ſuper hunc locum. idem ipſe Dei filius, ab initio ante ſuſceptam carnem, de-
Rom. 9. verſ. 4. legerat ſibi Patriarchas, Reges, & Prophetas, tanquã Pa-
Ioan. 7. verſ. 22. tres, per quos pactum fidei, per circumciſionem, & legiſ-
lationem ſtabiliret, & ex quibus poſtmodum carnem aſ-
ſumeret: Sic deinceps per Incarnationem ipſe Pater fu-
turi ſæculi effectus, adſciuit ſibi filios, nimirum Apoſto-
los & Euangeliſtas, per quos, ex veteri vmbra, in nouam
veritatem, verum fidei lumen, Baptiſmum & legiſlationẽ
Euangelicam, per mundum promulgaret vniuerſum. Ex
quibus rurſus, quemadmodum olim in lege, nunquã de-
Deut 12. verſ. 8. & Cap. 18. v. 15. Matth: 23. ver. 2. ficiebant in Cathedra Moyſi tanquam legiſlatoris, qui

certa & indubitata ſucceſsione principarentur: Ita in no-
ua lege multò perfectiùs, non defuerũt, nec deficere poſ- Matth: 16. v. 18.
ſunt primarii Principes & Duces, qui ex Cathedra Chri- Ioan: 21. ver. 17
ſti, viſibilem eius Eccleſiam, cuius ipſe verũ inuiſibile ca-
put eſt, adminiſtrent. Iſti autem ſunt duo præcipui Apo-
ſtolorum Principes, Petrus quidẽ ab homine & per ho-
minem, nimirum Chriſtum adhuc in terris exiſtentem, v-
niuerſo ouili ſuo, cui ipſe proprius Paſtor tunc viſibiliter
præerat, præfectus: Paulus autẽ, non ab homine, neq; per Galat. 1. v. 1. & 12
hominem, ſed per eundem Ieſum Chriſtum, in cælis iam
victorem & glorioſum, ad reducendas alieni ouilis oues, Ioan: 10. verſ. 16
quæ ex gẽtilitate perierant, additus & conſtitutus: vt ni-
mirum eius extraordinaria vocatione, complementum
tertiæ decimæ tribus Leui, quæ Sacerdotalis erat, ad inſi-
nuandum perfectum nouæ legis Sacerdotium adũbrare-
tur. Iſti inquã ſunt, Beatiſsime Pater, viri illi, quos Zacha- Zacha: 4. verſ. 13 Apoc: 11. verſ. 4
rias Propheta tanquam legi Euangelicæ vicinior præui-
dit, qui Domino vniuerſæ terræ aſsiſtunt, veluti duo can-
delabra, quæ per fidem mundũ illuminant, & veluti duæ
oliuæ, quæ Eccleſiam diuinis chariſmatibus perpetuò im-
buunt. Quod etiam longiùs præuidit Regius ille vates, Pſalm: 44. verſ. 18
quando Principatum illorum deſcripſit, non in regimine
„ ſæculari, ſed in ſpirituali: vt nimirũ memores eſſent no-
„ minis Domini, in generationem & generationem: atq;
„ exinde populi confiteãtur Domino, in æternum & in ſæ-
„ culum ſæculi. Id autẽ euenit, quando fides Petri nunquã Lucæ 22. ver. 32
deficiens, ſed alios confirmans, cooperante vaſe electio-
nis Paulo, ex Cathedra potiſsimùm Romana, ſanguine
confeſsionis illorum veluti obſignata, reliquum terrarum
orbem illuminauit, & in lumine ſemel recepto indeſinẽ-
ter confirmat: Hoc vel ipſe Apoſtolorum Princeps iam

iam corpore resoluendus, vltimo quasi testamento consignauit, inquiens: Iustum autem arbitror, quàm diu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in cõmonitione: Certus, quòd velox sit depositio tabernaculi mei, secundùm quod & Dominus noster Iesus Christus significauit mihi. Dabo autem operam, & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis. Ex quibus verbis apparet S. Petrum, obitu suo, officium vniuersalis Pastoratus Ecclesiæ, non tam deposuisse, quàm perfecisse. Quod enim viuens sæculo faciebat, per visibile & mortale ministerium, hoc viuens Deo facit, primò quidem per intercessionis suffragium pro Christi Ecclesia, certè non minùs quàm olim faciebant, Ieremias Propheta, & Onias summus Sacerdos, pro Moysis Synagoga: deinde exequitur pascendi officium, per successorum suorum in Cathedra Christi magisterium. Soliditas enim (inquit Beatus Leo) eius fidei, quæ in Apostolorũ Principe est laudata, perpetua est. Et sicut permanet quod in Christo Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Christus instituit. Et paulò post dicit: Manet ergo dispositio veritatis; & Beatus Petrus in accepta fortitudine Petræ perseuerans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit. Et rursus ibidem: Hoc enim, inquit, obtinuit, dilectissimi, illa confessio, quæ à Deo Patre, Apostolico inspirata cordi, omnia humanarum opinionum incerta transcendit: & firmitatem Petræ, quæ nullis impulsionibus quateretur, accepit. In vniuersa namq; Ecclesia, Tu es Christus filius Dei viui, quotidie Petrus dicit: & omnis lingua quæ confitetur Dominum, magisterio istius vocis imbuitur. Hactenus Leo. Quin etiam doctrina gentium Apostoli, quamuis non ab homine nec per hominẽ accepta,

2. Petr. 1. v. 13.

2. Machab. 15. vers. 14.

Leo Serm: 2. Anniuersario sui Pontificatus.

cepta,

cepta, sed cælitus comparata, & ipsa etiã huius Petræ firmitate, suam accipit authoritatem: quando S. Petrus, eius fidei ac doctrinæ, qua Ecclesiæ, frequenter, hoc est (vt Græcè sonat) singulatim, quasi singulis ouibus prouisurus erat, consortium, refert ad S. Pauli scripta: sic vltimam illam suam doctrinam concludens: Sicut & charissimus frater noster Paulus, secundùm datam sibi sapientiam, scripsit vobis; sicut & in omnibus Epistolis, loquens in eis de his: In quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem. Hæc ibi. Quam authoritatis dependentiam agnouit idem ipse cælestis discipulus, quando confitetur, se ex reuelatione (vtiq; diuina ex qua etiam doctrinam ipsam acceperat) tertio, & rursus quatuordecimo suæ prædicationis anno, venisse Hierosolymam ad Apostolos, præsertim videre Petrum: & cõtulisse cum Apostolica illa doctrina suum Euangeliũ, ne fortè in vanum curreret, vel cucurrisset. Quam collationem doctrinæ cũ Petro, sicut fatetur se fecisse in Cathedra Ecclesiæ ex Iudaismo Hierosolymis: sic eam non videtur ommisisse in Cathedra alterius ouilis ex gentibus Romæ constituta: ne sicut in Iudæis, sic in gentibus, sua prædicatione in vanum cucurrisset. Et ad hunc sensum potest etiam applicari quod ad Timotheum scribit: Ego iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat: Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. Sic etiã impletũ est, quod Isaias, Euangelistã veriùs quàm Prophetam referens, in fine suæ Prophetiæ prædixerat: Dei filium peracta redemptione humana, ex his qui eius salutis primitias ipsi accepissent, nimirum Apostolis, missurum esse, in Italiam, veluti in medio gentilitatis collocatam,

2. Petr: 1. ver. 13

2. Petr. 3. ver. 15

Galat: 1. vers. 18. Cap: 2. vers. 1.

2. Timot: 4. v. 5

Isa: 66. vers. 19

tam,

tam, & caput,ſicut tunc orbis, ſic omnium ſuperſtitionū reputatam, qui tenentes ſagittas emiſsionis ad prædicationem Euangelicam,remotiſsimas etiam gentes, cum ſua maieſtate, ad Eccleſiam eſſent reducturi: qui viciſsim ex illo potiſsimùm loco,Sacerdotes & Leuitas,iis qui fidem recepiſſent, eſſent ſubminiſtraturi.

Ierem:16.ver.16.
Matth.4.verſ.18.
Lucæ 5.verſ.10.

Eos autem qui hoc præſtarent, Ieremias rurſus appoſitè ab officio capiendi, vocat piſcatores, & venatores. Petrus enim ab ipſo Domino ſic audiuit. Noli timere: ex hoc enim tempore eris (non piſces ſed) homines capiens.

Act. 7.
Auguſt:Serm. 14. de Sanctis.

Paulus autem reputatus eſt venator; quia ſecundùm Auguſtinum, mane capiebat prædam,perſequēdo, veſpere diuidebat eſcas,cōgregando, Eccleſiam Dei.

2. Cor: 12. v. 16.

Vnde ipſe alludens quaſi ad talem officium ſuum, ſcribit Corinthiis: Non grauaui vos: ſed cùm aſtutus eſſem,dolo cæpi vos.

Quod myſterium vel ipſa inſignia Romanæ ſedis Apoſtolicæ referunt; quando intimum & familiare quidem ſigillum, Anulum piſcatoris, Petrus ſibi ſuiſq; ſucceſſoribus reſeruauit; quod verò in ſolennioribus diplomatibus appenditur, imaginem biformem vtriusq; Principis Apoſtolorum repræſentat: ita tamen, vt in ipſo prototypo,Petrus,in expreſsione autem,Paulus, dextram teneat: vt vel inde ſubminiſtratio officii à Petro in Paulum,velut foras ab ipſa ſede deriuata,deſignetur. Sed ad magis etiā confirmandum hoc myſterium, gentilis quoq; ipſius ſuperſtitionis commentum,tranſeat nobis in veritatis Chriſtianæ monimentum.

Lactan: de falſa ſapientia.Cap.13;
Macrobius lib. 1. Cap: 7. & ſeq:
Ouidius lib. 1. Faſtorum.

Tradit enim Lactantius, Saturnū a Ioue filio,Regno pulſum, poſt moleſtas peregrinationes,tandem Italiam claſſe appuliſſe: ibiq; à Iano bifronte antiquiſsimo Rege Italiæ, qui & ipſe inter Diuos reputabatur, benignè exceptum & tractatum,ad Regni etiam conſor-

conſor-

conſortium admiſſum fuiſſe: eò quòd ab ipſo tùm Diuorum cultum,tùm rationem agriculturæ didiciſſet. In cuius rei perhennem memoriam, numiſmata certa excuſſa fuiſſe, quæ in vna parte Ianum bifrōtem, in altera cymbam ſeu nauem, qua illuc Ianus delatus fuiſſet, referrent. Hoc enim veriſsimè in duobus iſtis Apoſtolorum & Eccleſiæ Principibus euenit.

Exod. 7. verſ. 1

Certè Petrus,nō minùs quàm olim Moyſes Deus Pharaonis, prodigiorum magnitudine, meruit dici Deus Simonis, vel ipſius etiam Neronis.

Actor. 14. ver.10
Actor: 28. ver.6
Matth: 16. ver.15
Hieronym: ſuper hunc locum.
Actor: 28. ver.14

Paulo quoq; gentilitatem, honores diuinos decreuiſſe, S. Lucas atteſtatur. Sed meliori iure Apoſtoli ab ipſo Saluatore,potiùs Dii quàm homines reputati ſunt, quando non carne,ſed diuina reuelatione, quæ naturæ ipſius diuinæ ſunt, comprehenderunt. Paulus igitur poſt gentis ſuæ repulſam, cùm per varios caſus & naufragia,Romam naui appuliſſet, à S. Petro in conſortium Eccleſiæ adminiſtrandæ, & fidei per orbem terrarum diſſeminandæ,receptus erat: quā poſtmodum vterq;, ſicut pari profeſsione,ſic pari martyrio,ibidem conſignauit. Ideoq; tātę rei memoria,aptiſsimis inſigniis in perpetuum celebratur; vt Petrus quidē ſigillo nauiculæ quæ Eccleſiā Dei refert,eiusq;regimine,veluti Piſcator & nauclerus,ſibi reſeruato,faciem ipſam, qua in ſummo Paſtoratu orbi proſpiciat vniuerſo, cum Paulo quaſi geminam, communicet. Hæc Beatiſsime Pater, eò prolixiùs cōmemorare volui, ne dum Chriſti, in his quæ de ipſo ſcribenda præſumpſi, perſonā honoro, Cathedram eius,cui tu feliciſsimè præſides, inhonoratā relinquam: & ne ſola inſpiratione fretus,niſi tecum, tuaq; Cathedra, Euangelicam doctrinam conferam, in vanum fortè currere,vel cucurriſſe reperiar. Tu enim es, qui ſummo iſti Paſtoratui vltimam quaſi

(?) limam

limam superinducis: quando non contentus interno & veluti domestico regimine, orbem assidua mentis sollicitudine perlustras vniuersum, vt secundùm Prophetam, " quod infirmũ est consolides: quod ægrotum, persanes: " quod confractũ, alliges: quod abiectum, reducas: quod " perierat, requiras: & non cum austeritate, sed verè Cle- " mens, cum clementia, imperes. Tantam igitur prouiden- " tiam & clementiam, quemadmodum singulariter huic Regno, fines Christianos concludenti exhibes: ita eam quoq; erga me ipsum, & istud quod humiliter offero qualecunq; opus, conserues: Et in eo, si quid similiter infirmum, ægrotum, confractũ, abiectum, perditum seu aberrans, deprehendes, illud Apostolica authoritate simul & benignitate, consolides, persanes, alliges, reducas, ac restituas: meq; inutile quamuis Ecclesiæ tuæ mancipium, tua quam nomine & re geris, clementia, prosequaris. Quem Iesus Christus tanquam suum in terris Vicarium, ad ea quæ in Ecclesia præclarè hucusq; præstitisti, consummãda, diutissime fœlicem conseruet, ac incolumem. Datum Cracouiæ ex Musæolo meo die XI. mensis Septembris. Anno à Christo nato M. DC. IV.

Ezech: 34. vers: 4

Sanctitatis vestræ

Humiliter subiectissimus,

Hieronymus Pouodouius
Archipresbyter Cracouiensis indignus.

Præfatio ad Lectorem.

Exigebas fortasse, Christiane Lector, vt altera istã nostri de Christo Tractatus pars, maturiùs vt promittebatur, priori succederet. Et nos quidem quoad potuimus, in hoc desudauimus. Sed si in electo & inspirato diuinitus Moyse, magis in me qui ista attrectari non fui dignus, euenit illud:
„ Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri & nudiustertius:
„ & ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris sum linguæ. Præsumebat Apostolorum Princeps [a] cælesti in terris tabernaculo constituto, Dominum gloriæ cum testibus suæ immortalitatis comprehendere: sed fulgore & voce cælesti attonitus, ferè exanimis faciem, & oculos terræ, impressit. Ita & nos, pelagus istud de filio Dei tractationis, remis Ecclesiæ Catholicæ, & velis aspirationis diuinæ confidentes, ingressi, abyssum tandem inscrutabilis maiestatis appulimus: in qua inhærere, & opus ipsum, tanquã viribus nostris impar, deserere oportuisset, [b] nisi manus, quæ ipsam fidei Petram ex fluctuatione eripuisset, nobis sua benignitate adfuisset. [c] Superno igitur auxilio adiuti, ab infantia Saluatoris priori libro vtcunq; expedita, progressi sumus ordine, non suæ ætatis, vel in mundo conuersationis, sed ordine, quo Ecclesia in Calendario memorias eius sacras disposuit. [d] Vbi inprimis occurrerunt gesta illius, quorum in die Cœnæ Domini annua memoria atq; celebritas ab Ecclesia proponitur, Ex quibus doctrinam & mysteria [e] ablutionis pedum, quæ non adeò accurata indigebat pertractatione, vno atq; altero, & quidem breuiori Sermone absoluimus. Cùm autem ex Apostolica traditione eodem die, [f] Chrisma ab Episcopo confici & benedici soleat: de eius antiquo in Ecclesia vsu inseruimus Sermonem B. Cypriani Martyris. Si quis plura in hac materia desideraret, legat S. Dionysium Areopagitam; Clemẽtem S. Petri in Sede Romana successorem: Fabianum Papam: Cyrillum Hierosolymitanum: & alios, in locis quæ margini apposuimus.

Tardioris æditionis libri istius ratio.
Exodi 4. ver. 10
a Matth. 17. v. 4
b Matt. 14. v. 31
c Quid in hoc libro, qua ratione, & ordine pertractetur.
d Die Cœnæ Domini, memoriæ quæ celebres.
e Ablutio pedũ.
f Confectio Chrismatis.
Dionysius Eccle: Hierarch: Cap. 4
Clemens Const: lib. 7. Cap. 42. & Epist. ad Iulium, & Iulianum.
Fab: Epist: 2. ad Orientales.

Eodem

Cyrill: Catech: 5 Mystag:
Melchiades Papa ad Episcopos Hispaniæ.
Basilius de spiritu sancto Cap. 21

Eodem quoq; die, in primæua illa Ecclesia, solebant propter imminentem solennitatem Paschalem, Ecclesiæ reconciliari & absolui, solenniter vel publicè pœnitentes. Cuius rei vestigium cùm etiam eadem die remanserit, in publica homicidarum, & aliorum grauiorum criminum per Episcopos absolutione, vel potiùs post satisfactionem exactam benedictione: operæpretium visum est, ea occasione de Sacramento Pœnitentiæ pertractare. [a] *Quodquidem aliquot Sermonibus effecimus. Vbi posita breuiter de hoc Sacramento Ecclesiastica doctrina, casus quosdam, vel potiùs defectus seu excessus apud nos frequentiores notauimus: non correctionis alicuius importuno supercilio, sed zelo animarum, quæ exinde magna (sicut & ipsi earum pastores) incurrunt discrimina: vt illis tandem aliquando ab ijs, quorum interest, prouideatur.* [b] *Exinde aggressi sumus ipsum maximè diei conuenientem, Cœnæ Dominicæ tractatũ. Cuius causa & veluti basis est, nouæ legis sacrificium, simul & sacerdotium, quod Dominus noster ea ipsa die, ad Cœnæ suæ & aliorum Sacramentorum & charismatum dispensationem, in Ecclesia sua instituisset.* [c] *Cùm autem, secundum doctrinam Apostoli, multò perfectiùs in Ecclesia, quàm olim in Synagoga, ista tria sint connexa, sacrificium, sacerdotium, & lex ipsa, sine quibus, vel eorum altero, cœtus fidelium consistere non possit: & sicut olim Apostolis cum Iudæis, sic modò nobis cum hæreticis, potissima de isto veluti religionis fundamento, sit cõcertatio. Propter istam rationem necessarium existimauimus, ex ipsis fontibus, quos Apostolus contra Iudæos reserasset, originem, necessitatem, & proprietatem Sacrificij nouæ legis perpetui, ostendere. Postea eius præsignationes, institutionem, & vsum, qui fit in Missa, per singulas eius Cærimonias comprobare atq; explicare.* [d] *Vt autem tanti Sacrificij certũ quoq; extaret ministerium, subiecimus tractatum de ipso quoq; nouæ legis Sacerdotio: in quo, eius originem, institutionem, & singulorum*

a Tractatus de Pœnitentia.
b Sacrificii nouæ legis doctrina quanti habenda, & quomodo tractata.
c Lex, Sacrificiũ, et Sacerdotiũ, sibi connexa. Hebr. 7. ver. 12
d De Sacerdotio nouæ legis tractãdi ratio.

lorum ordinum officia, ipsámq; vitæ & conuersationis regulã, ex potissimis vtriusq; paginæ sacræ, & orthodoxæ antiquitatis testimonijs prosecuti sumus. Vbi studiosa & compendiosa breuitate, congesta sunt ea, quæ tum Clericis ipsis ad vniuscuiusq; ordinem & officium, simúlq; status sui & vitæ regulam: tum etiam quæ vel laicis, aut status eorum, ipsiusq; religionis aduersarijs, ad tanti status honorationem, maximè pertinentia esse videbantur. [a] *Tandem verò ostenso sic nouæ legis vero Sacrificio, eiusq; certo ministerio, progressi sumus ad ipsius, quæ eo ipso die Cœnæ Domini propria esset, sacratissimæ Eucharistiæ tractationem. Quæ quia nostris temporibus propter innumera schismata & hæreses, in summam deuenit disceptationem: studuimus inprimis (more in superioribus etiam obseruato) ea quæ de ipsa credenda essent, primò ex veteris legis præsignationibus, vaticinijs, & mysterijs, postea ex ipsa legis Euangelicæ determinatione, postremò etiam ex Apostolica, simul & Ecclesiæ sponsæ Christi autoritate, comprobare: vbi etiam occasio data esset, contrarias opiniones vel etiam hæreses refellere, vel ad refellendum viam præmonstrare.*

a Cœnæ Domini seu Eucharistiæ doctrina, quomodo hic proponitur.

[b] *In quibus omnibus, quid à nobis, si non præstitum, saltem optimo animo tentatum sit, æquiorum & intelligentium lectorum, ipsiusq; inprimis Ecclesiæ Catholicæ iudicium esto. Certè nihil in medium proferre studuimus, quod non testimonio diuinæ scripturæ niteretur: scientes religionis nostræ aduersarios (nec rectè quidem) aliud præter hoc, confirmandæ religionis principium, non admittere.* [c] *Quibus tamen cùm in more sit, quascunq; voculas ex sacro contextu, ad sua probanda excerpere, vel per diuersas translationum technas diuagari: Nos seruata æditione vulgata, quæ ante exortas fidei istas controuersias, antiquissimam fidem & authoritatem hucusq; conseruauit, rarissimè voces aliquas, præsertim Græcas, penitius excussimus, idq; ad sensum eiusdem vulgatæ lectionis, non tam immutandum,*

b Autoris in scribendo hoc opere sedulitas & labor
c Scripturæ tractatio, Catholicis & hæreticis diuersa.

dum, quam magis declarandum. Deinde id vnicè operam dedimus, vt Scripturæ citatæ, non modo verba, sed sensum ipsum, ex mente & intentione proferentis, & ex contextus ipsius manifesta cohærentia, spectaremus: & quoad maximè fieri potuit, sententiam adductam, eiusque germanum sensum, simili aliqua Scriptura, vel vbi esset opus, pluribus etiam, confirmaremus. Postremò cùm scripturæ authoritas, non sono vel sermone, sed sensu & Ecclesiæ consensu nitatur, non minorem dedimus operam, vt non solùm diuinis ex vtriusque Testamenti scriptura, sed etiam Ecclesiæ Doctorum orthodoxis, testimonijs, ea quæ asserta sunt, comprobaremus, & testimonia ipsa fidelissimè (nisi fortè libris quibusdam destituti) poneremus. [a] Et omnino nonnisi ore Ecclesiæ Catholicæ loqui intendimus: nisi aliquando vel phrasis proprietas, vel contextus ipsius intentio & cohærentia, vel alterius scripturæ similis, & prorsus congener sensus, diuersam, non tamen contrariam, expositionem seu applicationem, exquireret. Cùm enim teste Salomone: Spiritus Domini repleuisset orbem terrarum: & quod continet, omnia scientiam habeant vocis: (quod veluti declarando Apostolus, scribit, [b] omnem scripturam diuinitus inspiratam, vtilem esse ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, & ad erudiendum in iustitia: vt perfectus sit homo Dei, & ad omne opus bonum instructus:) Consentaneum est, vt ad istam plenitudinem doctrinæ, contra nouos subinde errores, & perfectionem diuinam in homine [c] ad instar lunæ mutabili, acquirendam, plenitudo quoque & perfectio inexhauribilis [d] verborum Domini; quæ vita & spiritus sunt, sapientiæ, eruditionis, atque disciplinæ, in Ecclesia Dei conseruetur. Hac ratione Dominus, Doctorem in Ecclesia sua comparat bono patrifamilias, qui de thesauro suo proferat noua & vetera, hoc est, vniformitatem quidem legis & doctrinæ, sed ad nouos siue errores, siue mores corrigendos accommodatam. Sic etiam Dominus spiritum sanctum re-

a Scripturæ sensus abundantissimus, non vsque adeo arctandus. Sap. 1. ver. 7.

b 2 Tim. 3. v. 16

c Eccli: 27. v. 12

d Ioan. 6. v. 63, 68 Matth. 13. v. 52

ctum reliquit Ecclesiæ suæ perpetuum Magistrum: [a] vt non solùm suggerat prius edocta, sed etiam edoceat suggerenda. [b] Et sicut Apostoli, sic illis succedentes Pastores & Doctores (inquit S. Paulus) semper dantur & succedunt in Ecclesia, in ædificationem & consummationem sanctorũ, & corporis Christi, quod est Ecclesia: Ideo ipse sic etiam præscribit: Spiritum nolite extinguere: prophetias nolite spernere. Omnia autem probate quod bonum est, tenete.

a Ioan. 14. ver. 26

b Eph. 4. ver. 11 1 Cor. 12. ver. 18 1 Thess. 5. ver. 19

[c] Si igitur in isto labore nostro profectò nõ exiguo, non omnia omnibus placeãt, eligant tales, quæ videntur accõmoda, alia infirmioribus relinquãt, quales Apostolus, dũ carnes non digerant, oleribus deputasset. Fit enim plerunque vt ad modum cibi corporalis, non omnia cuique palato sapiant: diuersitate tamen gustus, omnia quæ apposita sunt, tandem absumantur. Si quæ verò doctioribus corrigenda vidẽtur, faciant sanè in spiritu lenitatis, & pro suis, si libet, vtantur. Neque enim vnquam Magisterij titulum aut gradum ambiui, sed potiùs oblatum recusaui: [d] ne iudicio vnius magistri nostri, maius iudicium sumerem. In prophetia tamen seu lectione sacra (vt [e] monet Apostolus) in ordine discipuli, à prima ætate, ad id nutu quodam diuino segregatus, me exercere studui, vt meipsum, & si quos exinde possẽ, instruerem. Et ita quidem, vt quæ à me vel dicta vel scripta vnquam essent, libenter iudicio Ecclesiæ Catholicæ subijcerem. Quod [f] ipsum & modò, summo Ecclesiæ Dei visibili Pastori, cui hoc opus dedicatum est, contestatus sum. Si qui autem (quod non spero) essent, quibus nostra interdum liberius (vt veritas postulat) dicta displicerent, & charitatis fraternæ immemores, illa sugillare intenderent: sint præmoniti, me correctionis vbi opus esset, non autem contentionis, quam liuor non amor prouocat, palæstram profiteri velle. Quid enim? [g] (vt cum Apostolo loquar) Dum omni modo, siue per occasionem, siue per veritatem, siue per inuidiam Christus annuntietur: & in hoc gaudeo.

c Authoris Catholica & Christiana submissio. Rom: 14. ver. 2

d Matth. 23. v. 8 Iacobi 3. vers. 1

e 1 Cor: 14. v. 1, &c. 1 Thess: 5. ver. 19

f Autor correctionis non contentionis studiosus

g Philip. 1. ver. 18

Si

Si qui autem ex labore nostro profecerint, Dominũ nobiscum glorificent, qui dederit velle, posse, & perficere: ipsumq; communem Dominum vnà mecum exorent, vt si Ecclesiæ suæ, nobisq; ipsis expedire cognouerit, ad reliqua quæ primus liber promittit, aggredienda & perficienda, gratiam & auxilium suum largiatur, atq; adaugeat. In quibus planiori stylo, (si iste cõtractior & abstrusior interdum quibusdam videtur) vti licebit. Tantæ etiam collationes tum scripturæ sacræ, tum orthodoxorum Scriptorum, qualibus hactenus vsi fuimus, vt aduersarijs fidei satis faceremus, si cuipiam, nobis etiam laboriosæ extiterunt. Quibus, si ita lectores expetierint, nobis quoque partius vti non displicebit: vt vel sic à nobis, qui soli hoc saxum mouemus, reliqua quæ molimur maturius subsequantur. Vale in Christo, Theophile, & nostrum tuumq; simul profectum, Domino, precibus assiduis commendato.



Sermo

Sermo primus.

FERIA QVINTA IN DIE COENÆ Domini. De ablutione pedum, eiusq; mysterijs.

Perditionis humanæ causa odiũ Diaboli, reparationis verò charitas Dei.

Sap: 2. vers: 23.

Cap: I. Vmanę infelicitatis & lapsus in Paradiso causam præcipuam fuisse odium seu inuidiam Diaboli, testatur sacer Sapiens his verbis: Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum: inuidia autem Diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Cùm enim genus humanum ideo conditum fuisset, vt exacta in Paradiso vita beata, per meritũ, postmodum longè beatiorem in cælis consequeretur per præmium, & sic ruinas illas Pseùdoangelorum adimpleret: præuidens damnatus Lucifer tantã vicissitudinem, atq; insuper naturam humanã naturæ suæ, per filij Dei incarnationẽ, fore præferendam: [a] delapsus est de cælo magnã iram habens, vt fraude venenata humanam propaginem, quamuis tantopere à Deo dignatam, in sibi commune tartareũ exitium perpetuò præcipitaret. Veruntamen æternus Dei filius [b] cùm propterea apparuisset in mundum, vt dissolueret opera Diaboli, eius infensissimo odio, opposuit immensam charitatem & dilectionem suam. Quemadmodum autem, teste S. Ioanne Apostolo, draco ille infernalis, maximum odij sui virus in homines effundet, in ipso mundi decursu, quia modicum tempus habet: sic veriùs redemptor noster (vt hodierna verba Euangelica habent) Sciens, quia venit hora transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos: hoc est, quamuis [c] charitate prædestinationis & electionis suæ, ante constitutionem mundi suos dilexisset, eamq; dilectionem per totum vitæ & conuersationis suæ tempus, contestatus fuisset: maximam tamen eiusdem suæ charitatis vim & fructum, ante ipsam passionem & mortem exhibuit.

a Apoc: 12. v. 12.

b 1. Ioan: 3. ver. 8.

c Ephes: 1. ver. 4.

Cap: II. [d] Porrò vsitatum est iamiam morituris, si nõ ex charitate, saltem ex vltima & ineuitabili necessitate, ijs quos relinquunt, secretissima & optima quæq; testamento legare & addicere: hoc eò magis præstitit Christus, quò suos magis quàm animam & vitam suam adamasset. Quatuor enim dona perpetuo fœdere seu testamento illis adscripsit, quæ totum hominem ex corruptione ac damnatione, ad immortalitatem & beatitudinem

d Christus vltimo testamento, potissima bona reliquit, quibus hominẽ perficeret.

reuocarent

reuocarent & perficerent. Primò quidem ad informandum intellectum à veritate erroneum, reliquit illis verbum illud cæleste & viuificum, quod [a] cordibus insitum, possit animas eorum facere saluas. Cuius colophonem, & velut cantum cygneum, ædidit in illa vltima ante suam passionem Contione, quando inter multas cælestium secretorum communicationes, dicebat eisdem Apostolis: [b] Iam vos mundi estis propter sermonem istum, quem locutus sum vobis. Et postea Deum Patrem sic pro illis interpellat: Sanctifica eos in veritate, sermo tuus est veritas. Secundò ad formandam voluntatem, instituit legem breuissimam & efficacissimam charitatis, quæ suauissimo & quasi homini naturali affectu, eum cum suo principio, hoc est, Deo, qui charitas est, coniungeret. Quod ipsum Dominus ibidem Deum Patrem suum his deprecatur verbis: [c] Ego claritatem meam, quam dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus: Ego in eis, & tu in me: vt sint consummati in vnum: & cognoscat mundus quia tu me misisti, & dilexisti eos, sicut & me dilexisti. Pater quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, & illi sint mecum: & videant claritatem quam dedisti mihi, quia dilexisti me à constitutione mundi. [d] Tertiò Christus testamēto suo perfecit eam quoq; animæ potentiam, quæ memoria constat, instituendo iuge ac perpetuum sacrificium proprij corporis & sanguinis, quo memoria passionis, & mirabilium simul beneficiorum suorum vsq; ad finem mundi, in mentibus fidelium conseruaretur. Deniq; totū hominem etiam quoad corpus, ad eam dignitatem perduxit, vt illud suum ipsissimum corpus & sanguinem suum, sub sacramentali panis & vini specie, verè manducandum & bibendum fidelibus relinqueret: & quemadmodum vniuerso humano generi per incarnationem, sic singulis dignè sumentibus per eiusmodi comunionem, particulari vnione in beatitudine consummanda, sese commisceret & communicaret. [e] Quis loquetur potentias Domini, & auditas faciet omnes laudes eius? [f] At contestandam igitur pro nostra virili, tanti beneficij gratitudinem, simulq; ad nostram eruditionem, in præsenti Sermone: Primò expendemus quendam veluti apparatum, quem præmittit Euangelista, de Christo, ad tantum redemptionis nostræ opus aggrediendum & perficiendum. Deinde quid sibi velit lotio pedum à Christo Cœnæ Euangelicæ præmissa, & Apostolis tantoperè commendata. Tertiò quid ad eruditionem imitationemq; nostram, ex hoc facto Christi capere debeamus.

a Iacobi 1. v. 21.
b Ioan: 15. ver: 3. & cap: 17. ver: 7.
c Ioan: 17. v. 22.
d Sacrificij & Eucharistiæ beneficium quantum. Daniel: 8. ver: 12.
e Psalm. 109. v. 2.
f Argumentum & Partitio Sermonis.

Cap: III.

[g] Quoad primum. Quoniam verus & æternus Dei filius, in opere instante redemptionis nostræ, indigna quæq; in humanitate fuisset passurus:

g Christꝰ passionem suam futurā

passurus: præmittit Euangelista rationes, quod talia non casu vel necessitate, sed libera voluntate, seruatis proprijs diuinis attributis sustineret, atq; per suam sapientiam, bonitatem, & potentiam, sciret, vellet, & posset genus humanum redimere. De sapientia quidem sic exorditur Euangelista. Sciens Iesus quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem. Si enim [a] Apostoli ex eo cognoscebant, & firmiter credebant eum à Deo exijsse, quòd ex seipso sciret omnia, nec opus haberet, vt eum quis interroget: magis eadem sapientia in eo elucet, quando tanquam [b] agnus ille præcognitus & occisus ab origine mundi, suam quam ipse sibi elegisset horam transitus sui ad Patrem denuntiat, quam etiam multò ante sæpius prædixisset, præsertim quando disertis verbis dicebat ad Apostolos: [c] Ecce ascendimus Hierosolymā, & filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte: & tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget. Et quia ipse esset, in quo [d] secundùm Apostolū, omnes thesauri sapientiæ & scientiæ essent absconditi: quinetiam tanquam ipse æterna illa sapientia, attingens à fine ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter: sicut humanā in seipso infirmitatem & passionem diuinitatis vigore & virtute roborauit: sic etiam in eius prædictione, Apostolorū fidem adhuc nutantem, suauissima eruditione & consolatione temperauit: vt nimirum nihil sibi in ea passione accideret, quod nō ipse ita fieri præsciuisset, vltroq; elegisset. [e] Secundò præmittit Euangelista potentiæ ipsius testimoniū, quando subijcit: Et quia Deus tradidit ei omnia in manus. Intellige dupliciter: in natura quidem diuina, per æternam generationem: in humana verò per spiritus plenitudinem, & redemptionis humanæ mox perficiendæ meritum. De prima potestate sic ipsemet attestatur: [f] Pater meus vsq; modò operatur, & ego operor. Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere, quia non solùm soluebat sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum. Et ibidem: Non potest filius facere à semetipso quicquā, nisi viderit Patrem facientem. Quodcunq; enim ille fecerit, & filius similiter facit. Pater enim diligit filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit. Hîc enim per dilectionem insinuatur summa Dei Patris, tanquā summi boni suijpsius communicatio per generationem æqualis & consubstantialis filij: per visionem autem intelligitur eadē ipsa naturæ & substantiæ æqualitas, quatenus illam filius à Patre, tanquam à principio naturaliter accepisset. Quod alibi veluti magis declarans dicit: [g] Pater in me manens, ipse facit opera. Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me: alioqui ꝓpter

voluntariam, diuinis attributis contestatus est. August: Serm: 28. ad Eremitas.
a Ioan: 16. v. 13.
b 1. Petri 1. ver: 19.
c Matt: 20. v. 18. Marci 10. ver: 46. Lucæ 18. ver: 35.
d Colos: 2. ver: 2 Sapient: 8. ver: 1
e Deus quomodo filio suo tradidit omnia in manus, vt eadē quæ ipse operetur.
f Ioan: 5. ver: 17
g Ioan: 14. v. 18.

a Filius à dextris sedēs, quomodo subijcietur Patri. Psalm: 109. v. 1. Matth:22.ver:44. Hebr: 1. ver: 13.

b Psal: 2. ver: 9. Matth:28.ver:18.

c 1. Cor:15.v:25. & 27.

d Isaiæ 53. v. 17.

e Ioan: 10. v. 17.

f Filij Dei potētia simul & humilitas in cæna vltima exhibita. August. Serm:28. ad Eremitas.

g Dilectio Christi in homines quanta, & quomodo exhibita.

Cap: IIII:

opera ipsa credite. a Rursus verò potentiam, secundùm meritum humanitatis à Deo Patre acceptam, sic describit Dauid, attestante idipsum Apostolo, ipsoq; Domino: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Donec ponā inimicos tuos, scabellum pedum tuorū. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion. Illam nimirum virgam, de qua per eundem Prophetā loquitur Deus Pater ad eundem filium: b Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam: & possessionē tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea. Et ipsemet Dominus de tali potestate loquitur: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Quod ad humanitatem esse propriè referendum, explicat Apostolus sic scribens: c Oportet autem illum (Christum) regnare, donec (Deus Pater) ponat inimicos sub pedib9 eius. Et paulò post: Omnia (inquit) subiecta sunt ei, sine dubio præter eum, qui subiecit ei omnia. Cùm autē subiecta erunt ei omnia, tunc & ipse filius subijcietur ei, qui subiecit ei omnia, vt sit Deus omnia in omnibus. Cùm enim æqualitas & consubstantialitas excludat subiectionē: sicut & Diuinitas ipsa vllam temporis & conditionis mutationem, consequitur potestatem acceptam, quoad regnum redemptionis, propriè esse humanitati Christi adscribendam, quam vtiq; tanquam, creatam Deo Patri, quatenus diuinitatis origo & principiū est, subijci conuenit. Cæterùm potestatem quam cum Deo Patre habuisset æqualem, transiisse in liberam voluntatem, testatur Isaias dicens: d Oblatus est quia ipse voluit, & nō aperuit os suum. Et ipse Dominus protestatus est hostibus suis sic inquiens: e Propterea diligit me Pater, (dilectione naturali, de qua supra dictum est) quia ego Pono animam meam, vt iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam (nota) à meipso. Et potestatem habeo ponendi eam, & iterum sumendi eam. (intellige per resurrectionem) f Istam potentiam sic etiam expendit B. Augustinus: Magnam Christi potentiam exprimit Ioannes, cùm omnia Patrem dedisse ei affirmat: Magnam celsitudinem Christi prædicat, cùm eum à Deo exisse asserit. Et tamen hodie audimus, quòd ille qui habet omnia in manu, vestimenta etiam deponit. Sed quid mirum, si pro discipulis vestimenta deponit, qui etiam carnē pro inimicis suis dedit? Et quid mirum, si more famuli præcinxit se linteo, qui formam serui accipiens, habitu inuentus est vt homo? Quid mirum, si aquam fudit in peluim, qui dignatus est fundere sanguinem pro nostra redemptione: (simul & sudorem suum in terram) Hæc ille. g Tertiò præmittit sacer Euangelista filij Dei bonitatē, in charitate eximia in redemptionis opere exhibitam, quando dicit: Cum dilexisset suos qui erant in mundo,

a Sap:11. ver:24.

b Iere:31. ver:3. 1. Ioan:4. ver:19. Apoc: 1. vers: 5. Rom: 5. vers: 7.

c Ioan.18. ver:8.

d Ioan: 17. v. 12.

e Prou: 17. v. 17. Cant:8. vers:6.

f Hæretici filium Dei, non solùm pœnæ, sed & culpæ reum statuūt.

g De latronis

Cap: V.

vsq; in finem dilexit eos. In quibus verbis duplicē similiter dilectionis modum ostendit, qui nimirū diuinæ & humanæ naturæ in ipso responderet. Quando enim primò dicit, cùm dilexisset suos, insinuat dilectionem diuinam, æternam, ac præuenientem Dei in suas creaturas, præcipuè autem in hominem. De qua Salomon. a Misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominū propter pœnitentiam. Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti. Et paulo post: Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt Domine, qui amas animas. Et per Prophetam Dominus ipse sic protestatur: b In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans. Ipse enim (inquit S. Ioannes) prior dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Quod Apostol9 sic magis declarat: Vix enim pro iusto quis moritur? Nam & p bono forsitan quis audeat mori? Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Quod re ipsa præstitit Christus, quando seipsum vltro ad passionem offerens suis comprahensorib9 dicebat: c Si me quæritis ego sum, sinite hos abire: vt impleretur, quod paulò ante orabat ad Deum Patrē dicens: d Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quenquam. Deinde commendat Dominus dilectionem erga suos, secundùm humanitatem. Cùm enim dilexisset suos, hoc est, vt Deus dilectione antiqua, & veluti originali ac præueniente, vt iam diximus: non intermisit etiam talem dilectionem eisdem exhibere vt homo, in finem, hoc est, vitæ suæ adhuc mortalis. In quo verè præstitit Dominus, quod dicit Salomon: e Omni tempore diligit qui amicus est, & frater in aduersis comprobabitur. Et alibi: Fortis est vt mors dilectio: dura sicut infernus æmulatio. Lampades eius, lampades ignis atq; flamarū, aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Christus enim desiderio desiderans (vt ipse inquit) hoc Pascha suæ passionis exigere, maiori charitatis (quæ Deus ipse est) feruore veluti accensus, ardores infernales quibus alioqui affici non potuit, ad liberandas animas nō persensit: ipsaq; eius dilectio morte fortior, aquis lachrymarū & fluminibus sanguinei sudoris nequaquam potuit superari. f Hæc accuratiùs explicare visum est, in hoc primo passionis Dominicæ apparatu, vt Christiani fide firma præmuniantur aduersus veterum nouorumq; hæreticorum blasphemias: qui in Christo humanam infirmitatem, nec simul diuinam virtutem considerantes, multa maiestate eius indigna, non solùm quò ad pœnam voluntariê pro nobis susceptam, sed etiam quòad culpam veluti eius propriam, cōminiscuntur. g Iam verò ad ipsam de qua sermo Euangelicus

pedum per Christū mysterijs diuersæ sententiæ. Ambr: lib. 3. de Sacramentis cap: 1. Et de ijs qui mysterijs initiantur cap: 6.

gelicus pertractat, pedum lotionem accedamus. Quam alij quidem ex vetustioribus Doctoribus realiter, alij spiritualiter intellexerunt: alij rursus soli personę Petri applicauerunt. Ambrosius quidem lotionem pedum, adeò realem omnibus in vniuersum baptizatis institutam ac demandatam fuisse contendit: vt eam symbolum quoddam aquæ baptismatis, victoriæ ex Sathana, & puritatis conscientię ante sumptionem Eucharistiæ, esse statuat. Ideoq; talis expiationis necessitatem, præter sensum & authoritatem Romanæ etiam Ecclesiæ sic asseuerat: Sunt tamen (inquit) qui dicant, & excusare conentur, quia hoc in ministerio faciendum est, non in baptismate, non in regeneratione, sed quasi hospiti pedes lauandi sunt. Aliud est humilitatis, aliud sanctificationis. Deniq; audi quia mysterium est & sanctificatio: Nisi lauero te, non habebis partem mecum. Hoc ideo dico, non quòd alios repræhendam, sed mea officia ipse commendem. In omnibus volo sequi Ecclesiam Romanam: sed tamen & nos homines sensum habemus: ideo quod alibi rectiùs seruatur, & nos rectè custodimus. Ipsum sequimur Apostolum Petrum, ipsius in hæremus deuotioni. Ad hoc Ecclesia Romana quid respondet? Vtiq; ipse est nobis author huius assertionis Petrus Apostolus, qui sacerdos fuit Ecclesiæ Romanæ. Ipse Petrus ait. Domine non solùm pedes, sed etiam manus & caput: vide fidem. Quòd autem excusauit simplicitatis fuit, quòd postea se obtulit, deuotionis, & fidei. Et alibi dicit: Non aduertit mysterium, ideo ministerium recusauit: quod grauari humilitatem serui crederet, si sibi obsequium Domini patienter admitteret. Hæc Ambrosius. Similis sententiæ est S. [a] Bernardus: qui insuper lotionem istam reputat pro sacramento, (quamuis vt mihi videtur, largo modo sumpto) per quod venialia peccata (quibus nō expiatis, non fit aditus regni cælorum, in quod nihil coinquinatum possit introire) purgantur. Sic vtraq; ista sententia, huic Cærimoniæ virtutem quandam sanctificationis, quasi ex opere operato attribuit. Porrò S. [b] Cyprianus & Augustinus, emundationem quidem internam per istam ablutionem concedunt, non tamen in opere & virtute, sed in signo & externo tantùm symbolo. Deniq; S. Basilius rationem istius ablutionis quam reddit Dominus, ad solius Petri personam refert: adeò vt nō tam lotionem ipsam ab eo requirat, quàm obedientiam, quam nisi ad finem præstiterit, partem cum Domino non esset habiturus. Sed istæ sententię, quamuis in re ab Ecclesia nō definita, pio animo, & ad ædificationem fuerint prolatæ, neq; abijciendæ: tamen veluti particulares, sensu vniuersalis Ecclesiæ non sunt comprobatæ; cùm contextui Euangelico repugnent potiùs, quàm

a Bernardus Ser: de Cœna Domini, & ablutione pedum.
Apoc:21. ver:27.

b Cyprianus Ser: de ablutione pedum. Aug: Tract: 56. in Ioan. Basilius oratione de peccato.

quàm cōueniant. [a] Si enim Christus in lotione illa voluisset sanctificationem aliquā realem, & quidem præcepto vniuersali firmatam statuere: dixisset vtiq; si non omnibus passim, saltem soli Petro: si non lauero tibi pedes, non habebis partem mecum. Iam verò cùm dicit, si non lauero te, intendit procul dubio (vt etiam S. coniicit [b] Augustinus) aliam lotionem vniuersalem, suæ per aquam & sanguinem redemptionis, quam proximè in cruce esset consumaturus: cuius & discipuli per fidem & baptismum, arrham quandam suscepissent. Vt ipse Dominus veluti apparatum & ingressum, ante ipsam nouæ legis institutionem, mystica pedum ablutione præsignaret. In quē sensum addidit: [c] Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem postea, hoc est, post resurrectionem, quando doctrinæ suæ mysteria pleniùs perceperunt: & huic intelligentiæ rectè correspōdebit interminatio, quę sequitur: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Huic expositioni acquiescit in alijs locis [d] Ambrosius: quando dicit ablutione pedum indiguisse etiam Petrum innocentem, cuius tamē calcaneo serpens insidiari non desiisset. Similiter istud factū Christi, ad nudam spiritualem intelligentiam trahere duriusculum videtur: cùm Dominus in hoc tractatu, vbiq; de reali ablutione loquatur, & in fine sic concludat: Si ergo ego Dominus & magister vester, laui pedes vestros, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Ex quibus vel solis verbis concidit tertia opinio, ad solius tantùm Petri personam verba illa, & lotionis mysterium pertinuisse. [e] Ecclesia igitur ablutionis illius mysterium, ad internam quandam conscientiæ expurgationem potissimum refert: sic tamen, vt anniuersariam quoq; eius memoriam retineat, ad mutuam charitatem & humilitatem inuicem debitam, anniuersario quasi ritu contestandam.

Cap: VI, Quod antequam pertractemus, visum est aliquas rationes eius facti, Christi intentioni & literæ non inconuenientes, præmittere.

I. [f] Primò igitur in hac lotione videtur Dominus seruare voluisse morem nationibus passim, præsertim in Palæstina vsitatum, vt nouis & gratis hospitib⁹ initio exceptionis & refectionis, partim ex ambulationis necessitate, partim ex hospitali humanitate, pedes abluerent. Nec desunt exempla [g] sacra: quando Angelis in specie virorum, Abraham & Loth, Laban seruo Abrahæ, & alij alijs, simile officium præstitisse leguntur. Vt autem mori non desit mysterium: videtur Dominus in vera carne apparens, officium in adumbrata adhuc humanitate quondam sibi exhibitum, semini & posteritati Abrahæ, postquam eius carni & sanguini verè communicasset, rependere voluisse. Sed eundem ritum Christ⁹ tempore suo quoq; fuisse vsitatum & familiarem testatur,

a Præceptum lotionis pedū quomodo intelligendum.

b August: Serm: 28. ad Eremitas.

c Ioan: 13. ver. 7.

d Ambr: de initiandis mysterijs cap: 6. Et in Prologo lib: de spiritu sancto:

e Lotionis pedū anniuersariæ in Ecclesia mysteria & rationes.

f Lotio pedum antiquis cur vsitata.

g Gen:18. ver:4. & cap:19. vers. 2. cap. 24. vers. 32. cap. 43. vers. 18. Iudic:19. ver. 21.

a Lucæ 7. v. 44.

testatur, quando Simoni [a] Pharisæo, sese ad epulum inuitanti exprobrat dicens: Veni in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, &c. Sed quoniam istud lotionis officium præcedebat conuiuia,

II.
b Testamentum vetus lotione ad nouum statuendum expurgatur. Hanc & sequentem rationẽ habent. Irenęus lib. 4. cap. 39. Cypr: de ablutione pedum. Cyrill: & August: super hunc locũ.

hic autem cœnam consecutum est: damus [b] secundam rationem. Christum vsum fuisse tali lauacro post cœnam legalem, infra cęnam communem, & ante ipsam nouæ legis cœnam, ad significandum, se ad finem & complementum perducere legales cærimonias, quarũ protestatio communis fiebat frequenti ablutione externa Iudaica, præsertim manuum: eam itaq; Christus ad extremas pedum partes quodam modo perductam, terminare cæpit. Quod mysterium etiam Apostolus innuit dicens [c] "Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua consperfio, sicut estis azimi: per fermentum, legem peccati & "seruitutis, per azima, legem gratiæ & libertatis designans. Ex hac

c 1. Cor: 5. ver. 7.

III.
d Exo: 19. v. 10. Malach: 1. ver. 11.

ratione prodit sese [d] Tertia. Sicut enim olim Deus, immò hoc ipsum verbum æternum Dei filius, daturus legem per Moysen præceperat, vt priùs populus per ablutionem externam mundaretur: Sic modò instituturus pactum & fœdus sempiternum, & hostiam mundam in toto mundo iugiter offerendam, meritò præmittit externam ablutionem in pedibus, qua veluti ab ipsa anima totoq; homine, per extremas partes inquinatio peccati protruderetur.

IIII.
e Pedes euangelisantium pacem abluit verbum æternum. Isaiæ 52. ver. 7. Rom: 10. ver. 15.

[e] Quarta ratio. Christus abluit pedes suis discipulis, per quos mundum immundum abluere & conuertere intendebat: vt sic compleretur illud, quod Apostolus ex Isaia de eisdem Apostolis adducit: "Quàm speciosi pe-"des euangelizantium pacem euangelizantium bona? Vere enim speciosi pedes ad annunciandum verbũ vocale, quos verbum æternum sua sanctificatione abluisset.

V.
f Lotione pedũ proditur innocẽtibus proditor.

[f] Quinta ratio dari potest, *literæ* & intentioni Christi non incongrua. Cùm enim ipse rogatus, Ioanni & Petro proditorem suũ porrectione intincti panis indicasset, eundem reliquis discipulis manifestat occasione communis ablutionis pedum dicens: "Et vos mundi estis sed non omnes: Sciebat enim quis esset "qui traderet illum. Propterea dixit: Et vos mũdi estis sed nõ omnes.

VI.
g Humilitatis symbolum Christianũ pedũ lotio Matth: 11. ver. 29.

[g] Sexta ratio, quam ipse Dominus potissimùm intendit & asseuerat: vt isto vilissimo obsequio, discipulos, eorumq; successores, perfectã edoceret humilitatem, quemadmodum antehac dicebat: "Discite à "me quia mitis sum & humilis corde. Quam doctrinã hîc rursus suo "exemplo sic perficit: Si (inquiens) ego Dominus & magister vester "laui pedes vestros: & vos alter alterius debetis lauare pedes. Exem-"plum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, sic & vos "faciatis. O miram & profundam humilitatem.

h Isaiæ 14. ver. 13. Genes: 3. ver. 5.

[h] Lucifer in cælo ad ministrandum constitutus, soliũ diuinum aggreditur: Eua ad operandum

randum & custodiendum paradisum præposita, diuinam scientiam & excellentiam vsurpare conatur. Sed quid præuaricatores induco? Maximus ille inter natos mulierum [a] Messiæ præcursor, officium calceamenti propter eius maiestatem dedignatur. Ioseph Patriarcha charitate & humilitate simul clarissimus, fratres tamen tantis lachrymis exceptos, alienis manibus abluit. Filius Dei autem factus homo, & seruilem formam assumens, veniensq; ministrare non ministrari, abluit pedes vilissimis piscatoribus: sed quid dico, etiam ipsi Iudæ, (vt aliqui ex Doctoribus sacris asserunt) quẽ alioqui proditorem & ipsum Diabolum paulò ante denunciasset. De qua humi-

a Matth: 3. v. 11. Gen: 43. ver. 24.

b August: Serm: 28. ad Eremitas.

"litate sic etiam Augustinus: [b] Deponit (inquit) Dominus vestimen-"ta, linteo se præcinxit, & ad Principem Apostolorum primò (vt ar-"bitror) venit, ante eumq; genu flexit diuinitas incarnata. Deus ante "hominem: Creator ante creaturam: Magister ante discipulum: Rex "ante piscatorem: Doctus ante indoctum: Sapientia ante ignoranti-"am: Pulchritudo ante deformitatem. Hæc ille. Deinde exposcebat "tale humilitatis & propriæ abiectionis exemplũ ipsa opportunitas. Cùm enim ex occasione (vt conijcio) inquisitionis de traditore, discipuli contentionem maioritatis vel præcedentiæ incurrissent: tanta præsumptio erat tanto propriæ abiectionis exemplo refrænanda.

Cap. VII.

VII.
c Obedientiã exactã docet Christus in Petri ablutione.

[c] Septimò voluit ista occasione ablutionis, Christus, tunc ipse Patri obediens vsq; ad mortem crucis, edocere suos discipulos exactam Deo obedientiam. Quod sufficientissimè præstitit in Petri redargutione. Quamuis enim ille iustissima ratione hoc loco diceret: Do-"mine tu mihi lauas pedes? Non lauabis mihi pedes in æternum: qui "alibi simili ratione ad pedes Domini prostratus dixisset: [d] Exi â me "Domine, quia homo peccator ego sum. Tamen ad vnicam Christi interminationem, non solùm pedes, sed manus & caput, tanquam præcipua actionum humanarum instrumenta abluenda exhibet. Ex quo exemplo S. [e] Basilius tradit quatuor regulas perfectæ erga Deũ obedientiæ, eiusq; mandata. Prima est. Quicquid tandem Deus præcipit, istud esse sine vlla tergiuersatione exequendum. Sicut Petrus rationabiliter quidem refragatur magistro, propter eius reuerentiã: tamen perspecta eius voluntate, totum se illius mandato subiicit. Ad eundem modum [f] Ezechiel propter iussionem Dei, non refragatur contra naturam, panem stercore humano pollutum comedere. Secunda regula. Præcepta diuina non sunt humanis rationibus vel vsibus metienda vel discutienda: sed sine tergiuersatione absolutè exequenda: quamuis etiam honor seu dignitas præcipientis diuersum suadeat. Sicut Petrus honorem magistri præcauendo, reproba tur,

d Lucæ 5. ver. 8.

e Basilius in Regulis moralibus & breuioribus.

f Esech. 4. ver. 12.

batur, simpliciter autem obediendo, beatificatur. Deterior multò
a Isaiæ 7. ver. 12. hypocrisis notatur in Rege [a] Achaz: qui iussus signum exquisitissi-
mum à Deo petere, ad liberationis mysteriũ, ausus est dicere: Non "
petam & non tentabo Dominum. Tertia regula. Rescindendum est,
quicquid contra vel præter præceptum Domini promissum esset, vel
constitutum. Petrus enim cùm antea dixisset: Non lauabis mihi pe- "
des in æternum, correptus à Deo, mutat mox sententiam dicendo:
Non solùm pedes, sed manus & caput. Stultè igitur sed etiam im- "
piè pleriq; Christiani, nolunt dimittere proximis iniurias, vel exhi-
bere opera à Deo præcepta, sibiq; salutaria, quòd sese aliquo promis-
so, execratione, vel voto, in contrarium obstrinxissent. Quartò S. Ba-
silius ex hoc exemplo docet, in seruandis mandatis diuinis exactam
b Iacobi 2. v. 9. constantiam & perseuerantiam, iuxta illud Iacobi: [b] Qui in vno "
deliquerit, factus est omnium reus. Quamuis enim Petrus antehac,
propter singularem cælestem diuinitatis reuelationem, à Domino
fuerit beatus denunciatus, & hîc rursus ex lotione interna puritatis
& integritatis testimonium acceperit: tamen propter vnicam vo-
luntatis Magistri cælestis renitentiam, ob honorem & maiestatem
eius susceptam, nisi ad finẽ obediat, à mercede sui cõmercij reijcitur.

VIII. [c] Octauò & postremò aduertendum est, Christum imitationem Cap. VIII.
c Christus qualem sui imitationẽ in vltima cœna reliquit.
sui commendare, non solùm in lotione pedum, sed etiam in genere,
quando subinfert: Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego "
feci, & vos faciatis. Ex quibus verbis S. [d] Augustinus colligit, non "
d August: Serm. 28. ad Eremitas.
solùm in humilitate, sed etiam in alijs virtutibus, quas Dominus
circa illam præsertim cœnam veluti consignauerat, sese imitandum
proposuisse. Quasi Dominus diceret: Si sum magister, discite à ma-
gistro: si Dominus, erubescat hoc dispicere seruus: si ergo peperci
proditori, & vos inimicis parcere studeatis: si ante eum genu flexi,
humiles ante aduersarios estote: si me ab eo permisi osculari, & vos
maxillam præbere dignemini: si proditorem amicũ vocaui, & vos
inimicum amicum vocare corde & opere non dedignemini. Quia
non est seruus maior Domino suo. Et paulò post: Iudas (inquit)
postquam ab eis discessit nocte, (id est, cœcitate Diabolica percitus)
mox magister vndecim congregauit, & ait: Filioli, modicum tem- "
pus adhuc vobiscum sum: ideo mandatum nouum do vobis, vt di- "
e Christ9 nouus homo & nouus Rex nouũ mandatum dedit.
ligatis inuicẽ sicut dilexi vos. [e] Nouus enim erat homo. Quia qua-
tuor modis generantur homines: aut sine matre, vt Eua: aut sine
patre & matre, vt Adam: aut ex patre & matre, vt homines: aut sine
patre, ex matre tantùm, vt Christus. Benè ergo nou9 erat, quia Deus
& homo erat. Nouum etiam regnũ promittebat, quod nemo vnquã
promittere

" promittere ausus erat: ideo nouum quoq; mandatũ dabat. In lege
" enim veteri dictum erat: Diliges amicũ tuum, & odio habebis ini-
a Dilectio inimicorũ ꝑpria virtus Christianorũ.
micum tuum. [a] Sed Christus nouum mandatum dedit, quia vt ami-
cos inimicos deligere mandat: cæteræ namq; virtutes, fides scilicet,
oratio, eleemosyna, virginitas, & aliæ virtutes corporis, & infidelib9
communes esse possunt: sed inimicum diligere, tantùm Christiano-
" rum virtus est. Ideo magister veritatis dixit: In hoc cognoscent ho-
mines quòd mei estis discipuli, si dilectionem adinuicem habueritis.
Et postea rursus sic concludit: Si ergo fratres cupimus esse ciues cæ-
lestis ciuitatis, seruemus nouum mandatum nouæ ciuitatis. Ex qui-
bus Augustini verbis colligere etiam possumus, obsequium lotionis
pedum, à Domino, suis in lege noua fidelibus fuisse commendatum,
ad propriæ virtutis Christianæ, quæ charitas est, professionem, quæ
nimirum vera humilitate inchoaretur, & ad extremum comproba-
b Lotio pedum mutua, symbolũ humilitatis. August: Tract: 58. in Ioannem.
retur. [b] Si enim pedibus tanquã extremis & abiectioribus membris
tam humile impenditur obsequiũ, signum est, toti proximo in ani-
mo & corpore, non fore denegatum, aut denegandum. Quod idem
Augustin9 alibi sic explicat: Didicimus fratres humiliatẽ ab excelso,
faciam9 inuicẽ humiles q̃ humiliter fecit excelsus. Magna hęc est cõ-
mendatio humilitatis: & faciunt hoc sibi inuicẽ fratres etiam opere
visibili, cùm se inuicẽ hospitio recipiũt. Est enim apud plerosq; con-
suetudo, huius humilitatis vsq; ad factum quod cernatur expressa.
Vnde Apostolus cùm viduam bene meritam comendaret: [c] Si ho- c 1. Tim: 5. ver. 10.
" spitio (inquit) recepit: si sanctorum pedes lauit. Et apud sanctos vbi-
cunq; hæc consuetudo non est, quod manu non faciunt, corde faci-
unt, si in illorum numero sunt, quibus dicitur in hymno beatorum
d Daniel. 3. v. 87.
" trium virorũ: [d] Benedicite sancti & humiles corde Domino. Multò
enim est meliùs, & sine controuersia veriùs, vt etiam manibus fiat,
nec dedignetur, quod fecit Christus facere Christianus. Cùm enim
ad pedes fratris inclinatur corpus, etiam in corde ipso excitatur, vel
si iam inerat, confirmatur ipsius humilitatis affectus. Hactenus ille.
e Ablutionis anniuersariæ in die cœnæ Domini ꝑ Papam ratio & apologia.
Cap. IX. [e] Quod autem de communi hoc Christianorum officio intellexit
Augustin9, idem de illo, q̃ specialiter Prælati spirituales, sibi subditis,
vel pauperibus præstare solent, intelligendum est. Quod enim sum-
mus Ecclesiæ sacerdos, anniuersaria quasi facti Christi imitatione,
ipso die Cœnæ Domini tredecim pleruq; pauperibus ex promiscua
natione conquisitis, solet magna solennitate lauare & exosculari pe-
des, mensæq; interdum illorum ministrare. Primum quidem nume-
rum collegij Apostolorum, Matthia & Paulo adnumerato, obseruari
intelligimus: deinde ipsam quoq; ab Apostolis fundatam vniuersita-

 tem fide-

tem fidelium, & ſub vno paſtore congregatam: cui quamuis idem
Paſtor in loco Chriſti & Petri præſit imperio: tamen non minus ſeſe
ſubijcit humilitatis obſequio, ſeruum ſemetipſum ſeruorum Dei nō
ſolùm aſſerens titulo, ſed etiam exhibens exemplo, ſecundum quod
Dominus præcepiſſet: Qui ex vobis voluerit eſſe maior, ſit veſter „
miniſter. Oſculum quoq; ablutioni ſubinfert, vt charitatem intimā, „
qua vniuerſo ouili Chriſtiano colligatus eſſet, conteſtetur. Eadem
intentio reliquorum Prælatorum, quoties obſequiū hoc ſubditis vel
fratribus ſuis exhibent, ſpectanda eſt: vt nimirum humilitatis erga
ſeipſos, & charitatis erga ſibi ſubiectos, perpetuum affectum, iſta lo-
tione veluti anniuerſario ſymbolo profiteantur. [a] Et hac ratione
puto Cærimoniam iſtam Mandati retinuiſſe denominationem: quòd
nimirum proprium charitatis mandatum, & ſingularem humilitatis
eruditionem, à Domino alijs proprio exemplo tradendam accepiſſet.
Addunt etiam Doctores ſacri, & ipſa oratio circa eundem ritum dici
ſolita teſtatur: lotionem hanc externam extremorum membrorum,
eſſe quandam profeſsionem vel commonitionem puritatis, quam
vnuſquiſq; ad Dominicam cœnam accedens adferre debet: vt mor-
bus culpæ, pharmaco pœnitentiæ ad extremas veluti partes animæ
propulſus, reatus reliquias, iſta humilitatis & charitatis pſteſtatione
expiaret. Quod expreſſe [b] docet S. Cyprianus: Cùm enim oſtendiſſet
baptiſmi ablutionem, ſicut & quædam alia ſacramenta, iterari non
poſſe: aſſerit eiuſmodi pedum ablutionē ad deſignandam quotidia-
narum culparum, ad exemplum veteris legis, expiationem, fuiſſe à
Domino commendatam. Quod ſequenti Apoſtrophe meliùs adhuc
elucidat: Propter hoc (inquit) benigniſsime Domine pedes lauas „
diſcipulis: quia poſt baptiſmum quem ſui reuerentia non patitur ite- „
rari, aliud lauacrum procuraſti, quod nunquam debeat (intellige ſpi- „
rituali intentione) intermitti. Tamen ipſe quod doces, facis: vt quanti „
quæſtus hoc opus ſit, ex tua bonitate diſcamus: & inclinata ad pedes „
altitudine tua, ſtans aduerſus proximos, & erigens ſe contra Deum „
confundatur ſuperbia hominum: & ad humilitatem Dei nouerit ſe „
humilia ſapere lutum, &c. Hæc flagrantiſsimus humilitate & chari- „
tate martyr Cyprianus. [c] Prophanos igitur non Chriſtianos oſten- Cap. x.
dunt ſeipſos eſſe, noſtri temporis Hæretici, qui ſicut alia rationabilia
Eccleſiæ Catholicæ ex dictamine Spiritus ſancti inſtituta, ſic fa-
ctum hoc ab ipſo Domino, ſaltem eo ſenſu quem explicamus, de-
mandatum reijciunt, & contumelijs proſcindunt. [d] Auſus eſt Calui-
nus innata contra Eccleſiam rabie, in hæc verba prumpere. Papiſtę „
vbi Chriſtū ſequi docebant, Simiæ fuerunt magis quàm imitatores. „

a Ablutionis Cærimonia cur mādati nomen retinet: & puritate interna conteſtatur.

b Cyprianus de ablutione pedū.

c Hæretici ablutionis pedum ritum quàm ſugillent, eorumque confutatio.

d Caluin9 in cōmentarijs ſuper hunc locū Ioan:

Quotannis

„ Quotannis theatricam pedum lotionem inſtituunt: ita inani nudaq;
„ Cærimonia ſe pulchrè defunctos eſſe putant. Defuncti ſibi permit-
„ tunt fratres contemnere. Neq; id modò ſed poſtquam duodecim ho-
„ minibus lauerunt pedes, omnia Chriſti membra crudeliter lacerant:
„ adeò in faciem Chriſti ipſius conſpuunt: Quare nihil quàm fœdum
„ Chriſti ludibrium eſt comica illa pompa: nec certè Chriſtus hîc an-
„ niuerſarium ritum commendat: ſed nos tota vita paratos eſſe iubet
„ ad lauandos fratrum pedes. Hæc ille Genuenſis Archiſynagogus.
Cùm tamē vel ex his quæ hactenus diximus conſtare poteſt, Eccle-
ſiæ ex Spiritu ſancto in hac lotionis Cærimonia inſtitutum. [a] Quod
Catholici iuſſu Domini exequuntur, non animi ſolùm præparatione
vt Caluinus, ſed vt Dominus ipſe fecit, & fieri mandauit, operę &
veritate: vt etiam opere & veritate partē cum Domino promiſſam
conſequantur, quæ Caluinicæ vanæ fiduciæ, animi quoq; præpara-
tione, & non re ipſa, veniet expectanda. Deinde quòad tempus, ſępè
hoc inuicem ſibi Catholici, modo quo ſupra diximus exhibent: ſed
eò magis in ipſo Cœnæ Domini anniuerſario: tum quòd eadem die
Dominus idipſum diſcipulis præſtitiſſet: tum quòd, ſicut animo in-
teriùs, ſic corpore exteriùs, incipiunt recolere memoriam Dominicę
paſsionis: ſiquidem ex ea lotionis hora, Dominus legatur turbatus
fuiſſe ſpiritu, & agonem ſuæ paſsionis inchoâſſe, quando etiam dice-
„ ret: [b] Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem. Si ergo quod Dominus
tunc exegit, nos quoq; eius inſtituto recolimus, Caluino eſſe videtur
theatricum, bene illi conueniet cum Anna, Caipha, Herode, Pilato,
quando effuſis in Dominū omnibus improperijs clamabant: [c] Ecce
„ homo: & rurſus in cruce: Vah qui deſtruis templum Dei, & in tri-
duo reædificas illud. Et ſic non Catholicis, ſed ſibi imputet, quòd
poſt ſuam iſtam Comicam vel potius Tragicam cenſuram, contem-
nat non ſolùm fratres, ſed & Eccleſiam matrem, ipſumq; etiā Chri-
ſtum Patrem, cuius membra, ſed & caput ipſum crudeliter laceret,
& faciē conſpuat. [d] Niſi fortè ipſe Hæreſiarcha ſua à Lucipero mu-
tuata ſuperbia, Catholicos qui lauant & lauantur, reputet pedes, ſe
ipſum autem caput cum ſuis membris, hæretica nimirum colluuie,
quam quidem ipſo die Cœnæ Domini (ſicut olim Chriſtus Iudam
proditorem) per Bullam Cœnæ Domini, à die execrationis ſic dictā,
Catholici meritò lacerant, & diris atq; execrationibus deuouent: ſic
tamen iuſtitiam extendentes, vt miſericordiam non omittentes, po-
ſtridie die Paraſceues, pro ipſorum illuminatione meritum paſsionis
Chriſti interpellent. Poſtremò ſi quod Dominus ipſe fecit, & facien-
dum ſuo exemplo mandauit, videtur Caluino eſſe Comica pompa,

a Apologia Cærimonię ablutionis pedum.

b Matth: 26. v. 38.

c Ioan: 19. ver: 5. Matth: 28. ver. 39.

d Hæreticos Eccleſia mater partim execratur, partim recolligit

& fœdum

& fœdum Christi ludibrium: veriùs dixerint Catholici, tragicas & sanguinolentas pompas, quas Caluinismus cœnæ prætextu inuexit, esse Christi non solùm ludibrium, sed etiam signo relicto, & re sacramenti sublata, ex vero fidelium vsu, veri corporis sui repudium & exterminium. [a] Vereor tamen, Catholici Auditores, ne tantæ in rem alioqui sacram hæreticæ debacchationi data fuerit occasio per aliquorum abusum. Ipsi enim non solùm audiuimus, vidimus, & oculis perspeximus, sed manus etiam nostræ contractauerunt, alicubi Prælatos sua Clericali corona cinctos, exacta in Ecclesia Missa maiori, non seruata Vesperarum vel meridiei, vel saltem (vt præscribitur) officij Nouæ hora, mensæ accumbere: ac velut triplicem cœnam Christi æmulantes, satis lautum prandium vel conuiuium domi exigere. Demum optimè pastos, & quandoq; largiùs potos, Ecclesias vel Refectoria tumultuariè, famulis & promiscua plebe comitatos, irruere. Ibiq; gestu huic intentioni de qua diximus, non satis competenti, exacto Euangelij cantu, non pedes, sed manus, stantes & ipsi, stantibus quoq; socijs, ex vasis argenteis & deauratis abluere, ac linteo bysino, sericis, auroq; interdum intertexto, easdem extergere. Exinde (quod Christus nec facit nec mandauit) panem azimorum, (vulgò ablatorum) quorum in sacrificio & in communione vsus esse solet, strues in tabula pretiosè strata superpositas, ad manducandum, primò quidem sibimetipsis, & assidentibus vel astantibus socijs per ordinem, deinde etiam circumstanti turbæ vtriusq; sexus, fauoribus sæcularibus non omissis, distribuere. Similiter etiam vinũ meracum, eodem ordine vel potius eadem confusione sibi inuicem propinare: dum vnusquisq; ex plebe maiores partes (quas etiã nonnulli noua superstitione ad domos asseruandas referunt,) eripere conatur. [b] Iam si quid tale vel simile vidit Caluinus, ex particulari exemplo vel potiùs abusu, (quod Hæreticis proprium est,) pium & sanctum institutum, cum potiùs emendandum foret, prorsus reijcit, atq; tantis calumnijs & maledictis proscindit. Sed legisset ipsam Ceremoniæ istius ordinationem, in qua certè nihil nisi humilitatis, charitatis, & ædificationis plenum inuenerit. [c] Tales certè non prorsus reijcere, sed ad normã institutionis reuocare, decet: exemplo Apostoli non extra propositum præsens sic dicentis: Conuenientibus vobis in vnũ, iam non est Cœnam Dominicam manducare: vnusquisq; enim cœnam suam præsumit ad manducandum: & alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Nunquid domus non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent? Quid dicam de vobis? Laudo vos?

Cap. XI.

a Circa ritũ lotionis pedum in die Cœnæ Domini abusus.

b Hæretici propter abusum bona instituta tollunt, potiùs corrigenda.

c Abusus ablutionis pedũ, Cœnæ Corinthiorũ similis.

1. Cor. 11. ver. 20.

vos? in hoc non laudo. Ad talem igitur abusum studiosiùs tollendum, & scandalum auertendum, huic nostræ infirmæ admonitioni, in sequenti Sermone, succedant sanctorum aliquot Doctorum orthodoxorum grauissimæ instructiones & admonitiones: quæ & hæreticam leuitatem vel potiùs temeritatem, in talibus oppugnandis reprimant, & veros fidei Catholicæ cultores, ad instaurandam veram puritatem, per spiritualem mentis ablutionem disponant: largiente hoc ipsum Domino & expiatore nostro Iesu Christo: qui cum Deo Patre & Spiritu sancto est in æternum Deus benedictus. Amen.

Sermo secundus.

DE GESTIS IN DIE COENÆ DOMINI: De ablutione pedum: De pœnitentibus reconciliandis & præparatione ad communionẽ sacram: De Chrismate conficiendo, eiusq; mysteriis & vsu. Ex Iuone Carnotensi, Augustino, & Cypriano.

Sermo B. Iuonis Episcopi Carnotensis, de Cœna Domini.

Cap. I.

OPtatus nobis, dilectissimi, dies remissionis aduenit, quo mater Ecclesia membra sua tanquam putrida hactenus à se proiecta, intra societatem commembrorũ suorum recipit, quo peccantes filios suos pœnitentiæ legibus emendatos, sequestrationis rubore castigatos, ad Sacramentum reconciliationis admittit. Et meritò hic dies huic Sacramento est deputatus, quo Dominus noster Iesus Christus corpus illud, quod pro nobis proximè erat traditurus, discipulis ad manducãdum, sanguinem quem pro nobis fusurus erat, tradidit ad bibendum. Eo ergo die nullus fidelis extorris debet esse à corpore Christi, quod est Ecclesia, quo die medicinã suæ reconciliationis, corpus scilicet & sanguinem Christi, suscepit Ecclesia. Hodie veteris sacerdotij ritus, quo [a] sanguis vitulorum & hircorum fundebatur, & cinis vitulæ extra castra crematæ adspergebatur, ad emundationem tantummodo carnis, de medio sublatus est: & noui sacerdotij ritus, quo caro Christi extra portam passa, & sanguis Christi pro nobis fusus, emundatus carne & spiritu, sanctificat, veteri sacerdotio subrogatus est. Dicit enim Apostolus: [b] Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, & posuit

Dies Cœnæ Domini qbus beneficijs deputatus.

a Hebr. 9. v. 12.

b 2. Cor. 5. v. 18.

& poſuit in nobis verbum reconciliationis. Quo ergo die conuenientiùs debent miniſtri noui ſacerdotij hoc reconciliationis celebrare Sacramentum, quàm eo die, quo ab authore noui ſacerdotij hoc primitus eſt inſtitutum? [a] Huic etiã reconciliationis Sacramento congruit, quòd hodie diſcipulorum pedes lauit, quòd hoc diſcipulis ſeruandum eſſe mandauit, non quòd indigerent lauari, ſicut ipſe ait, qui loti erant aqua ſalutari, ſed quia affectus hominũ, [b] quibus tanquam pedibus ad Deum acceditur, vel à Deo receditur, non poſſunt terreno puluere non fœdari, quos oportet inter mundi turbines in medio hominum polluta labia habentium & habitare, & inter luculenta mundi negotia conuerſari. Hæc ergo ablutio pedum, mundatio eſt affectuum; vt ſi quas de terrena conuerſatione fœdas imagines introrſum traximus, hoc ſacramento diluamus. [c] Et pulchrè huic ſacramento reconciliationis conſonat, quòd caput, id eſt Chriſtus, corporis pedes lauat, id eſt, vltima membra ſua per officium paſtorum ſibi reconciliat. Nos enim dicti Paſtores, & veluti capiti viciniora membra, dum pro peccatis noſtris oramus, cùm pro exceſsibus veſtris lachrimas fundimus: quid aliud facimus, niſi quòd vobis pedes, quibus ad Deum redeatis, abluimus? Cùm etiam peccatorum noſtrorum memoria conterriti, in oratione noſtra de capite lachrymas fundimus, an ne conſcientias noſtras tanquam pedes immundos, à terreni contractus ſordibus emundamus?

a Lotionis pedũ inſtituti myſteriũ

b Sordes quotidianæ abluendæ. Iſaiæ 6. ver: 5.

c Chriſtꝰ caput, pedes membrorum lauat.

Cap: II.

[d] Quia ergo vos hodierna die, fratres, ad tam deſiderabile ſacramentum reconciliationis admittimus, ſub Dei miſeratione, quantum in vobis eſt, laborate, vt quod vobis foris per officium noſtrum miniſtratur, in veſtris mentibus rei veritate cõpleatur. Non ſitis [e] domus illa ſcopis mundata, id eſt, pœnitentiæ ſacramentis palliata, ad quam reuertitur immundus ſpiritus, qui inde per confeſsionem exierat, & inueniens eam vacantem, id eſt, nulli veræ virtuti operam dantem, ingreditur ibi cum ſeptem alijs ſpiritibus ſe nequioribus, id eſt, omnibus ſuperſtitionis generibus, & fiunt nouiſsima homini illius peiora prioribus. Nouiſsima enim eorum peiora prioribus fiunt, quia peccata, quibꝰ in confeſsione renunciauerant, occultè committunt, & ea diuerſis coloribus ſuperſtitionis operire contendunt. Huiuſmodi hypocrytas æquiparat Dominus [f] ſepulcris foris dealbatis, & vaſis extra mundatis, quæ intus plena ſunt fœtore & ſordibus. Mundate ergo fratres conſcientias veſtras, & vaſa honeſta & apta ſitis ad accipiendum corpus & ſanguinẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quẽ redempti eſtis, cùm perditi eſſetis, per quem reconciliamini, cùm iterum auerſi fuiſſetis, per quem ſaluandi eſtis, ſi intra ſocietatem mem-

d Exhortatio ad interiorem emũdationem.

e Lucæ 11. v. 25.

f Matth: 23. v. 25.

brorum Chriſti inuenti fueritis, cui reconciliati eſtis. [a] Qui enim manducat indignè, reus eſt mortis Domini. Quis eſt, qui manducat indignè? Qui capit ore, & non capit corde. Qui non eſt membrum capitis, nec caro Chriſti corporis, hic accipiens corpus Domini, pœnas dabit mortis Domini: quia tali pœna plectetur, quali plectuntur, qui indignè ad mortem tradiderunt corpus Domini. Manete ergo in Chriſto, vt Chriſtus maneat in vobis, & dignè accedatis ad participationem Dominici Corporis & ſanguinis.

a Cor: 11. ver: 29.

S. Auguſtini Sermo CXXVII. de tempore.

Cap: III.

HOdie, fratres chariſsimi, audiuimus Euangeliſtam dicentem, Quia cùm ſurrexiſſet à cœna Dominus, poſuit veſtimenta ſua, & precinxit ſe linteo, & cœpit lauare pedes diſcipulorum. [b] Quid nos dilectiſsimi, in hoc loco dicturi ſumus? Quam excuſationem prætendere poterimus, qui dedignamur impendere peregrinis, quod ille dignatus eſt impendere ſeruis ſuis? Sed ſunt fortè aliqui viri potentes & nobiles, ſunt aliquæ delicatæ matronæ, quæ dedignantur ſe inclinare vſque ad veſtigia ſanctorum in hoc mundo peregrinantium: hoſpitum pedes non ſolùm ipſi dedignantur abluere, ſed nec ſuorum quidem cuiquam, vt pro ſe faciant, imperare. Erubeſcunt forſitan nobiles delicatis manibus viri, vel mulieres Chriſtianæ, in hoc mundo ſanctorum contrectare veſtigia, quia hoc natalium prærogatiua nõ patitur. [c] Mala nobilitas, quæ ſe per ſuperbiam apud Deum reddit ignobilem. Erubeſcunt ergo nobiles & potentes, ſanctis & peregrinis abluere pedes in hoc ſeculo: ſed ſi ſe nòn correxerint, plus habent erubeſcere & dolere, cùm ab illorum conſortio ſeparati fuerint in futuro. Tunc ſine vllo pœnitentiæ remedio affligentur, cùm illos, quos deſpexerant, propter humilitatem viderint accipere regnum, ſe propter ſuperbiam meruiſſe ſuplicium. [d] Timeamus ergo fratres, illud quod beatus Petrus Apoſtolus timuit, quando audiuit Dominũ dicentem: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Et dum Petrus recuſat, negat illi Chriſtus regnum, niſi accepiſſet obſequium: ne fortè & nos, ſi ſanctorum pedes dedignamur abluere, partem cum illis non mereamur habere: inclinemus nos potiùs ad ſanctorum vel peregrinorũ veſtigia: [e] quia cùm hoc ſancta humilitate complemus, illorum quidem pedes manibus noſtris tangimus, ſed animarum noſtrarum ſordes & maculas per fidem & humilitatem abluimus, & non ſolùm minuta, ſed etiam capitalia peccata purgamus.

b Erubeſcentes inſeruire peregrinis vel pauperibus taxantur.

c Nobilitas ignobilis quæ eſt ſine humilitate & pietate.

d Officij ablutionis pedum pauperum, ꝓpoſitæ pœnæ vel præmia.

e Pedum pauperum lotio, ꝓprias conſcientias abluit.

Cap: IIII.

[f] Gaudete ergo dilectiſsimi, & exultate in Domino, qui nobis in

f Cœna Domini quãta, eiuſq; ap-

hoc

paratus, ratio, & affectus.

hoc die salutiferæ consolationis mysteria consecrauit. Vnde autem commendauit Dominus corpus & sanguinem suum? Vnde nisi de humilitate sua? Nisi enim esset humilis, nec manducaretur, nec biberetur. Respice altitudinē ipsius. [a] In principio erat verbum. Ecce qualis est cibus sempiternus. Sed manducant Angeli, manducant supernæ virtutes, manducant cælestes spiritus: manducant & saginantur, & integrum manet quod eos satiat & lætificat. Quis autem homo posset ad illum cibum ascendere? Quia ergo ad illum panem homo non poterat ascendere, dignatus est panis ipse descendere ad hominem: & hoc cum ineffabili pietate factū est, quia oportebat vt mensa illa angelorū lactesceret, & ad paruulos perueniret. Sic ergo fecit sapientia Dei, sic nos per carnis assumptionē pauit pane cælesti. [b] Quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Vide ergo humilitatem, quia panem Angelorum manducauit homo: id est, verbum illud vnde pascuntur angeli sempiternum, quod est æquale patri, manducauit homo. [c] Et ideò fratres charissimi, quia nos Dominus noster patientia docuit, pœna liberauit, morte redemit, speremus semper in Domino, & nihil sine eius voluntate & adiutorio præsumamus. Nostis enim quid temerè beatus Petrus promiserit Christo: [d] Et si omnes, inquit, scandalizati fuerint in te, ego nunquā scandalizabor. Dominus qui nouerat fragilitatem humanam, & sciebat non esse in promissione, sed in consummatione virtutem: Amen, inquit, dico tibi, quòd in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis. Dicit ei beatus Petrus: Etiam si me mori oportuerit tecum, non te negabo. Videte fratres, responsionem discipuli, & intelligite dilectionis esse quod dixit. Sed quia per solum sui amoris studium, non addito etiam adiutorio Domini voluit esse promissum, stare non potuit per hominem, quod sub diuinitate pendebat: fuit quidē in voluntate, sed non fuit in virtute, sicut ipse Dominus dicit, [e] Spiritus promptus est, caro autē infirma. Et iterum: Sine me nihil potestis facere. Vsq; ad mortē promisit, & in timore negauit. Habuerat confessionem mirabilem, si habuisset in consummatione virtutē.

a Ioan: 1. ver: 1.

b Ioan: 1. ver: 14. Sap: 16. Ver: 20.

c Cœnā Domini sumpturis præsumptio cauēda.

d Matth: 26. v. 34.

e Ioan: 15. ver: 5.

f Probationis suiipsius ante comunionem sacrā modus.

Cap. V.

[f] Vnde dilectissimi fratres, rogo & admoneo vos, vt vnusquisque recurrat ad testem idoneum, id est, conscientiam suam: & si ibi aliqua vulnera inuenerit peccatorum, confugiat ad remedium lachrymarum, pœniteat se fecisse quod fecit, incipiat vigilantissimo corde præterita curare, præsentia vitare, futura prospicere, & Deo auxiliante, omnia mala repellere: quia quàndiu quis in hoc seculo viuere possit, ignorat, nec licet euadere, nisi pœnitentia præcurrente. Illud ante omnia, dilectissimi fratres, quod specialiter pertinet ad fideles,

pia fide,

pia fide, & tota animi deuotione cogitate. Accessuri ad altare Domini Dei nostri, inspicite vniuersa latibula cordis vestri, ne forte sint ibi aliqua peccata, quæ nondum curata sint eleemosynis atq; ieiunijs: & timete illud Apostoli: [a] Qui manducauerit corpus Domini, & biberit sanguinem eius indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de corpore illo edat, & de calice bibat. Nullus ex vobis contra vllum hominem odium reseruet in corde suo, vt securi possitis dicere: [b] Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Castitatem autem ante omnia custodite, gulam refrænate, ebrietatem fugite, pauperibus secundum quod vires suppetunt, eleemosynas date. [c] Et hoc ante omnia rogo, fratres charissimi, vt gaudium, quod nobis hucusq; de vestra deuotione fecistis, in die crastina, id est, in passione Domini, compleatis. Non enim qui cœperit, sed qui perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit. Et ideo sic agere debetis, ne per vnius diei negligentiam perdatis, quod per totam Quadragesimam acquisistis. [d] Sic est enim tota Quadragesima abstinere, orare vel psallere, & in passione Domini, id est, in Parasceue de ecclesia se subtrahere: quomodo si quis cum grandi labore studeat terram colere, & messem nō mereatur accipere. Et ideò rogo vos, vt nullus se de ecclesia subtrahat, nisi fortè quem aut corporis infirmitas, aut grandis & publica necessitas tenuerit occupatum. Ipse enim in Paschali solennitate legitimum gaudium poterit celebrare, qui in passione Domini se noluit de ecclesiæ conuentu subtrahere. Qui me in hac suggestione libenter audierit, confido quòd illi Deus & in hoc seculo, & in futuro gloriosa præmia recompensabit: qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

a 1. Cor: 11. v. 29.

b Matth: 6. v. 12.

c Passionis Dominicæ recolendæ exhortatio, & apparatus.

d Dies Parasceues; messis totius Quadragesimæ.

Sermo B. Cypriani Mart: de Chrismate inscriptus.

Cap: VI.

Dici Cœnæ Domini gesta, & memoriæ.

DIes ista multiplicibus mysteriis honoratur. Hac die primùm cōmendata est nobis fractio panis, & mensa Ecclesiæ panem Angelorum hominibus proposuit ad manducandum. Hodie Christus pedes lauit Apostolis, & hoc solemni deuotione omni tempore agendum instituit. [e] Hodie in Ecclesia cum cæteris vnctionibus, ad populum acquisitionis sanctificandum, in participationem dignitatis & nominis, sacrum Chrisma conficitur: in quo mixtum oleo belsamum, regiæ & sacerdotalis gloriæ exprimit vnitatem, quib⁹ dignitatibus initiandis diuinitùs est vnctio instituta. [f] Hodie reconciliantur Ecclesiæ peccatores, & eiecti foras, ad matris vbera reducuntur, & exclusi à cœtu sanctorum, ad communionem qua

e Chrisma quid, eiusque mysteria. 1. Petr. 2. ver. 9.

f Die Cœnæ Domini vincula spiritualia & corporalia religabātur.

caruerant

caruerant reuertuntur. Hodie patent carceres, & damnati libertate donantur. Seueritate depoſita hodie iudices manſueſcunt, & vndiq; coniugata pietatis negotia, quaſi abortiuas traditiones antiquas ſepeliunt, & Chriſtianæ religionis parturiunt nouitatem. [a] Mortuus quippe eſt Moyſes, & veteris litteræ putruerunt ænigmata: à facie noui olei deſiccatæ ſunt vnctiones antiquæ, tota veteris inſtrumenti incompacta eſt ſtrues, tabernaculum demolitum, arca ab [b] Allophylis capta, totus templi decor ad Aſſyrios eſt tranſlatus. Neq; enim decebat vt Chriſtiana religio ornamẽtis viſibilibus occupata, in manufactis delectaretur: ſed ipſa tabernaculi conſumptio, & templi ruina, & ſancta in rapinam expoſita, excellentioris gloriæ intimarent ſtabilitatem: & manentia in perpetuum ſacramenta, cultores ſuos ad intuitum inuiſibilium informarent, & abſtractum à corporalibꝰ deſiderium noſtrum, cæleſtis templi concupiſceret & ambiret decorem: cuius nec antiquatur, nec ſeneſcit religio, in quo lucerna inextinguibilis ſine fine coruſat. [c] Vbi ſanguis animalium nō infertur in ſancta, nec ſunt hæreditariæ ſucceſsiones pontificum, vel vni Leuiticæ tribui miniſteria aſsignata: Sed de omni tribu, & gente & lingua, quos dignos & idoneos diuina probat electio, ſecundùm vitæ, non generis meritum, ſtatuit ſacerdotes, quibus calicem ſanguinis ſui inexhauſtæ plenitudinis abundantia ſemper refertum, conſeruandum tradidit, & erogandum: cuius [d] aſperſione & communione intus & extra, corda & corpora mundarentur.

a Legis Moſaicæ in legem Chriſti hoc die tranſitus eiuſq; ſtatus.
b Philiſtæos intelligit.
1. Reg: 4. ver:17.
Daniel: 1. ver:2.
c Sacerdotium Euangelicum ſuperat legale.
d Nota uſum calicis ad aſperſionem nō vſum elementalem, vt volūt nouatores.

Cap: VII.

[e] Hodie vt diximus, vnguentum ad ſanctificationem paratur, cuius fragrantia adoleſcentulæ & nouellæ animæ accedentes ad fidem illectæ delectantur, & exinanitionis eius ſuauitate delibutæ, diligunt & ſequuntur aromatum largitorem, & vſq; ad regis accubitum ſpiramine illo trahuntur, & poſt odorem illum vbiq; deſiderio ſancto perurgente, ſitibundæ diſcurrunt. Nihil hoc oleum commune habet cum liquoribus qui ex quorundam fructuū pinguedine exprimuntur, nec vis eius eſt ex craſsitudine penetratiua, quæ ſecundùm quaſdam naturales rationes emollit & temperat ſpiſſamenta humorum, quos ſolet intrinſecus aſtringere ſiccitas aliqua, vel corruptio conglobare. Non hæc medendis corporibus eſt vnctio inſtituta: quia ſanctificatis elementis, iam non propria natura præbet effectum: Sed virtus diuina potentiùs operatur: Sed adeſt veritas ſigno, & ſpiritus Sacramento: vt & ipſis rerum efficientijs gratiæ dignitas pateat, & interiori homini quanta ex his detur auctoritas, deiformi conuerſatione & cæleſtibus moribus innoteſcat. [f] Hoc oleo antiquitus ſacerdotes ſacrabantur & reges, & ipſi altarium lapides de-

e Chriſma qualis liquor eiuſq; vſus ſalutaris animæ.
f Sacerdotum, Regum & altarium vnctio.

libuti,

libuti, ſpiritalem intelligi volebant ſacris myſterijs ineſſe pinguedinem. [a] Et ſicut oleum fluitat, & humidis quibuslibet ſuperfertur: ita excellentia ſacerdotalis & regiæ dignitatis, ſecundùm formam Dei & Chriſti, ſub ſe omnia continens, regimen & munimen tam actiuæ quàm contemplatiuæ vitæ obtinet: & ex hoc humore conſtat deſcendere omnes gratiarum diuiſiones, quas ſpiritus Sanctus prout vult, ſingulis diſtribuit & largitur. [b] Ex huius vnctionis beneficio, & ſapientia nobis & intellectus diuinitus datur, conſilium & fortitudo cælitus illabitur, ſcientia & pietas, & timor inſpirationibus ſupernis infunditur. Hoc oleo vncti cum [c] ſpiritalibus nequitijs colluctamur, nec fœtoribus ſpurijs imbui poſſumus, qui balſami ſpiritalis odore fragramus. Hoc [d] oleum à creditorum vſuris ſub Heliſæo propheta mulierem pauperculam liberauit. Hoc [e] Heliæ tempore Sareptanam pauit, nec lecythus trina effuſione defecit. Hoc oleo [f] Iacob lapidem quem ſuppoſuerat capiti vnxit, & familiari mandato eruditus inter Sacramenta aſcenſionū & deſcenſionum, & diſcurſus angelicos, innixum ſcalæ ſublimi videns Deum, quid virtutis hæc haberet vnctio, intellexit. [g] Moyſes hoc oleo tabernaculum & ſacra vaſa perunxit, & ſuper caput Aaron tanta abundantia fudit, vt vſq; in barbam eius deſcenderet, & ſuper oram veſtimenti manaret, Samuel quoq; ad reges initiandos ſine oleo non accedit: & vſq; ad defectum & reprobationem carnalium cæremoniarum in populo illo huiuſmodi perſeuerauit traditio: Sed vaſis Iudaicis deficientibꝰ defecit gratia, & ſtetit oleum. [h] Impletis vaſis propheticis & ſanctis regibus ad patres appoſitis, in apoſtaſiā & diſcolatum verſum inſtabile vulgus, in ſe non retinuit locum, quem poſſet Spiritus ſanctus inhabitare, & vaſa amurca plena non ſuſcepêre liquorem, ſteteruntq; in ſummo fæces, quæ longo ſitu induruêre: & vbi domicilium religionis fuerat, ſterquilinium peccati computruit. [i] Nec tamen ceſſantibus his quæ ritu antiquo inoleuerant, cùm iam in populo Chriſtiano circumciſio videretur damnabilis, & ſacrificia idololatriæ imputarentur, vnctionis myſterium religio Chriſtiana contempſit: ſed cæteris generali ſanctorum conſenſu damnatis, non ſolùm in regibꝰ & ſacerdotibus vnctionis honor permanſit, ſed in omnem populum catholicum effuſa eſt huius gratiæ plenitudo. [k] Vt ſicut Chriſtus à Chriſmate dictus eſt, eò quòd ſingularis excellentiæ oleo vnxerit eum Deus: ita & participes eius quotquot ſunt, conſortes ſint tam vnctionis quàm nominis, & dicantur à Chriſto Chriſtiani, [l] vt ſint ſui Chriſto duce rectores & duces, & offerant Deo quotidianum ſacrificium, ordinati à Deo ſanctimoniæ ſacerdotes.

a Olei naturam refert, ſed ſupat Chriſma.
b Chariſmata ſpiritus ſancti chriſmate cōferuntur.
Iſaiæ 11. ver:2.
c Cōfirmatio inſinuatur.
Epheſ: 6. ver: 12.
d 3. Reg: 17. v. 14.
e 4. Reg: 4. ver: 5.
Gen. 28. ver. 18.
f Exod: 29. v. 7.
Pſalm: 132. ver: 2.
1. Regū 10. v. 1.
1. Reg: 16. v. 13.
g Iudæorum reprobatio ad gentiles chariſmata tranſtulit.
4. Regum 4. v. 6.
h Alijs legalibus abiectis, vnctio manſit, & aucta eſt in Euangelica lege.
i Chriſtꝰ à Chriſmate dictus: à Chriſto autem Chriſtiani.
pſalm: 44. ver: 8.
k Chriſtiani quales ſacerdotes.

Nec

Cap. VIII.

a Quæ & quanta mysteria die Cœnæ Domini Christianis tradita.

b Idem corpus Christi in Cruce infidelibus, quod in mensa fidelib9.

Nec immeritò huic diei assignata est tanti operis causa: & ex hoc Sacramenta hæc obtinuêre initium: a quo hodie in Sacramento calicis Christi Ecclesiæ vnitas, in lauacro pedum concors societas, & donãs inuicem caritas, & subiecta humilitas: in vnctione, Christiani nominis dignitas excellentiæ spiritalis, proprie data est, & confirmata filijs adoptionis perpes auctoritas, & dignitas perseuerans. b Dedit itaq; Dominus noster in mensa, in qua vltimum cum Apostolis participauit conuiuium, proprijs manibus panem & vinum: in cruce verò manibus militum corpus tradidit vulnerandum: vt in Apostolis secretiùs impressa sincera veritas, & vera sinceritas, exponeret gentibus, quo modo vinum & panis caro esset & sanguis, & quibus rationibus causæ effectibus conuenirent, & diuersa nomina vel species ad vnam reducerentur essentiam, & significantia & significata eisdem vocabulis censerentur. c His gratiæ supernæ priuilegijs, esu sanctificati panis refecti, loti, & vncti, non eam quam amiserant, sed ampliorem & digniorem recuperant libertatem: & eiecti de paradiso nudi, ad lignum vitæ hodie reuertuntur vestiti, reddita stola & annulo prolato in medium: d & reconciliantur matri Ecclesiæ, quos inobedientiæ malum foras expulerat: & Cherubim flammeum gladium ab introitu tranquilli status & innocuæ cõuersationis amouit. e Hodie in terra maledicta, relictis rastris & graui vomerum pondere, & stimulis fatigatorum boum cruore perfusis, deterso sudore vultus exusti caloribus, ad paternam domum exules reducuntur: f & egressus obuiam reuertenti filio lætabundus pater, clementiam improperio nõ corrumpit, nec indulgentiã fœdat conuicijs, sed bonitatis suæ honorat magnificentiam, & hilaritate magnificat largitatem. g Resonant in susceptione huius solennis musica instrumenta, & communis iubilatio pari consonantia patri misericordiarum gratias agit, cuius imperio antiquam prædam euomunt inferi, ligantur dæmones, & diruptis ferreis nexibus diu quassati, liberi reuertuntur. h Hæc dies nocti illi contigua est, qua absolutionis nostræ negotium Dominus inchoauit: qua à principibus sacerdotũ ad Romanum præsidem ductus iudex omnium sustinuit iudicari: passus est rex illudi, & vita occidi: descendensq; ad inferos captiuam ab antiquo captiuitatem reduxit: i hoc Ecclesiæ suæ hodierna traditione exemplum relinquens, vt fieret in Ecclesia absolutio peccatorum, & hæreditati redderentur eiecti, & præcedentibus beneficijs quæ supra enumerauimus, libertate donarentur pœnitentes, qui secundùm merita, nisi gratia subueniret, fuerant condemnati. Et omnino conuenit, vt eo tempore quo Christus captiuos eduxit ab inferis,

c Baptismus, cõfirmatio & Eucharistia homini maiora restituũt quàm amiserat.

d Ecclesiæ matri reconciliatio per Pœnitentiam & quanta eius vis.

e Fœlicitas Paradisi restituta. Gen:3.vers.18.

f Lucæ 15.v.20.

g Gaudium de pœnitentibus quantum.

h Nocte dici Cœnæ Domini, redẽptionis opus inchoatum.

i Pœnitentes cur in die Cœnæ Domini potissimum relaxantur.

inferis, reconciliati peccatores ad Ecclesiam reducantur: & quo confracta sunt infernalis repagula carceris, iudiciaria seueritas mansuescat; a & quo ab infernalibus tormentis cessatum est, humana supplicia crudelitatis horrorem deponant.

a Carceres seculares tẽpore passionis Domini relaxandi.

Cap: IX.

b Recapitulatio doctrinæ S. Cypriani, cum exhortatione conclusiua.

c Lotionis pedũ quale symbolum.

d Hæretici disciplinæ exortes. 2.Timot:3.ver:4.

e Eucharisticæ veritatis viua expresio, ex sensu Cypriani.

b Hucusque sermo sanctissimi ac disertissimi Martyris Cypriani. Quem vel solum si legissent, nec præoccupata obstinatione expendissent hæretici, non adeò impudenter & rabiosè impugnassent: primò ipsam quidem pedum lotionis, non nudam Cærimoniam, sed sicut à Domino præceptum, sic efficacissimũ. c Symbolum atq; exercitium, erga Deum quidem obedientiæ & humilitatis, in seipsum verò internæ, & baptismo restitutæ puritatis, erga proximum verò intimæ charitatis. Deinde d discant inde homines alioqui animales, & voluptatum non Dei amatores, quantã iustitia diuina in Ecclesia exigat disciplinam, quæ pro vno etiam enormi delicto, acrem atq; longam exigit pœnitentiam: & relabentes longè difficiliùs ad reconciliationem, quàm credentes ad baptismum, admittat. e Stupeant homines alioqui stupidi, & stupendi, quanta potestate & liberalitate Dominus noster corpus suum nobis ad manducandum porrigat. Illud enim ipsum esse, quod & militibus in cruce dilaniandum, & Angelis in cœlo perfruendum, exponitur: sed sicut illis ad verã occisionem, istis ad veram spiritualem (cum & ipsi spiritus sint) fruitionem: sic nobis qui veluti medij sumus, verum & viuum corpus, ad animæ simul & corporis veram refectionem, communicatur. Sed quemadmodum f Angeli, in Christum, aliena quamuis, hoc est, humana specie, desiderant prospicere, eoq; perfrui: sic & homines anima & corpore constantes, ita per fidem & veritatẽ in animo, Christo in Eucharstia vt in se verus & viuus est, perfruuntur, vt etiam corpus cum suis sensibus, & speciebus elementaribus cibo potuiq; aptis non destituatur. g Deniq; intelligant isti insipientes in populo, & stulti aliquando sapiant, quantas virtutes sacrum Chrisma (quod illi pro lamiarum vnguentis reputant & blasphemant) habeat: quòd nimirum absq; illius vnctione, (quamuis mystica) Christi seu Messiæ nomen & officiũ constare nequeat: quòd ex eius scaturigine Christiani denominemur: quòd aqua baptismo regenerans, absq; illius vnctione non operetur, nec hominem perficiat: quòd sacratissima Eucheristia, ipsumq; sacrificium nobis propitiatorium, absq; altari Chrismate perunctо, confici & constare non possit: quòd deniq; per istud salutare vnguentum, fortes h in militia contra hostes spiritualis nequitiæ in cœlestibus, armamur, vngimur, roboramur: vt victores effecti, tandem brauium gloriæ referamus. Hæc inquam omnia & reliqua

f 1. Petr: 1. v. 12

g Chrismatis admirabilis virtus contra nugas Hæreticorum. Psalm: 93. ver:8.

h Ephes: 6. v. 12.

& reliqua quæ mens & ſtylus noſter non aſſequitur, quæ ex ſanctiſsimis iſtis viris adduximus: hæc inquam tandem (per Deum immortalem) hæretici quidem recognoſcendo reſipiſcant: Catholici autẽ ex vario neglectu & abuſu, in ſyncerum illum primæuæ Eccleſiæ vſum reducant: vt ſic ſub duce [a] & paſtore Chriſto, in vnum ouile " (ex hoc quod fide aberrauerat, & opere exorbitauerat) reducti, illo " ipſo qui noſtra gloria & ſatietas eſt, in æuum perfruamur. Amen.

a Ioan: 10. ver. 16. Eſech: 34, ver: 16.

Sermo tertius.

DE ABLVTIONE SPIRITVALI seu de Pœnitentia.

Qui lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes lauet: ſed mundus eſt totus. Et vos mundi eſtis, ſed non omnes. Ioan: XIII.

Quadrageſima quomodo Decima anni Chriſtianis, & quale cõtinet exercitium

Cap: I.

TEmpus iſtud Quadrageſimale, rectè reputatur Decima anni apud Chriſtianos. Nam ſeptem iſtæ ante feſtũ Paſchatis hebdomadæ, decimam ferè anni partem ipſo temporis calculo referunt. Magis tamen hæc denominatio vel computatio referenda eſt ad vitæ ipſius Chriſtianæ curriculum. Cùm enim ſecundùm [b] Iſaiam, Populus fidelis veluti quoddam Dei mancipiũ formatus ſit, & potiſsimùm quidem gloriam & [c] iuſtitiam Dei curare deberet, vt reliqua temporalia, facili Dei prouidentia ei adijcerentur: Chriſtiani verò paſsim relicto hoc vno neceſſario, [d] ſollicitari circa plurima temporalia non deſinant: optimo conſilio, ex Chriſti ipſius exemplo, & inſtituto Apoſtolico, Eccleſia proponit & conſeruat iſtud tempus Quadrageſimæ, quo veluti decima & potiſsima quædam pars actionum humanarum, deſtrictiùs Deo, eiuſq; gratiæ ad propriam ſalutem impendatur. [e] Quia verò teſte [f] Iob, Vita ho- " minis militia eſt ſuper terram: triplex potiſsimùm certamen homini proponitur: Primum aduerſus carnem tanquam domeſticum hoſtem, per ieiunia, & alias mortificationes corporales: Secundò contra mundum eiuſq; concupiſcentias, per eleemoſynas, aliaq; opera miſericordiæ, tam ſpiritualia quàm corporalia vberiùs præſtanda: Tertiò contra fortiſsimas Sathanæ tentationes, per crebriores & ardentiores orationes, verbi Dei meditationes, aliaq; ſpiritualia exercitia, [g] Princeps enim peccati (inquit B. Cyrillus) eſt Diabolus, & pater

b Iſaiæ 43 ver 21.
c Matt: 6 ver: 33.
d Luc: 10 ver: 41
e Triplicis tẽtationis Antidotus
f Iob 7. verſ: 1.
g Diabolus quomodo peccati initium & cauſa.

" pater malorum. Hoc Dominus dixit, non ego: Quia Diabolus ab
" initio peccat: nam ante illum peccauit nemo. Et paulò poſt ſubijcit:
" (Dicitur per Ezechielem) Propter multitudinem peccatorum vulne-
" ratus es, & in terram proiecit te. Et Chriſtus in Euangelio ſimiliter: Vidi (inquit) Sathanam tanquam fulgur cadentem de cœlo. Cernis veteris teſtamenti cum nouo conſonãtiam. Iſte cadens traxit ad ruinam multos: Iſte obſequentibus ſibi ſuggerit concupiſcentias, &c. Hæc Cyrillus. Iam verò tentationum Diaboli malignitas, ſicut ex ſuperioribus Euangelijs Dominicarũ Quadrageſimæ ſatis apparuit: ſic ex eo, quod Dominica tertia proponitur, ſatis demonſtratur: [a] quando nõ ſolùm hominem in corpore & anima miſerè torquet, ſed etiam ſenſus & potentias intercludit, quominus homo diuinam opem & liberationem poſsit implorare: ſicut in illo muto apparet, qui à S. Matthæo cœcus ſimul & ſurdus fuiſſe perhibetur. Per quem rectè deſignantur ij, qui in Eccleſia Dei, Pœnitentię & exomologeſis ſacramentum, vel prorſus omittunt, vel fictione ſua ſimulant, vel diſsimulant, vel nouo ſubinde in eadem peccata relapſu decurrunt. [b] Iſta igitur occaſione Iubilei Romani huic Regno communicati, Sacramentum Pœnitentiæ, cum diuino auxilio pertractabimus. Et in prima quidem Sermonis iſtius parte, firmiſsimis teſtimonijs oſtendemus Pœnitentiæ originem, cauſam, vſum in omni hominis ſtatu poſt lapſum, atq; neceſsitatem. In ſecunda parte miram eius vim & vtilitatem, ex ſacris potiſsimùm diuinæ ſcripturæ exemplis ſubijciemus. Adeſte ergo Auditores animis, & fauete precibus: vt nos quidem congrue loquamur, vos verò fructuosè audiatis.

Cyrill: Catecheſi. 2. Illuminatorum.
Eſech: 18. ver: 16.
Lucæ 10. ver: 18.
a Luc: 11. ver: 14
b Argumentũ & diſpoſitio Sermonis de Pœnitẽtia.

Prima pars.

Cap: II.

QVoad primum. [c] Conſtat Pœnitentiam locum non habuiſſe in ſtatu innocentiæ: quia vbi non erat culpa, non habuit locum pœna, eiuſq; conſequenter expiatio, quæ propriè fit per pœnitentiam. Atqui in ſtatu peccati, etiam in loco ipſo Paradiſi, mox trangreſsionem primam, ſubſecuta eſt quædam veluti origo atq; typus pœnitentiæ. [e] Quod enim Deus Angelis ex mera malitia & obſtinatione peccantibus denegaſſet, hoc primis hominibus illis, ab eodem præuaricatore ſeductis ingerit, dum (ſecundùm Auguſtinum) ad medelam per pœnitentiam & confeſsionem illos reuocat dicens: Adam vbi es? De quo ſic B. Gregorius: Ad hoc (inquit) requiſiti fuerant, vt peccatum quod tranſgrediendo commiſerant, confitendo delerent. Vnde ſerpens qui non erat reuocandus ad veniam, non eſt de culpa requiſitus. Hæc ille. Porrò facta per illos peccati

c Pœnitentia in ſtatu peccati ſemper erat neceſſaria.
Pœnitentia in Paradiſo.
d Auguſt: Ser: 26. ad Eremit: Iren. cõtta hæreſes lib. 3. cap. 35. & 37. Gregor: magnus libr. 21. Moral. Gen: 3. verſ. 9. Tertul: li. de c. 15. Pœnitentia. Idẽ de Præſcript: cap. 52. Et contra

Marcionẽ lib. 2. Chrysost: homel: 7. ad populum Antioch.
a Gen:3.v.15.17.

peccati compunctione & confessione, mox clementissimam veluti absolutionem impendit Dominus, in illa vniuersali reparationis promissione, dicens: a Ipsa (mulier vel eius semen) conteret caput (ô Sathana) tuum. Et hîc quidem misericordiam suam exhibuit. Deinceps verò per comparem iustitiam, subinfert temporalis pœnæ pro æterna satisfactionem: imponendo mortis corporalis necessitatem ineuitabilem, & varios labores, pœnas, atq; ærumnas, quæ hanc nõ minus necessariò præcedere solent: iugum inquam illud, quod secundùm b Ecclesiasticũ, graue posteritati Adæ impositum est, à die exitus de ventre matris eorum, vsq; in diem sepulturæ in matrem omnium. Quod perinde sonat, atq; illud ipsum decretum creatoris: c Donec reuertaris in terram ex qua sumptus es: quia puluis es & in puluerem reuerteris. Quas tamen ærumnas & pœnalitates diuina bonitas & miseratio, in peccati ipsius medelam conuertit. Quod præclarè sic expressit Chrysostomus: Tristitiam nobis (inquit) non ob aliud indidit, nisi propter peccatum. Quod alibi clariùs explicat inquiens: Mulieri minatus Deus dicensq;, In dolore paries filios tuos, ostendit dolorem, peccati fructum. Sed ô magnum donum: quod in pœnam dedit, in salutem vertit. Peccatum dolorem peperit, dolor peccatũ contriuit. Et quemadmodum vermis in ligno natus idipsum comminuit: sic dolor de peccato natus, peccatum contriuit, per pœnitentiam ductus. Hæc ille. d Congruenter ergo Ecclesia tempus istud Pœnitentiæ, in Dominica Septuagesimæ orditur à lugubri commemoratione illius sortis humanæ infelicis, eamq; per memorias ieiunij, tentationis, & passionis Dominicæ, tandem in gaudia resurrectionis Dominicæ traducit: vt nimirum ex tanti casus acerbitate, liberationis magnitudo & præstantia faciliùs innotesceret. e Ex his consequitur in ipsa lege naturæ, Syntheresim in homine excepisse subinde, sicut virtutis stimulum, sic vitij displicentiam: (vt scribit Apostolus) testimonium reddente conscientia, & inter se inuicem cogitationum accusantiũ, aut etiam defendentium. Quod diuina attestatur f Scriptura etiam in ijs, qui innocentiam fuissent professi. Sic Abimelech quamuis adulterium ne quidem cogitasset, sed occasionem eius admisisset, pœnitentia & oratione Abrahæ, sterilitatem domus suæ, & pericula totius regni sui auertit. g Iob quoq; dum suam innocentiam ad mortem vsq; asserit, non veretur tamen dicere, & inter opera iustitiæ computare: Si abscondi quasi homo (nota peccati erubescentiam & celationem ex Adamo traductam,) peccatum meum, & celaui in sinu iniquitatẽ meam. Et alibi: Idcirco meipsum reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere. Hoc ipsum

b Eccli:40.v.1.

c Mors eiusque miseriæ in pœnã simul, & remedium homini inflicta.
Genes.3.ver.19.
Chrysost: homel. 5. de Pœnitentia, Et hom.7. ad populum Antioch.

d Septuagesimã cur à luctu orditur Ecclesia & Paschate terminat.

e Pœnitentia in lege naturæ ex dictamine conscientiæ.
Rom.2.ver.15.
f Gen:20. & 26.

g Iob. 31. ver.33. cap.42. ver. 6.

ipsum attestatur a Clemens Apostolicus discipulus & successor, sic
scribens: Deus enim, misericordiæ Deus, à principio singulas gene-
rationes ad pœnitentiã per iustos, & prophetas vocat: & alios qui-
dem ante diluuium corrigebat per Abel, Seth, Sem, item per Enos,
& Enoch translatum: alios verò rursus in ipso diluuio per Noë: So-
domitas per hospitalem illum Loth: post diluuium per Melchisedech,
& Patriarchas, & per Iob, quem habuit Deus charissimum: eos qui
in Ægypto erant per Moysen: Israelitas per ipsum Moysen, & per
Iesum, ac Caleph, & Phineem, & reliquos: Post legem per angelos,
& prophetas, & eosdem per aduentũ suũ in carne ex virgine sumpta:
alios paulò antequã esset ostensus, per Ioannem præcursorem: eosdẽ
verò etiam per eundem, & post ortum suum, cùm aiebat, agite pœ-
nitentiam, appropinquauit enim regnum cælorum: post passionẽ
suam vocat per nos duodecim, & per Paulum vas electionis. Huc-
vsq; B. Clemens. b Tertiò si legem scriptam seu Mosaicam consi-
deremus, ea nihil magis agit, (vt censet Apostolus) quàm reatus &
culpas ostendendo, & exaggerãdo, minas, terrores, & pœnas, in legis
prçuaricatores incutit: atq; exinde per varias oblationes & sacrificia,
quç secundùm eundem Apostolum, absq; sanguine non fiebant, eam
expiationem adumbrant, quæ in sanguine Christi, primò quidem &
propriè per baptismum, deinde in relapsis per pœnitentiam, in lege
gratia fuit consecuta. c Certè in Leuitico apertissimus Pœnitentiæ
Euangelicæ typus præmittitur, quando primò definitur peccatum,
quòd esset actus aliquis contra legem Dei: secundò dum qualitas
peccati consideratur, vel ex ignorantia, aut infirmitate, vel ex mali-
tia & præuaricatione: tertiò proponitur propria cognitio seu discus-
sio illius peccati, quæ non obscurè compunctionem & contritionem
cordis præsignabat: postremò iudicium & expiatio ipsius delicti,
remittitur ad sacerdotem: primò quidem ad discernendum inter le-
pram & lepram: (quod in Ecclesia exomologesim seu confessionem
adumbrabat) deinde ad ipsam peccati expiationem, quç fiebat partim
per sacerdotis deprecationem, partim per sacrificij oblationem: quo-
rum vtrumq; satis etiam refert nouæ legis absolutionẽ, merito passi-
onis Christi innitentẽ: quæ opere quidem & ministerio sacerdotis,
sed virtute ipsius Christi, tanquã agni immaculati ab origine mun-
di occisi, impenditur. d Iam verò tertia pars pœnitentiæ satisfactio
post dimissam culpã, inter multa alia exempla suo loco proponenda,
ipsius Dei eloquio confirmatur: quando post dimissam culpam,
pœnam etiam externam lepræ, Moysi pro sua sorore deprecanti sic
respondet: e Si pater eius spuisset in faciem illius, nonnè debuerat
saltem

a Pœnitentia veteri & noui temporis indicta.
Clemens lib. 2. Constit. Apost: cap. 55. aliàs 59.

Cap: III.

b Lex Mosaica, lex pœnitẽtiæ & terroris.
Rom: 7.
Hebr:9.v.22.

c Pœnitentiæ Euangelicæ typus legalis.
Leuit:4,5,6,13. 14.
August: quçst:12. veteris testamẽti.

d Satisfactionis in Pœnitentia ratio, & necessitas.

e Exemplũ sororis Moysis.

Num: 12. ver. 14.

saltem septem diebus rubore suffundi: separetur septem diebus extra castra, & deinde reuocabitur. Vbi per sputum carnalis parentis in faciem propriæ sobolis, intelligere possumus, grauissimæ offensæ, non rigidam, quæ fit per exhæreditationẽ, verùm leuiorem quidem & paternam, attamen ignominiosam, vindicationem: quæ nihilominus per aliquod tempus confusionem delinquenti relinquat: Quod peroptimè apud Patrem cœlestem longè benigniorem, in culpæ æternæ gratuita dimissione, pœnæ verò æternæ in temporalem commutatione, correspondet. [a] Porrò lex Euangelica in Baptistę prædicatione, sumit initium à denunciatione pœnitentiæ, & quidem tantæ authoritatis & efficaciæ, vt peculiari baptismo initietur atq; dedicetur. Denuntiabat enim, & præparabat exactissimam Christi Messiæ, per aquam & sanguinẽ expiationem, quæ credentes quidem ex interitu per baptismum vindicaret, in certamine autem postmodum aliquando succumbituros, per pœnitentiam releuaret. De quo sic [b] Tertullianus: Ioannis baptismus nihil cæleste præstabat, sed cælestibus præministrabat, pœnitentiæ scilicet præpositus. Deinde agebatur baptismus pœnitentiæ, quasi candidatus remissionis & sanctificationis in Christo subsecuturæ. Nam quod prædicabat baptismum pœnitentiæ in remissionem delictorũ, in futuram remissionem enunciatum est, &c. Et [c] Chrysostomus: Tempus (inquit) confessionis æque & lotis & illotis, prophanisq; incumbit: Illis quidem vt post patentium criminum vulnera, pœnitentia interueniente curentur, & ad sacra mysteria redire mereantur: his verò, vt ablutis in baptismo maculis, ad Dominicã mensam munda iam conscientia accedant. [d] Augustinus autem hoc argumentum pertractans, tres pœnitentiæ actiones constituit. Primam ante baptismum, vt aliquem vitæ veteris pœniteat, priusquam nouam inchoet: secunda est actuũ venialium: tertia propriè actuũ mortalium contra legem Dei. [e] Tertullianus quoq; rationem pœnitentiæ Euangelicæ sic expressit: Absit (inquit) vt aliquis ita interpretetur, quasi eo sibi etiam nunc pateat ad delinquendum, quia patet ad pœnitendum: & redundantia clementiæ cælestis, libidinẽ faciat humanæ temeritatis. Nemo idcirco deterior sit, quia Deus melior est, totiens delinquendo, quotiens ignoscitur. Cæterùm finem vtiq; euadendi habebit, cùm offendendi nõ habebit. Euasimus semel, hacten[us] periculosis nosmetipsos inferamus, etsi iterum euasuri videmur. Pleriq; naufragio liberati, exinde repudium & naui & mari dicunt: & Dei beneficium, salutem suam scilicet, memoria periculi honorant. Laudo timorem, diligo verecundiam: nolunt iterum diuinæ misericordiæ oneri esse: formidant

Cap. IIII.

[a] Legis Euangelicæ initiatio per baptismũ & pœnitentiam.

Matth. 3. Marci 1. Lucæ 3. Ioan. 1.

[b] Tertullian: de baptismo circa medium.

[c] Chrysost: hom: 10. in Mattheũ 1.

[d] Aug: hom: 50. cap. 2.

[e] Pœnitentia data nõ ad licentiã, sed ad necessariã medelam. Tertullia: lib. de Pœnitẽtia cap: 7.

formidant videri inculcare, quod consecuti sunt: bona certe sollicitudine iterum experiri vitant, quod semel didicerunt timere. Ita modus temeritatis, testatio est timoris: Timor autem hominis, Dei honor est. Sed enim peruicacissimus hostis ille, nunquam malitiæ suæ otium facit. Atquin tunc maximè sæuit, cùm hominem plenè sentit liberatum: tunc plurimùm accenditur, dum extinguitur. Doleat & ingemiscat necesse est, venia peccatorum permissa, tot in homine mortis opera diruta, tot titulos damnationes retrò suæ erasos. [a] Dolet, quòd ipsum & angelos eius, Christi seruus ille pecator iudicaturus est. Itaq; obseruat, oppugnat, obsidet: si quâ possit aut oculos concupiscentia carnali ferire, aut animum illecebris secularibus irretire, aut fidem terrenæ potestatis formidine euertere, aut à via certa peruersis traditionibus detorquere: non scandalis, non tentationib[us] deficit. Hæc igitur venena eius prouidens Deus: clausa licèt ignoscentiæ ianua, & intinctionis (baptismum vnicum intelligit) sera obstructa, aliquid adhuc permisit patere. Collocauit in vestibulo pœnitentiã secundam, quæ pulsantibus patefaciat: sed iam semel, quia iam secundò: sed ampliùs nunquam, quia proximè frustra. Sic ille. Quod cùm maximè de pœnitentia publica pro apostasia à fide, & aliis maioribus criminibus, in prima illa Ecclesia vsitata, semel tantùm admittenda intellexisset, istam restrictionem ad frequentiorem quoq; aditum veniæ sic temperat: Verùm (mox subinfert) non statim succidendus & subruendus est animus desperatione, si secundæ quis pœnitentiæ debitor fuerit. Pigeat sanè peccare rursus, sed rursus pœnitere non pigeat: pigeat iterum periclitari, sed iterum liberari neminem pudeat. Iteratæ valetudinis, iteranda medicina est. Gratus in Dominum extiteris, si quod Dominus tibi offert non recusaueris. Offendisti: sed recõciliari adhuc potes. Hactenus verba Tertulliani.

[a] Pœnitentiæ ex naufragio post vnicum baptismũ necessitas.

Cap: V.

[b] Sed hoc idem Dominus ipse apertissimè contestatus est, quando inchoationem prædicationis suæ (secundùm Augustinum) iisdem
» quibus Ioannes verbis orditur: Pœnitentiam agite. Appropinquauit
» enim vobis regnum cælorum. Et S. Lucas refert, quomodo Domi-
» nus in publico & primo Synagogæ consessu, euoluto libro legis,
legationi & officio suo cælesti, veluti quasdam proprias faculta-
» tes attribuit, ex illo textu Isaiæ: Spiritus Domini super me: propter
» quod vnxit me: euangelizare pauperibus misit me: sanare contritos
» corde: prædicare captiuis remissionem, & cœcis visum: dimittere
» confractos in remissionem: prædicare annum Domini acceptum,
& diem retributionis. Quinetiam suborto identidem maleuolorum
» ac inuidorũ scandalo, quòd ad peccatores diuerteret, eosq; benigni-

[b] Predicatio Ioannis & Christi à pœnitentia inchoatur.

Matth: 3. vers. 2. August. Serm: 1. de verbis Domini, & hom: 47. cap. 2.

Matt: 10. vers. 7. Lucæ 4. vers. 18. Ioan: 6. vers. 1.

a Lucæ 15. v. 1.

tate sua complecteretur: profitetur se [a] venisse nō propter iustos, qui non indigent pœnitentia, sed propter peccatores, quorū vnica etiā conuersio ciuitatē illam supercælestem lætificaret vniuersam. Subnectens ad idem propositum parabolam ouiculæ deperditæ, quam requirendo, nonaginta nouem in deserto relinqueret, & inuentam humeris quoq; proprijs reportaret. Similiter drachmæ vnius perditæ, quam primùm quidem totius domus euersionis tristitia: demū verò vicinorum & cognatorum vniuersalis lætitia & congratulatio exciperet. [b] Alibi autem supercilium Pharisaicum dissipat, quando decreuit, vt qui ex illis sine peccato esset, primus in adulterā coram se constitutam lapidem iaciat. Clamat etiam Christo dilectissimus, & dilectione flagrantissimus Apostolus: [c] Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus quoniam non peccauimus, mendacem eum facimus, & verbum eius non est in nobis. Filioli: Hæc scribo vobis, vt non peccetis, sed & si quis [d] peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi. Ex quibus verbis satis elucet Euangelicæ pœnitentiæ ratio: Deū quidem (vt paulò ante Apostolus præponit) iustum, iustitiā ab eo qui semel baptismo iustificatus esset, exigere: sed vbi quis per fragilitatem vel Sathanæ machinationem lapsus est, eundem Deum in misericordia iustitiæ coniuncta, non deficere, quin per filium suum aduocatum dexteræ suæ perpetuum, eundem certa pœnitentiæ lege sibi identidem reconciliet. Similia his sunt verba illa Sapientis: [e] Ego os regis obseruo, & præcepta iuramenti Dei. Ne festines recedere à facie eius: nec permaneas in opere malo. Hæc ibi. Alioqui Dominus ipse non erit indulgentia inferior Petro, cui quidem non [f] septies, sed septuagesies septies, id est, sine modo & numero, fratri in se peccanti condonare præcepisset. [g] Ex tali ipsius magistri cælestis instituto, adducit Tertullianus praxim Ecclesiæ antiquissimæ Apostolicæ, sic verba superiùs citata continuans: Habes cui satisfacias, & quidem volentem. Id si dubitas, euolue, quid spiritus Ecclesiis dicat: Desertam dilectionem Ephesiis imputat: stuprum & idolothytorum esum Thyatirenis exprobrat: Sardos non plenorum operum incusat: Pergamænos docentes peruersa repræhendit: Laodicænos fidentes diuitijs obiurgat: Et tamen omnes ad pœnitentiam commonet, sub comminationibus quidem. Non comminaretur autem non pœnitenti, si

b Ioan: 8. ver. 7.

c 1. Ioan: 1. v. 8.

d Innocētiæ reparatrix Pœnitentia.

e Eccli: 8. v. 2.

f Matth: 18. v. 21

g Pœnitētiæ iteratæ praxis veteris Ecclesiæ. Tertull. de Pœnitentia cap: 8. Apoc: 2. & 3. Ierem: 8: ver. 4. Oseæ 6. ver. 6. Matth. 9. ver. 12.

non

non ignosceret pœnitenti. Dubium, si non & alibi hanc clementiæ suæ profusionem demonstrasset. Non (ait) qui ceciderit resurget, & qui auersatus fuerit conuertetur. Ille est scilicet, ille est, qui misericordiam mauult quàm sacrificium. Lætentur cæli, & qui illic angeli pœnitentia hominis. Heus tu peccator bono animo sis: vides vbi de tuo reditu gaudeatur. Sic ille. Vbi postea subinfert parabolas ouis, & drachmæ perditæ, à nobis iam citatas.

Cap. VI.

[a] Porrò necessitatem Pœnitentiæ non solùm ad enormia peccata, sed etiam ad leuiora delicta expianda, ipsemet Saluator asserit, quando auditoribus suis, vtiq; iam credentibus sibi nunciantibus, Pilatum quosdam Galilæos tam atrociter trucidasse, vt sanguinem eorum cum ipsorum sacrificio miscuerit, in hæc verba respondit: Putatisne, quòd hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non: Dico vobis: sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. Sicut illi decem & octo, super quos cecidit turris in Siloë, & occidit eos: putatis quia & ipsi homines debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Ierusalem? Non, dico vobis: sed si pœnitentiam non habueritis, omnes similiter peribitis. Quam interminationem ad credentes & baptizatos, & non semel in peccata relapsos, similitudo de ficu infructuosa mox applicata declarat. [b] Hæc de pœnitentiæ Euangelicæ origine, ratione, & necessitate, contra antiquos & nouos Pseudolibertinos, pœnitentiā vel prorsus tollentes, vel coarctantes, vel etiam eneruantes, dictum esto. Testatur enim B. Augustinus, Ecclesiam orthodoxam iam pridem explosisse eas hæreses, quæ in maioribus criminibus pœnitentiā prorsus denegabant. Si quid enim tale vel scriptura sacra, vel antiqua traditio insinuat, hoc de publica & solenni pœnitentia intelligendū esse, in qua propter apostasiam, vel solennem excommunicationem, sicut resipiscendi, sic absoluendi vix relinquebatur locus: vt etiam [c] Apostolus attestatur. Nec minùs eos reiecit Ecclesia, qui asserebant indultam in Ecclesia pœnitentiam, facere peccandi licentiam vel fiduciam. Cui obiectioni in contrarium [d] Augustinus optima ratione Deum iustitiæ suæ in Ecclesia admiscuisse misericordiam conuincit. Si enim (inquit ille) tuleris portum pœnitentiæ, desperatione veniæ multiplicabuntur peccata. Quando enim non inueniunt veniæ charitatem, conabuntur explere peccandi cupiditatem. Ne igitur desperando augeamus peccata, propositus est pœnitentiæ portus: rursus ne sperando augeamus, datus est dies mortis incertus. Hæc ille.

a Pœnitentiæ etiam leuioribus peccatis necessaria.

Lucæ 13. vers. 1.

b Pœnitentiam vel prorsus negantes, vel nimis relaxantes hæreses Ecclesia moderatur.

August: homi: 27.

c Hebr: 6. ver. 7. cap. 10. ver. 26.

d Augustin. loco citato. Idem in Psal. 101.

Secunda

SECVNDA PARS.

Cap. VII.

SVperest, vt quod hactenus de origine, necessitate, & vtilitate Pœnitentiæ, ex firmissimis rationibus & testimonijs ostendimus: idipsum exemplis itidem sacris confirmemus. Cùm autem aduersarij plerunq; fidem suam ad Apostolicam doctrinam, quæ iuxta verba [a] sacræ Scripturæ ab Ierusalem incæpisset, reuocare soleant: audiant illi B. [b] Cyrillum, sedis illius non longè post Apostolorum tempora Antistitem, suos olim Christianismi candidatos sic catechisantem: Vis agnoscere humanitatem Dei, tu qui recens ad catechesim accessisti? vis inquam perspicere Dei benignitatem, [c] & longanimitatis illius multitudinem? Audi de Adamo. Non paruit Adam protoplastus Deo: nunquid non potuit statim in illum mortem inducere? [d] Sed vide quid agat benignissimus dominus: Ejicit ipsum ex paradiso: neq; enim erat dignus illo loco propter peccatũ. Constituit autem illum è regione paradisi, vt videat vnde exciderit, & à quibus, in quæ delapsus sit, deincepsq; per pœnitentiam saluetur. [e] Cain primogenitus homo fratricida factus, & inuentor malorum, & princeps cædium, primusq; inuidus. Sed posteaquam è medio sustulit fratrem, quomodo condemnatur? Gemens & tremens eris super terram. Etiam hîc post peccatum est dilatio mulctæ. Hæc igitur vera est benignitas Dei: sed adhuc parua, respectu eorum, quę sequuntur. Cogita enim quæ tempore Noë contigerint. [f] Peccauerunt Gigantes, & iniquitas in terra plurima diffusa est, & propter hanc futurum erat diluuium: Ac quingentesimo quidem anno comminationem protulerat Deus, sexcentesimo verò diluuium induxit. Cernis benignitatis Dei latitudinẽ, in centũ vsq; annos protensam? Nunquid enim, quod post centum annos fecit, statim facere non potuit? sed data opera distulit, concedens pœnitentiæ indulgentiam, ac si tunc egissent pœnitentiam, nequaquam Dei benignitatem excidissent. Veniamus porrò ad alios, qui per pœnitentiã saluati sunt. Verum enimverò & ex mulieribus, si fortè aliqua dicat, scortatione & adulterio polluta sum, fœdaui corpus meum omni genere luxuriæ, nunquid erit salus? [g] Aspice Raab ô mulier, & spera tu quoq; salutem: nam si ea, quæ apertè publiceq; scortata est, saluata est per pœnitentiam: nunquid quæ semel tantùm fornicata est ante gratiã, per pœnitentiam & ieiunium non seruatur? Quomodo autem saluata est illa perquire: hoc tantùm dixit: [h] Quia Deus vester in cælo, & in terra Deus vester. Suum enim dicere non audebat, eò quòd se impuram sentiebat. Quòd si scriptum habere vis testimonium, illam esse saluatã, habes scriptũ in Psalmis: [a] Memor ero Raab & Babylonis, & postea cognoscent me. O magnam Dei benignitatem, etiam inhonestæ mulieris meminit, in peccatis, sed non simpliciter meminit, verùm scientium me. Est itaq; & viris & mulieribus salus, quæ per pœnitentiam conciliatur. [b] Etiamsi vniuersus populus peccet, non superabit diuinam benignitatem. Vitulum populus fabricauerat, sed non destitit Dominus Deus à benignitate: Negauerunt Deum homines, sed Deus seipsum non negauit. [c] Isti, inquiunt, sunt dij tui Israel. Et tamen pro more suo Deus seruabat illos. Neq; populus tantùm peccauit, verùmetiam Aaron summus sacerdos. Moyses enim dicit: Et super Aaron facta est ira domini: & rogaui, inquit, pro ipso & condonauit illi. Tum verò Moyses quidem supplicans, pro summo sacerdote peccante, placauit Dominum. Iesus autem vnigenitus, orans pro nobis, non placabit Deum? Ac illum quidem propter crimen, non vetuit ad summum sacerdotium peruenire: te verò ex gentibus venientem, salutem consequi vetabit? [d] Pœnitentiam ergo agas ô homo, & non arcebitur à te gratia. Irreprehensibilem deinceps tuæ vitæ dispone modum: Benignus est Deus & verax, nec vllus poterit homo illius benignitatem satis prædicare: immò etiamsi omnes omnium hominum linguæ simul coaceruarentur, ne sic quidem partem aliquam benignitatis illius enarrare possent. Dicimus sanè nos ex parte quadam, de illius erga homines benignitate, sed nescimus quanta ille, & angelis condonauerit. Indulget enim & illis: quandoquidem ipse tantùm vnus est, qui peccare non possit, qui purgat peccata nostra Iesus.

Marginal notes to page 32:
a Isaiæ 2. vers. 3. Act. 1. vers. 8.
b Cyrill: Ierosol. catechesi 2. Illuminatorum.
c Exempla Pœnitentiæ indultæ ab origine mũdi.
d Pœnitẽtia Caimo facta.
e Genes: 4. v. 11.
f Longanimitas Dei ante diluuium. Genes. 7.
g Raab meretrix ad resipiscentiam admissa. Iosue 6. vers. 23.
h Iosue 2. v. 11.

Marginal notes to page 33:
a Psalm. 86. v. 4.
b Iudæi sæpius Deum offendentes, reconciliati.
c Exodi 32. v. 4.
d Clementia Dei ad ignoscendum peccatori ineffabilis.

Cap: VIII.

[e] Ac de illis quidem sufficiat: si verò plura velis audire de nobis, & alios typos proferemus. Accede ad beatum Dauid, & pœnitentiæ typum ab illo accipe. Deliquit vir ille magnus, cûm post cubile pomeridianum in palatio deambularet: vidit obiter mulierem, & humanũ quid passus est: deinde peccatũ perfecit, sed non occubuit animi illius in cõfitendo peccato æquitas. Venit Nathã propheta, celerrimus redargutor, & vulneris medicus: irascitur, inquit, dominus, quoniam peccasti. Idiota seu plebeius arguit regem: verùm Dauid rex non indignabatur: non tam enim dicenti, quàm mittenti attendebat. Non excœcabat illum circunstans militum agmen: intellexerat enim angelicum domini exercitum, & tanquam videns inuisibilem perhorrescebat: ac respõdit venienti, immò potiùs per illum, mittenti: [f] Peccaui domino. Cernis humilitatem regis? vides confessionem? Non enim erat conuictus ab aliquo: non multi illius rei conscij fuerant. [g] Celeriter transegerat negotium, & propheta adest illico

e Dauidis pœnitentis exemplũ. 2. Reg: 11. v. 12.
f 2. Reg: 12. v. 13.
g Pœnitẽtiæ tres partes exhibuit Dauid.

illicò accuſator, & delinquens facinus confitetur: quod cùm ingenuê faſſus eſſet, celeriter percipit medicinam. Propheta enim Nathan qui comminatus eſt, exemplò inquit: Dominus quoq; tranſtulit peccatum tuum. Cernis velociſsimam Dei benigniſsimi mutationẽ. Attamen dicit: Irritaſti inimicos Domini, multos enim propter iuſtitiã hoſtes habebas, ſed cuſtodiebat te temperantia, traditis autem his armis, promptos habebis, ſtantes aduerſus te, & inimicos conſurgentes contra te. Propterea igitur ſic eum conſolatus eſt: beatus autem Dauid, quamùis audiuerit Dominum tranſtuliſſe peccatum ipſius, non abſtinuit tamen à pœnitentia: verùm loco purpuræ, ſacco vtebatur, & loco aurei throni, in terra cinereq; Rex ſedebat: neq; tantùm in cinere ſedebat, verùm etiam cinere veſcebatur, quemadmodum ipſe dicit: [a] Quod cinerem tanquam panem manducabam, & poculum meum cum fletu miſcebam. Vindicabat lachrymis concupiſcentẽ oculum. [b] Lauabo, inquiens, per ſingulas noctes lectum meum, & lachrymis meis ſtratum meum rigabo. Cùm principes illum adhortarentur, vt manducaret panem, non patiebatur id ſibi perſuaderi, & in totum vſq; ſeptimum diem, ieiunium producebat. [c] Rex igitur ſic confitebatur: & tu idiota ſeu priuatus, an non debes confiteri? [d] Porrò cùm Abſalon aduerſus illum arma cepit, quamùis multæ illi ad fugam viæ paterent, per montes tamen oliuarum fugere maluit, fermè inuocans mente liberatorem illum qui iſtinc cælos erat aſcenſurus. Et cùm vehementer eundem Semei execraretur dixit: Sinite illum, vt Deus reſpiceret humilitatem eius. Sciebat enim quòd remittenti Deus remittet.

a Pſal: 101. ver. 10.
b Pſalm: 6. ver. 7.
c Nota Confeſsionem dici pro Pœnitentia.
d Pœnitentię Dauidis conſtantia & patientia.
2. Reg: 15. v. 25.
2. Reg: 16. v. 10.

Cap: IX.

[e] Vides quòd pulchrũ eſt confiteri? Cernis, quod pœnitentibus datur ſalus? Et Salomon ceciderat: ſed quid inquit: Poſteâ ego pœnitentiã egi. Et Achab Rex Samariæ, erat iniquiſsimus idolatra, excellenti improbitate, procul ab omni pietate, concupiſcens agros & vineas alienas. Sed cùm Nabuthe per ſuã Ieſabel occidiſſet, & Helias propheta veniens, tantummodò illi comminatus eſſet, diſcidit veſtimenta & induit ſaccum: Quid autem dicit benignus Deus ad Heliam? [f] Vidiſti quomodò humiliatus eſt Achab ante faciem meam? Quaſi perſuadens ira accenſo prophetæ, vt ſubueniret pœnitenti. Non inducam malum in diebus eius. Et quamùis etiam poſt hanc indulgentiam, iſte non erat à ſua improbitate ceſſaturus: remittens tamen Deus ignoſcebat: non ignorans quid eſſet futurũ: ſed conſentaneam pœnitentiæ præſentis concedens indulgentiam. Iuſti enim iudicis eſt, de ſingulis factis aptè ſententiam pronunciare. [g] Rurſus Hieroboam, cùm ſtetiſſet ſacrificans idolis in ara, manus eius

e Salomonis & Achab Pœnitentia.
Eccli: 47. ver. 24.
3. Reg: 21. v. 27.
f 3. Reg: 21. v. 29.
g Ieroboam idololatria per Pœnĩtiã ſubleuata.
3. Reg: 13. v. 6.

eius exaruit, quoniam iuſſerat arguentem ſe prophetam comprehendere: ſed cùm vim illius præſentis experientia didiciſſet, dicit: ſupplica pro me Domino: & propter hoc verbum manus illius in integrum reſtituta eſt. [a] Si Hieroboam ſanauit Propheta, te Chriſtus nõ poterit ſoluens à peccatis liberare? Erat & Manaſſes ſceleratiſsimus, qui Iſaiam diſſecuit, & in omni genere idololatriæ volutabatur, innocentumq; ſanguine Hieroſolimam replebat: ſed captiuꝰ poſtea abductus Babylonem, malorum experientia adactus, pœnitentiæ vſus eſt medicina. Dicit enim ſcriptura; [b] quòd humiliatus eſt Manaſſes coram domino, & orauit, & exaudiuit eum Dominus: & reduxit illum in regnum illius. Si is, qui prophetam diſſecuerat, per pœnitentiam ſaluatur, tu verò qui nihil eiuſmodi perpetraſti, non ſaluaberis? caue ne virtuti pœnitentiæ fruſtra diffidas. [c] Vis cognoſcere quantam vim habeat pœnitentia? vis noſſe hæc fortia ſalutis arma, & diſcere quàm multis præualeat confeſsio? Centum octoginta milia hoſtium Ezechias per confeſsionem in fugam verterat. [d] Magnũ quidem id reuerâ, ſed exiguum tamen reſpectu eorum, quæ dicenda ſunt: Diuinam ſententiam promulgatam, hic idem per pœnitentiã reuocauit. Ægrotanti enim illi, dixerat Iſaias: Diſpone domui tuæ, morieris enim tu, & non viues. Quæ deinceps expectatio, quæ ſpes ſalutis, propheta dicente, quòd morieris? Sed non abſtinuit tamen à pœnitentia Ezechias: recordatusq; illius, quod ſcriptum eſt: Cùm conuerſus ingemueris, tunc ſaluaberis. Conuerſus ad parietem, & eleuans mentem à lecto ad cælum (neq; enim ſpiſsitudo parietum, impedit orationes deuotas ſurſum emitti) Memento, inquit, mei domine: ſufficit enim ad ſanitatem mihi, ſi tu memineris mei: non tu ſubiaces temporibus, ſed ipſe es vitæ legiſlator. [e] Neq; enim ſecundùm generationem, vel nexum, ſeu inclinationem aſtrorum, vt nonnulli fabulantur, ſed tu ipſe vti vis, vitæ mortiſq; poteſtatem habes. Itaq; de cuius vita, ex ſententia prophetæ deſperabatur, huic quindecim annorum interuallum vitæ adiectum eſt: in cuius rei ſignum, ſol iter fecit reciprocum. [f] Tum propter Ezechiam, ſol reuerſus eſt: propter Chriſtum verò, ſol obſcuratus eſt: non retrocedens, ſed deficiens: atq; per hoc vtriuſq; differentiam & Ezechiæ, & Ieſu, demonſtrauit. Ac ille quidem potuit Dei ſoluere ſententiam: Ieſus autem non poterit remiſsionem peccatorum donare? Conuertere, & de teipſo ingemiſce, claude ianuam, & ſupplica, vt tibi remittatur, vt flammas te vrentes auferat. Poterit enim confeſsio, etiam ignem extinguere, poterit & leones cicurare. [g] Quod ſi non credis, recogita quid acciderit ijs, qui erant cum Anania, quales effuderunt fontes:

a Manaſſes pœnitens ex captiuitate reductus.
b 2. Paral: 23. v. 19.
c Pœnitentię veræ vis eximia.
d Eſechias pœnitentia nõ ſolũ homines, ſed ſolẽ ſubiugat.
4. Regũ 35. v. 19.
Iſaiæ: 38. v. 1.
e Aſtra hominis actꝰ & vitã nõ diſponũt, ſed Deus.
f Sol magis obedit Chriſto ad vitam largiendam quam Eſechiæ.
4. Reg: 20. v. 10.
Lucæ. 23. v. 44.
g Pœnitentia flãmas à tribus pueris auertit, ſic & gehennam.
Daniel. 3. v. 26.

quot vasa aquæ, quadraginta nouem vlnarum flammam extinguere potuerunt: sed vbi modicum ascendit flamma, illic fluuiolum effudit fides: & istic dixerunt pro remedio malorum: Iustus es Domine in omnibus, quæ fecisti nobis: peccauimus, iniquè egimus: Et pœnitentia dissoluit flamas. Si nõ credis, quòd ignẽ gehennæ potest extinguere pœnitentia, ex his quæ Ananiæ contingerunt, disce.

a Non solum iustiores sed sceleratissimos Pœnitentia saluat.

Cap. X.

a Sed dixerit aliquis ex his, qui celeriter omnia percipiunt: Illos Deus liberauit, tanquã iustos: nam quod idololatriam committere nolebant, vim hanc illis tribuit. Sit ita planè: Veniamus deinceps ad alium pœnitentiæ typum. Quam opinionem habebis b de Nabuchodonosore? Audistiné ex scripturis, quòd sanguinarius erat, & ferus homo leoninam quandam mentem habebat? Nonné audiuisti illum, ossa ex sepulchris regum eiecisse? populum captiuum abduxisse? regis oculos excœcasse? cùm priùs videndos illi prębuit filios ante se iugulatos. Nónne audisti, quòd Cherubim contriuit? non illa dico Cherubim spiritalia, absit, ne quis hoc cogitet, sed ea quæ fuerant sculpta. Sed & propiciatorium, in cuius medio vocem edebat Deus, & velum templi conculcauit. Thuribulum accipiens ad idolorum delubrum transtulit: sustulit omnes oblationes: templum funditùs combussit. Quantis hic dignus erat pœnis? in tollendis regibus, in sacris comburendis, captiuando populo, sacratis vasibus in idolorum templa inferendis? Nunquid non millies mori meruerat? Vides scelerum magnitudinem? Conuertere deinde ad Dei clementiam. c In bestiam transmutatus est: in solitudine degebat, flagellatus est vt seruaretur. Leoninos habebat vngues, raptor enim sanctorum fuerat. Crines quoq; leonum habebat: leo enim rapax erat & rugiens: fœnum tanquam bos comedebat, pecus enim fuit, nesciens quis regnum illi contulerat. Tinctum erat corpus eius rore: etenim prępuidẽs à rore extinctũ ignem, nõ credidit. Et quid factũ est: Postea, inquit, ego Nabuchodonosor, oculos meos in cælũ leuaui, & altissimũ deprecat⁹ sum, & viuentẽ in æternũ laudaui, & glorificaui. Cùm igitur agnouit altissimum, vocesq́; gratias agentes ad Deum emisisset, & deuenit ad eorum quæ patrauit pœnitentiam, infirmitatemq́; suam agnouit: tunc restituit illi Deus regni honorem. Quid igitur? Nabuchodonosori, tantis obnoxio sceleribus, quamprimùm confessus est, peccata remisit, regnumq́; restituit: tibi verò agenti pœnitentiam non remittet? neq; regnum cæleste, si te pro dignitate gesseris concedet? d Benignus est Dominus, & velox ad indulgendum, tardus autem ad vindictam. Nemo itaq; desperet de sua salute. e Petrus princeps Apostolorum excellentissimus, coram ancilla ter negauit

b Exemplũ Nabuchodonosor scelestissimi.
4. Reg. 24. ver. 8.

c Nabuchodonosor pœnitẽtia sceleribus correspondens.
Daniel: 5. v. 28.

d Deus velox ad indulgentiã, tardus ad pœnam.

e Pœnitẽtia Principis Apostolorũ efficacissima:
Matt: 26. vers. 75.

negauit Dominum: sed ad se rediens, fleuit amare. Fletus enim veram seu ex corde pœnitentiam designat. Atq; ideo non solùm negationis illius accepit condonationem, verùmetiam dignitatem apostolicam non ablatam retinuit. Habemus fratres multos peccantium typos, & pœnitentium, & promptè saluatorum. Et vos igitur confitemini Domino, vt ante patratorũ remissionem accipiatis peccatorum, & cæleste regnum consequamini, donumq́; supercæleste hæreditetis, cum omnibus sanctis, in Christo Iesu: cui gloria in secula seculorum. Amen.

Sermo quartus.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ, eiusq́; partibus.

Cap. I.

Pœnitentiæ necessaria non solum doctrina, sed cautio vt bene agatur.

Ambrosius Præfatione in Psal. 37

SVbsequenti huic de sacramento Pœnitentiæ doctrinæ, quam præsenti Sermone tractare intendimus, conuenit inprimis illa propositio, quam apud S. Ambrosiũ legimus in hæc verba: De pœnitentia duos iampridem scripsi libellos: & iterum scribendum arbitror. Primùm quia vtile est, vel quotidie veniam delictorum precari: Deinde, quoniam in illis duobus libellis, adhortatio pœnitentiæ vel profectus est, si geratur. Nunc autem quomodo agi pœnitentia debeat, exprimendum est. Nihil enim prodest agere, nisi ita agatur, vt oportet. Hęc ille. Simile quid nobis vsu venisse videtur, qui & ante cõplures annos breuẽ quandã Confessariorũ pœnitentiã instructionem ædideramus: & præcedenti Sermone pleniùs quidem de origine, causis, institutione, necessitate, & vtilitate sacramenti Pœnitentiæ pro nostra tenuitate disseruimus. Sed quid illa tandem sit, quibus constet partibus, & quibus modis & cautelis fieri debeat, restat nobis hoc ipso Sermone explicandum. a Dicit enim B. Augustinus, eandem causam esse baptismi & reconciliationis, si fortè pœnitentiam finiendæ vitæ periculum præoccupauerit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arra suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia. Vbi Augustinus opus baptismi attribuit Deo tanquam Patri nostro, quòd nomine, inuocatione, & virtute Trinitatis perficiatur: Ecclesiæ verò tanquam sponsæ Christi & matri nostræ, videtur adscribere pœnitentiam, cui nimirum claues ligandi & soluendi peccata, & regnum cæleste aperiendi, relicta fuerit facultas. c Sicut igitur in more humano, reprobationẽ vel exhæreditationẽ filij per patrem

a Iustificatio per baptismum Deo tanquam patri: per Pœnitẽtiam Ecclesiæ velut matri, adscribitur.
August: de adulterinis coniugijs lib. 1. cap. 28.

b Pœnitẽtiæ iterãdæ pulchra ratio.

trem factam, benigna mater sinu misericordiæ & compassibilitatis, iure quodam fœderis coniugalis, reconciliat & restituit: Ad eundem modum, postquam Deus aliquem semel conuersum in filium baptismo sibi adoptauerit, relapsum verò restitui fas nō sit simili baptismo, qui mortis Christi semel tantùm factæ meritum baptizato applicet.

a Pœnitentia vera quæ requirit.

a Ideo mater Ecclesia, veluti dote sibi à sponso cælesti impensa, eiusmodi reconliationem perficit alio sacramento pœnitentiæ: non solùm pietatem & misericordiam Dei Patris nostri, ad peccatoris resipiscentiam proponendo, vt volunt carnales hæretici: sed etiā edocendo certos modos, & veluti gradus culpæ præcedenti respondentes, quibus nimirum primùm quidem Deo Patri, deinde Ecclesiæ matri, postmodum etiam sibijpsi, & proximis fortè scandalizatis, veram resipiscentiam & reconciliationem exhibeat. Tali enim pœnitentiæ quadrat illud, quo olim Baptista similem præsumptionem condemnabat dicens: b Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ: Et ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham, &c. Congruit & illud: Cùm quæsieris Dominum Deum tuū, inuenies eum: si tamen toto corde tuo quæsieris eum, & tota tribulatione animæ tuæ.

b Lucæ 3. ver. 8. Deuter: 4. ver. 29.

c Propositio & partitio Sermonis.

c In præsenti ergo Sermone, Diuino suffulti aspiramine, primò definitione Pœnitentiæ posita & exposita: partes quoq; illius essentiales ad communem instructionem, & ædificationem, pertractabimus. In prima quidem parte de Contritione: in secunda de Confessione: in tertia vero de Satisfactione.

Prima pars de Pœnitentia, & Contritione.

Cap: II.

d Pœnitentia qd eiusq; acceptiones & diuisiones.

PRimùm igitur Pœnitentia sic definiri potest: d Pœnitentia est Sacramentū confessionis & absolutionis, ad remissionem peccatorum, post baptismum commissorum. Vbi primùm, quando pœnitentia ponitur sub genere Sacramenti, excluditur pœnitentiæ affectus, secundùm quem homo simpliciter dolet de aliqua re, vel opere, siue commisso siue omisso.

e Pœnitentię affectus.

f Genes. 6. v. 6.

e Et talis pœnitentia affectui humano propria, metaphoricè tribuitur Deo, quando dicitur tactus dolore cordis intrinsecus, dixisse: f Pœnitet me fecisse hominem: vt nimirum talis affectus in homine ipso veluti mortuus excitaretur: cùm alioqui secundùm Apostolum sine pœnitentia sunt dona Dei, qui diligit omnia quę sunt, nihilq; oderit eorū quæ fecisset.

g Pœnitentia virtus.

g Secundò hæc definitio excludit pœnitentiam virtutem, quæ ex dictamine rationis & synthereſis moderatur eiusmodi affectum, vt quis pœniteat de quibus oportet, & non de alijs, & quantum, & quomodo oportet. Deus enim statim à lapsu hominis, eundē ad obtinendū veniam

veniam disponebat per quosdam gradus.

a Gradus pœnitentię ad gratiam consequendam. Rom: 2. ver. 15. & cap. 7. vers. 9. Matth. 3. ver. 2.

a Primò per naturale dictamen rationis, cogitationum (vt loquitur Apostolus) inuicem accusantium & excusantium. Deinde per legem seruilem, quæ secundùm eundem Apostolum, peccatum magis etiam ostendebat & arguebat. Tertiò per Ioannis Baptistæ prædicationem pœnitentiæ baptismo dedicatā per quam in ipso iam limine superuenientis gratiæ, homo in naturalibus ad capienda gratuita disponeretur: & antequam per recreationem innocentiæ reciperet nouitatem, primæuæ creationis in seipso comprobaret dignitatem. Cæterùm homine ad eum modum disposito, & fide illuminato, successit sacramentum baptismi, quod abrogata omni peccati vetustate, hominem regenerat, & Christo capiti incorporat ad nouam vitam, nouosq; motus & actus pietatis, sanctitatis, & iustitiæ sectandos.

b Pœnitētia cur necessariò præcedat & subsequatur baptismū.

b Quem statum, si homo secundùm votum in baptismo præstitum conseruaret, nihil ei amplius tam ad augmentum gratiæ, quàm ad complementū gloriæ deesset. Sed quoniam & relicta ad exercitium fragilitas, & Sathanæ in tentando malignitas, in ardua & continua depugnatione, interdum facit succumbere, (vt superiùs quoq; diximus) prouidit diuina clementia infernali plagæ, cæleste præsidium. Sicut enim antehac in baptismo ad exhaurienda (vt loquitur c Apostolus omnium præcedentia delicta, hoc est, originale simul cum actualibus, applicuit ipsam cruentā passionem Christi: sic ad ea quæ post baptismū committuntur, identidem verè pœnitentibus, applicat iugem illam & incruentam aduocationem Christi, merito eiusdem cruentæ passionis veluti continuatam, qua ipse tanquam sacerdos in æternum, sedet ad dexteram Patris pro nobis interpellando.

c Hebr: 9. ver. 28. & 24. 1. Ioan: 2. ver. 1.

d Augustinus de adulterinis coniugijs lib. 1. cap. 28. Et Serm. 67. de Tempore.

d Et hoc intelligit Augustinus quando dicit, eandem esse causam reconciliationis, quæ est baptismatis.

e Baptismus arcæ saluanti, Pœnitentia tabulæ post naufragium comparantur.

1. Petr: 3. ver. 21. Tertull: de Pœnitentia. Cyprian: lib. 1. Epist: 3. Hieron: in cap: 3. Isa. Et epi. 8 9. 47. Ambr: ad Virginē lapsam cap. 8. August: Serm: 11. ad Eremit: Concilium Trid: Sess. 14. Can. 2.

f Ea etiam ratione postquam princeps Apostolorum saluationem per baptismum, comparasset vniuersali atq; tutissimæ saluationi generis humani per arcam Noë, exinde Apostolorum discipuli & Ecclesiæ antiquissimi Doctores, pœnitentiam scitè admodum comparant secundæ post naufragium tabulæ. Cuius quidem comparationis triplex ratio occurrit: Prima, sicut tabula saluans ex naufragio, est nauis ipsius fragmentum, ab ea recens auulsum: simili modo pœnitentia innititur eidem Passionis Christi merito, quod propriè saluationi per baptismū applicatur. Secunda, quemadmodum saluatio per tabulam, sine ipsius nauis detrimento contingere nequit: similiter antequam peccatores per pœnitentiam Ecclesiæ restituantur, fieri nō potest, quin ipsa in corpore suo membrorum morbidorū toleratione, & exinde subsequentibus scandalis, afficiatur.

afficiatur. Tertia, quia sicut nauis integra, facit ad præcauendum, fracta verò ad inducendum potiùs naufragium: ad eundem modum baptismus in homine rectè disposito, indubiam infert emūdationem atq; innocentiam: pœnitentia autem vera adeò rara est & difficilis, vt conseruata innocentia facilior esse Diuo Ambrosio censeatur. Et sic intelligi potest tabula secunda non solùm ratione ordinis, sed etiam veluti fortunæ quæ non semper effectum salutis sortiatur.

a Pœnitētia quomodo sacramentum: materiæ & formę similitudinem referens.

Cap: III.

a Ex qua declaratione facilè iam definitio ipsa pœnitētiæ elucescet. Primò enim, quando refertur ad genus Sacramenti, ex illius natura duas res præsupponit: vnā visibilem, videlicet actus hominis pœnitentis ad virtutem clauium Ecclesiæ directos: alteram inuisibilem, hoc est, remissionem peccatorum, & infusionem gratiæ, per sacerdotis absolutionem. Prima res habet similitudinem materiæ, altera autem formæ, ex quibus res naturales componuntur.

b Pœnitētię partes essentiales & integrales.

b Et sic in sacramento Pœnitentiæ, partes essentiales, sine quibus constare penitus nequit, sunt actus pœnitentis tanquam materia: absolutio autem sacerdotis vigore clauium, est quasi forma. Rursus verò actus pœnitentis sunt tres, Contritio, Confessio, & Satisfactio: quæ dicuntur pœnitentiæ partes integrales, eò quòd requirantur ad eius integritatem, quamuis non necessariò ad ipsam essentiam: siquidem potest esse contritio tam intensa, vt ad remissionem peccati, confessio & satisfactio non nisi in voto subdendi sese clauibus Ecclesiæ requiratur, vt inferiùs dicetur. Et sic patet definitionis pœnitentiæ ratio. Dicitur enim Sacramentum, quia continet rem visibilem, actus videlicet quibus homo post baptismum peccato affectus, clauibus Ecclesiæ subijcitur: continet etiam rem inuisibilem, hoc est, causam & effectum simul remissionis peccatorum & infusionis gratiæ, per sacerdotis absolutionem. Tanguntur etiam eius partes: essentiales quidem tanquam materia & forma: integrales autem contritio, confessio, & satisfactio: de quibus iam suo ordine agendum est.

c Sicut peccati, sic Pœnitentiæ actus triplex. Matth: 15. ver. 19. & cap. 12. ver. 37.

Cap. IIII.

c Inprimis notandum est, peccati motum seu gradum esse triplicem. Primùm quando in corde concipitur: Ex corde enim (inquit ipse Saluator) prodeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Deinde quando veluti generatum, per externum actum præsertim loquelæ, foras producitur. Ex abundantia enim cordis (inquit alibi Christus) os loquitur. Tertiò quando frequentiori actu, habitum etiam peccandi inducit, ad propriam, & proximorum per scandala ruinam. His motibus respondent prædictæ partes seu actus pœnitentiæ. Contritione enim tollitur propriè offensa ipsius Dei, qui scrutator cordium est. Quod

a Psalm: 50. v. 5. & 19.

Quod attestatur Dauid dicens: a Tibi soli peccaui, & malum corā te feci. Et postea: Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus nō despicies. Exterior autem peccati manifestatio per confessionem Sacramentalem, subsequenti absolutione, reconciliat hominem Ecclesiæ, tanquam corpori visibili Christi mystico, à quo per excommunicationem mortali culpa contractam, exciderat: iuxta illud: b Qui abscondit scelera sua, (vtiq; apud Ecclesiam, Deo enim nihil est absconditum) non dirigetur: Qui autem confessus fuerit & reliquerit ea, misericordiam consequetur. Deniq; satisfactio à confessore imposita, per vindicationem quandam priori culpæ respondentem, veros fructus pœnitentiæ operatur, quibus secundùm Prophetā c & quiescat peruersè agere, & discat benè agere, ad veram vitæ emendationem, & proximorum ædificationem.

b Prou: 28. v. 13.

c Isaiæ 1: v. 16.

d Pœnitētia Dauidis exacta. Psalm: 50. vers. 5. Hieron: Epist: ad Rusticum Monachum.

d Exemplum talis integræ pœnitentiæ (vt dicit B. Hieronymus) profitetur S. Dauid, Contritionem suam sic describendo: Tibi soli peccaui, & malum coram te feci: Confessionem autem, quando subdit: Quoniam iniquitatem meam ego cognosco. Nec Satisfactionem omittit, dum spiritum suum, & cor contribulatum pro sacrificio Deo offerendo, scandala autem proximorum, quibus blasphemare fecerat nomen Domini, rependendo sic dicebat: Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.

e Pœnitentiæ defectus in Caim. Genes: 4. vers. 5. August: homel: 50. cap. 4.

e Oppositum his partibus defectū habuit obstinatio Caimi: primò quoad contritionem quam sic requirebat Deus: Cur iratus es, & concidit facies tua? subter te sit appetitus tuus. Confessionem autem, quando dicente Domino: Vbi est Abel frater tuus? respondit ille: Nescio: Nunquid custos fratris mei sum ego? Satisfactionis autem defectus apparuit, in ipsa desperatione & maledictione temporali, à Domino quidem iustè comminata, propria verò peruersa conscientia crudeliùs sibimet adscita.

f Pœnitētiæ partes necessarię, earumq; ratio.

f Istas pœnitentiæ partes, earumq; ordinem, in Ecclesia antiquitus fuisse dispositas, testatur Augustinus inter alia sic dicens: Cùm in se pœnitens peccator protulerit seuerissimæ medicinæ sententiam, (intellige per contritionem) veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claues ministrantur, (ecce absolutio post confessionem) & à præpositis sacrorum accipiat (nota hîc tertiam partem) satisfactionis suę modum. Earundem partium pœnitentiæ, comuniter duplex assignatur ratio. Prima, quia homo peccando offendit Deum Patrem, Ecclesiam matrem, & seipsum per propriam conscientiam accusantem. Ideo contritione placat Deum: confessione reconciliat Ecclesiam: satisfactione seipsum ad bonum vindicat. Secundò, quia secundùm g Chrysostomum) peccatum committitur corde, ore, & opere: iustum est vt

g Chrysost: Serm: de Pœnitentia.

peccator

peccator culpam detestetur animo, ore accuset, facto puniat.

Cap. V.

His in genere absolutis, singulas pœnitentiæ partes excutiamus. Quarum prima est [a] Contritio: Quæ quidem est dolor voluntariè assumptus de peccato, propter Deum summè dilectum, ex charitate. Dicta est autem contritio metaphoricè: Quemadmodum enim mollia postquam induruerunt, conterimus, & nouo liquore ad propriũ temperamentum reducimus: simili modo cor tanquam origo actuũ humanorum, obstinatione peccandi dicitur obdurari. Qua metaphora præter alia Scripturæ exempla, & Apostolus vsus est, sic scribens: [b] Secundùm duritiam tuam & impœnitẽs cor, thesaurizas tibi iram in die iræ. Rursus autem dicitur mollescere, quando gemitibus & lachrymis ex corde lapideo (vt [c] Scriptura loquitur) euadit cor carneũ. Dicitur etiam contritio, quia habet perfectum dolorem & ad Deum conuersionem, qui correspondet sumo præcepto charitatis: Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde, ex toto anima, & fortitudine tua: Et proximum tuum sicut teipsum. Quod videtur expressisse Moyses dicendo: Cùm quæsieris ibi Dominum Deum tuum, inuenies eum: si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione. [d] Ideoq; tria requirit. Primò dolorem præteritorum peccatorum: iuxta illud: Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu: & scindite corda vestra, &c. Secundò propositum ampliùs nõ peccandi: dicente Dño per [e] Prophetam: Projicite à vobis omnes iniquitates vestras in quib⁹ præuaricati estis: & facite vobis cor nouum & spiritum nouum. Nam secundùm [g] Gregorium Magnum, Holocaustum Deo dare, & totam mentem igne compunctionis accendere, vt in ara amoris cor ardeat, non potest, nisi qui priusquam cogitationes ad opus prodeãt, internos suos motus sollicitè circumspiciens frænat. Rursus autem horum vtrumq; breuissimè complex⁹ est [h] Augustinus dicens: Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei. Nihilominus tamen hîc etiam comprehenditur de quacunq; læsione proximi satisfactio, vel constans illius propositum. [i] Si enim quodcunq; munus, certè sacrificium cordis in contritione, relinquendum iubet Dominus ante altare, donec proximus offensus reconcilietur. Tertiò requiritur ad contritionem, verùm & constans (vbi re ipsa fieri non potest) votũ sacramenti, hoc est, prompta voluntas vbi esset opportunum, subdendi sese clauibus Ecclesiæ, per confessionem & absolutionem sacramentalem. Cuius rei typus desumi potest ex [k] leprosis illis Euangelicis, qui à Domino absoluta potestate mundati sunt, manente tamen constanti proposito, sacerdotibus sese ad legalem discretionem subjiciendi. Atq; sine his vel illarum

a Cõtritio quid & vnde sic dicta.
b Rom: 2. vers. 5.
c Esech: 11. v. 19. Matth: 22. v. 37. Deut: 4. ver. 29.
d Contritio vera tria requirit. Ioel: 2. ver. 12.
e Esech: 18. v. 31.
g Gregor: lib. 8. Moralium.
h Pœnitentiam certã facit amor Dei & odium peccati. August: Serm: 7. de Tempore. Et Enchyridij ca. 67.
i Matt: 5. v. 13.
k Lucæ 17. v. 14.

larum aliqua partibus, Contritio vera dici non potest. [a] Cæterùm quia sicut amor Dei supra omnia, sic dolor peccati propter ipsum Deum, perfectorum est: prouidit diuina benignitas, vt à minùs perfectis vel incipientibus, modò pœnitere volentibus, imperfectiorem etiam dolorem exigeret: qui dicitur à Theologis Attritio, quasi tentata quidem, sed imperfecta contritio. Videtur autem ducta similitudo ab vna eademq; massa, quæ vnico attritui, non æqualiter tamen cedit, quin solidiores partes minùs quàm molliores conterantur. Quod nostro vulgari prouerbio distinguitur: **Jednému sie zmiele / à drugiemu sie skrupi.** Vnde sicut contritionem vocamus **Skruchá**: Attritionem (cùm apud nos suo nomine careat) nõ ineptè dixerimus **Skrupá**. Est enim attritio dolor de peccato ex necessitate potiùs vel timore, quàm ex charitate elicitus. Alia enim (secundùm D. [b] Gregorium) est compunctio seu contritio, quæ per amorẽ nascitur: quia aliud est supplicia fugere, aliud præmia desiderare. Talis autem timoris triplex est motus. Primò propter ipsius peccati turpitudinem. [c] Ierem: 2. Vide quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas. Secundò metu gehennæ: de quo sic [d] Ecclesiasticus: Si pœnitentiam (inquit) non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominum. Et [e] Dominus ipse: Illum (inquit) timete, qui cùm occiderit corpus, habet potestatem mittendi animam in gehennam. Tertiò, quando dolor peccati exoritur propter spem glorię, & retributionis æternæ. Tali certè dolore filius ille prodigus in se conuersus, dicebat: [f] Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus: ego autem hîc fame pereo? Surgam & ibo ad patrem meum, &c.

Cap. VI.

[g] Easdem compunctionis species B. Gregorius sic distinguit: Quatuor, inquit, sunt qualitates, quibus viri iusti anima in compunctione vehementer afficitur: cùm aut malorum suorũ reminiscitur, considerans vbi fuit: aut iudiciorum Dei sententiam metuens, & secũ quærens, considerat vbi erit: aut cùm mala vitæ attendens, solerter mœrens considerat vbi est: aut cùm bona supernæ patriæ contemplatur: quæ quia nec dum adipiscitur, lugens conspicit vbi non est. Hæc ille. Eiusmodi quoq; doloris distinctionem sic breuiter expressit [h] Apostolus: Tristitia (inquit) quæ secundùm Deum est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: seculi autẽ tristitia mortem operatur. [i] Quoniam verò species eiusmodi doloris, non videntur habere proportionem ad diuinæ gratiæ aditum, qui beneficio pœnitentię impenditur: iuxta illud Apostoli: Non sunt condignę passiones huius temporis ad futuram gloriam: eiusmodi defectum vel potiùs indispositionem, supplet ipsa virtus sacramenti in confessione & absolutione,

a Attritio quid, & quando supplet contritionẽ.
b Greg: lib: 8. Moralium.
c Ierem: 2 v. 36.
d Eccli: 2. v. 22.
e Matth: 10. v. 28.
f Lucæ 15. v. 17.
g Compunctio quatruplex.
h Greg: lib. 29. Moral. 2. Cor: 7. v. 10.
i Sacramenti vis ex attrito facit contritum. Rom: 8. vers. 18.

lutione, vt ex attrito pœnitens euadat contritus: vt decernit S. Con-
cilium Tridentinum Seſsione 14. Cap. 4. de Pœnitentia. Si enim
(ſecundùm Gregorium Magnum) longa mora amaritudinis pro
peccato ſuſcepta hoc efficit, vt qui priùs flebat ne duceretur ad ſup-
plicium, poſtea amariſsimè incipit flere quia differtur à regno: ma-
gis hoc ipſum virtus abſolutionis innitens merito Chriſti efficere
cenſenda eſt. [a] Exinde etiam ſequitur, dolorem moralem peccati,
qui fit vel propter damnum vel detrimentum quodcunq; tempora-
le, excludi à contritione, & ipſa etiam attritione. Nec illud omit-
tendum eſt: quemcunq; ex ſuprà recenſitis dolorē de peccato, modò
verus ſit, & habeat propoſitū non peccandi, cum ſpe veniæ, & voto
ſacramenti, (vt dictum eſt) ſufficere ad peccati remiſsionem: ita ta-
men, vt culpa & æterna pœna in toto remittatur, pœna verò tem-
poralis maneat relicta in parte, ſecundùm doloris proportionem.
[b] Poteſt etiam eſſe adeò feruens ipſa contritio, vt pœnam ſimul &
culpam vtramq; expiare valeat. Qualis in Petro Apoſtolo, Magdale-
na, & latrone in cruce, fuiſſe exiſtimanda eſt. In actione enim pœni-
tentiæ (inquit Auguſtinus) non tam conſideranda eſt menſura tem-
poris quàm doloris: nec annorum numero, ſed animi amaritudine
cenſetur. [c] Tantam pœnitentiæ vim in exemplo conuerſi latronis,
B. Cyprianus, piè ſimul & eleganter ſic depinxit: Latrocinium (in-
quit) damnationem meruerat & ſupplicium: ſed cor contritum,
pœnam mutauit in martyrium, & ſanguinem in baptiſmū. In mo-
mento impietas religionem, crudelitas induit pietatem, & ſtatim
conſummatus ciuis ſanctorum & domeſticus Dei, permiſſus eſt in re-
gnum: reconciliationis humanæ priuilegium ſecum ferens ad ſu-
peros: quod Deo Patri, tantæ legationis fungens honore, in ſeipſo
ſcripturę huius experimentum continens, libero & ſecuro aditu pe-
netrans, pręſentauit. Quid tu Domine, ampliùs Stephano contuliſti?
Quid ampliùs ille obtinuit dilectus tuus, qui ſupra pectus tuum in
cœna recubuit? Quid ampliùs Pauli meruêre ſudores? quid labores
ſanctorum? quid tot annorum tormenta? quid Martyrum plagæ?
hora huic collatū eſt præmium, ad quod illi per tot diſcrimina rerū
peruenerunt. Hæc Cyprianus glorioſiſsimus martyr.

Conc: Trid: Seſſ: 14. cap. 4.
Aug: Ser. 109. de Tempore cap. 8.
c Dolor ad verā contritionē qualis requiritur.
b Contritio feruens ſupplet reliquas partes pœnitentiæ.
Auguſt: Serm. 66. de Temp. Et in Enchyrid: cap. 65.
c Exemplum latronis in cruce.
Cypr: Serm: de Cœna Domini.

Secunda pars Sermonis, de Confeſsione.

SEcunda Pœnitentiæ pars integralis, eſt [d] Confeſsio: Cap. VII.
Quæ eſt manifeſtatio exterior voluntaria peccatorum, ex dolore
eorum proueniens, facta ſacerdoti vſum clauium Eccleſiæ ha-
benti,

d Cōfeſsio quid & qualis pars Pœnitentiæ.

benti, ad eorū remiſsionem. In qua definitione, ſimiliter vt in ipſius
pœnitentiæ, elucent duæ eius partes eſſentiales: manifeſtatio qui-
dem peccatorum per confitentem veluti materia: cenſura verò in
remittendo vel detinendo, formæ ſimilitudinem habet, quæ fit per
ſacerdotis abſolutionē, vel officij ſui executionē. Conuenientiſsimè
autē in ſacramēto pœnitentię, cōtritioni vel attritioni ſuccedit Con-
feſsio. Primò ex rationibus de partibus pœnitentiæ adductis: vt ni-
mirū, ſicut peccata cordis ſeu animi, Deo reconciliantur per contri-
tionem, [a] ſic eadem peccata Eccleſiæ matri reconcilientur per con-
feſsionem, eiq; tanquā ſponſæ Chriſti concreditam eorum remiſsio-
„ nem. Hoc enim intendebat Dominus, quando vltimas controuer-
„ ſiarum definitiones ad Eccleſiam remittens, eius vtiq; authoritate,
tale iudicium cœlitus etiam comprobandum, ad eiuſdem Eccleſiæ
Prælatos deriuat: vt paulò poſt dicetur. Ea quoq; ratione Apoſtoli
in ſuo Symbolo, profeſsioni Eccleſiæ Catholicæ, eiuſq; communio-
ni, ſubiunxerunt ſtatim remiſsionem (hoc eſt, poteſtatē remiſsionis)
peccatorum. Rationem dat [b] Tertullianus inquiens: Non poteſt
corpus de vnius membri vexatione lætum agere: condoleat vniuer-
ſum, & ad remediū conlaboret neceſſe eſt. In vno & altero Eccleſia
eſt, Eccleſia verò Chriſtus. Ergo cùm te ad genua fratrum proten-
dis, Chriſtum contrectas, Chriſtum exoras. In eundem ſenſum Au-
guſtin⁹: Sic & peccata (inquit) quia pręter Eccleſiam nō dimittuntur
in eo ſpiritu dimitti oportebat, quo in vnū Eccleſia congregatur. Sic
„ ille. Sicut enim in iuſtificationē ante baptiſmū ſecundùm [c] Apoſtolū:
„ corde creditur ad iuſtitiam: ore autem fit confeſsio ad ſalutem: ſic
dici poteſt in iuſtificatione poſt baptiſmum: contritio fit corde ad
iuſtitiam: ore autem fit confeſsio ad ſalutem. Confeſsioni ſiquidem
(ſecundùm [d] Chryſoſtomum) ſufficiebat indulgentia pœnę: diuina
autem benignitas ſuperaddit præmium & coronam, vt oſtendit in
Cap. VIII. pœnitente latrone. [e] Eò etiam ſpectant illæ ſacræ commonitio-
nes, Narra ſi quid habes vt iuſtificeris. Qui abſcondit ſcelera ſua nō
„ dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam
„ conſequetur. Iuſtus primò accuſator eſt ſui. Primus enim (inquit
B. Cyprianus) ad iuſtitiam gradus eſt, cognoſcere delictum. Et ſe-
cundùm Gregorium Magnum: Exordium humiliationis, eſt humi-
„ litas confeſsionis. Monet etiā ſacer Sapiens: Non confundaris con-
„ fiteri peccata tua: & non ſubijcias te omni homini pro peccato. Vbi
aſſerit ſubiectionē pro peccato, vtiq; remittendo, homini faciendam:
& non cuicunq; homini, ſed tantùm ſacerdoti, poteſtatem legitimam
clauium Eccleſiæ habenti, vt infrà dicetur. [e] Nam ſicut in veteri legē
Circum-

a Confeſsione ſatisfit Eccleſiæ. Matt: 18. ver. 17.
b Tertullian: de Pœnitentia.
Auguſt: Serm: 11. de verbis Domini cap. 17:
c Rom. 10. v. 10.
d Chryſ: in Iſaiā Prologo 1.
e Confeſsionis teſtimonia ſacra, Iſaiæ 43. verſ. 25. Prou: 28. v. 13. & cap. 18. ver. 17.
Cypr: lib: 1. Epi. 3.
Greg: Moral: 22. cap. 13.
Eccleſiaſt: 4. v. 31.
e Sacerdotes quomodo verè remittunt peccata.

Circumcisio quidem homines adscribebat populo Dei, sed postmodum delinquentes pœnitentia per oblationes expiabat. Ad eundem modum (inquit S. [a] Cyrillus, Apostoli & eorum successores) cum peccata remittunt aut detinent, spiritus qui habitat in eis remittit & detinet. Erit autem id per eos duobus modis: primò baptismo, deinde pœnitentia. Nam aut credentes & vitæ sanctimonia probatos ad baptismum inducunt, & indignos repellunt: aut filijs quidem Ecclesiæ peccantibus quidem increpent, pœnitentibus autem indulgent. Hæc ille [b] Christus enim nouus legislator sicut primam expiationem baptismi instituerat dicendo: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur: Sic postmodum secundam, quæ fit per pœnitentiam: primò quidem instituit dicendo: [c] Quodcunq; alligaueritis super terram, erit ligatum & in cælo: & quodcunq; solueritis super terram, erit solutum & in cælo. Deinde eandem promissionem & institutionem ad vsum reduxit, [d] quando post suam resurrectionem iam gloriosus, insufflatione sensibili, rem spirttualem & diuinam humano veluti modo & vsu communicans, dicebat ijsdem discipulis: Accipite Spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta sunt. Tantàm autem potestatem comparauit clauibus regni cælorum, quarum potestatem originalem in reliquos deriuandam, in persona & officio Petri reposuit: quando ad eum præ cæteris & supra cæteros discipulos dicebat: [e] Tu es Petrus, & super hanc Petrā ædificabo Ecclesiam meā: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: Et quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cælis. Quam promissionē ac prærogatiuam postmodum post suam similiter glorificationem, eidem Petro supra alios quoq; discipulos præstitit, dicens: [f] Pasce agnos meos: Pasce agnos meos: Pasce oues meas. In quo priuilegio Apostolorum, secundùm Rabanum, continetur, primùm quidem discretio dignoscendi & discutiendi, deinde potestas remittendi, peccata. Et ista fortasse ratione, benignissimus quamuìs legislator vtrobiq; primo loco ponit discretionem alligationis, quàm potestatem & benignitatem solutionis. [g] Vnde perfectiùs quàm olim in lege, apertissima in hoc sacramento elucet iudicij forma. Reus enim est ipse peccator resipiscens: Actoris verò & accusatoris vices, sustinet propria conscientia, partim veritatis naturali quodam impulsu, partim contritionis vel attritionis directione, sti-

[a] Cyrill. Alex. in Ioā. lib. 12. Ca. 56. Vide etiā Ambr. de Pœnitentia lib. 1. Cap. 7.

[b] Math. 28. v. 19. Marci. 16. v. 16.

[c] Math. 18. v. 18.

[d] Ioan 20. v. 22.

[e] Matt: 16. v. 18.

[f] Ioan. 21. v. 15. Rabanus super hunc locum.

[g] Confessionis forma iudicialis.

ne, stimulata. Iudicis autē qui propriè Deus est, vicem & personam sustinet sacerdos, diuini spiritus insufflatione, vt dictum est, peccata discernens, ac verè vel dimittens, vel detinens: [a] ex hominibus tamen (teste Apostolo) assumptus, vt & ipse circundatus infirmitate, possit condolore ijs qui ignorant & errant. vnde fit vt tale iudicium terrenum quamuis & temporale, cælestis tamen & æterni tribunalis, non censuram seu retractationem, sed indubiam approbationem, diuina cautione acquirat. Ideoq; Euangelicis veriùs quàm legalibus iudicibus competit, quod per [b] Iosaphat Regem dictum fuisse legimus: Videte quid faciatis: non enim hominis excertis iudicium, sed Domini: & quodcunq; iudicaueritis, in vos redundabit.

Cap. IX.

[c] Inde etiam firmatur sigillum Confessionis, quo sacerdos non tam humanum quàm diuinum opus peragens, confitentium peccata, & ea ex quibus innotescere quoquo modo possint, directè vel indirectè, summæ etiam potestati terrenę reuelare, sub pœnis exquisitissimis prohibeatur. [d] Deniq; ista potestas, quamuis expressè Petro, & post eum cæteris etiam Apostolis, fuerit à Domino tradita: dubium tamen non est, quin ad eorum quoq; successores Episcopos, & alios Ecclesiæ Christi Pastores legittimè missos deriuetur: Cùm & Ecclesia ipsa, ad quam potissimum ipsa potestas erat delata, propter perpetuam sponsi sui cælestis, eiusq; Spiritus assistentiam, nunquam sit defutura. Quam sentetiam S. [e] Cyrillus firmat exemplo tam noui quàm veteris testamenti: quando Thomas quantūuis absens, non minùs quàm cæteri Apostoli accepit Spiritum Sanctum, quem Dominus in præsentes tantùm discipulos insufflasset. Similiter & duo illi ex septuaginta viris, tunc absentes, quando Deus ex spiritu Moysis ad gubernandum populum Dei impartiebatur, non minùs quàm cæteri præsentes, eiusdem Spiritus participationē acceperunt. [f] Ipse siquidem Spiritus sese communicans vbi vult spirat, & replendo orbem terrarum scientiam habet vocis. Istam porrò confessionis, de qua modò diximus, institutionem, Apostolos eorumq; proximos successores in vsu habuisse, sacra scriptura nō obscure testatur.

Cap. X.

[g] Officium enim ligandi vel soluendi, remittendi peccata, vel detinendi, quod eos exercuisse certum est, absq; confessione, in notorijs quidem peccatis, publica vel etiam solēni, in occultioribus autem secreta, quam auricularem vocamus, fieri non potuit: vt pote quibus tanquam medicis animarum, (vt eos vocat [h] Origenes) secundùm Chrysostomum, datum esset lepram vel plagas, non corporis externas vel sensibiles, vt olim legalibus Sacerdotibus tantùm discernere, sed plagas animæ occultissimas dignoscere

[a] Hebr. 5. v. 1.

[b] 2. Paral. 19. v. 6.

[c] Sigilli cōfessionis ratio & firmitas. Concil. Lateranense Cap. 21.

[d] Potestas remittendi peccata in Apostolis data eorum successoribus.

[e] Cyrill. Alex. in Ioan: lib. 12. Cap. 56. Numer. 11. v. 25. Ioan: 20. v. 24.

[f] Ioan 3. v. 8. Sap. 1. v. 7.

[g] Confessionis priuatæ praxis in Ecclesia.

[h] Origenes hom: 1. in Psalm: 37. Chrysost: lib. 3. de Sacerdotio.

gnoscere simul, & virtute diuina curare. Nihil siquidem (teste D. [a] Augustino) infeliciùs & peruersiùs, quàm de ipso vulnere quod latere non potest, non erubescere, & de ligatura illius erubescere. Hac ratione [b] S. Iacobus, primus post ascensionem Domini sedis Hierosolymitanæ Antistes, institutionem sacramentalis istius confessionis à Domino factam, in executionem & vsum deducendo: postquam vnctionis extremæ sacramento attribuisset remissionem peccatorū, (proprie autem venialium) per ministerium Presbyterorum Ecclesiæ, mox quasi ad delenda mortalia, subinfert præceptum confessionis dicens: Confitemini alterutrum peccata vestra: edocens, eisdem Presbyteris quamùis sibi similibus hominibus, sed qui sanandi corpora quidem oratione, animas verò pœnitētia, potestatem à Deo accepissent, reuelatis atq; inde releuatis corporalibus plagis, animæ quoq; vitia, ad perfectam totius hominis salutionem, non esse obserranda. [c] Huc pertinent & illa Euangelicæ legis testimonia. Exibat ad eum (Ioannem ad quem terminabantur lex & prophetæ) omnis regio Iudææ, & Hierosolymitæ vniuersi, & baptizabātur ab eo in Iordanis flumine, confitentes peccata sua. Illa enim confessio [d] circa baptismum Ioannis facta, ad dignos pœnitentiæ fructus faciendos, erat quædam initiatio confessionis sacramentalis, quæ similiter baptismum Christi esset subsecutura. Non absimili modo alius Ioannes Apostolus & Euangelista, [e] quamùis primò quidem in ijs, qui fide & baptismo societatem iniissent cum Christo, depulsa cœcitate erroris & peccati, requirit lumen fidei & bonorum operum: nihilominus tamen subinfert infirmitatis humanæ eam esse in mortali isto cum hostibus spiritualibus certamine rationem, vt sine lapsu peccati (saltem venialis) esse nequeat: sic tamen vt precio sanguinis Christi semel profusi, identidem à lapsu releuetur. Nec aliter sanè quàm per confessionem, non tam Deo, qui (vt paulò post ibidem [f] dicit) maior est corde nostro, quàm Ecclesiæ eiusq; Prælatis, qui ligandi & soluendi potestatē à Domino accepissent. [g] Cōmendauit & ipse Dominus sicut pœnitentiam ipsam, sic & eius partem quæ confessio est, in illis parabolis: [h] quarum occasio erat accessus publicanorum & peccatorum ad eum, vt audirent illum: qui quidem accessus veluti resipiscentiæ externa manifestatio, vicem confessionis, & quidem publicæ continebat: sicut & illa Zachæi, quando publicè murmurantibus licet aduersarijs, dicebat ad Dominum: Si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Sed manifestissima extitit filij illius prodigi, corde quidem concepta, & eisdē postmodum verbis foras prolata, confessio, quando dicebat: [h] Pater peccaui in cælum & coram te, & non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum ex mercenarijs tuis. Vbi notandum est, quòd cælestem offensam compunctione cordis, terrenam autem reuersione ad patrem, & confessione oris, vtrumq; autem simul propria abiectionis vindicatiône quadam, recompensat. [a] Refert etiam S. Lucas, Ephesios ad prædicationem & miracula Pauli conuersos & compunctos, magnificasse nomen Domini Iesu, & multos credentium venisse, (ad Paulum, & eius discipulos quorum suprà meminit) annunciantes actus suos. Insuper etiam multos ex eis (id est confessis) qui fuerant curiosa sectati, contulisse, & coram omnibus combussisse libros, (Magicos & infideles,) quinquaginta millibus denariorum æstimatos. In quo exemplo, vt alia omittamus, apertissimè elucet, non solùm confessio ipsa particularis, sed etiam reliquæ pœnitentiæ partes, contritio nimirum & satisfactio.

[a] August. hom. 50. Cap. 4.

[b] S. Iacobus vnctionē & cōfessionem sacramentalem promulgauit.

Iacobi 1. v. 16.

[c] Euangelica cōfessionis testimonia & exempla. Math. 3. v. 5.

[d] Ioannes Baptista pœnitentiā prædicat.

[e] Ioanes Euangelista pœnitentia attestatur. 1. Ioan: 1. ver. 3.

[f] 1. Ioan: 3. v. 11.

[g] Christ9 inuitat ad Pœnitentiam. Lucæ 5. v. 15. 17.

[h] Exemplum filii prodigi. Lucæ 15. v. 17. & 21.

[a] Actor. 19. v. 18.

Cap. XI.

[b] Talem equidem confessionis seu Exomologesis, quæ totam rationem pœnitentiæ continet, modum, ex illo tempore huc vsq; conseruat Ecclesia. Instruebat B. Petrus (inquit discipulus & successor eius Clemens) actus suæ vitæ omni hora custodire, & in omni loco Deum respicere: firmiter scire malas cogitationes cordi suo aduenientes mox ad Christum allidere, & Sacerdotibus Domini manifestare. [c] Ecce confessionem particularem & sacramentalem, vocauit ipse vertex Apostolorum allisionem ad ipsum Christum, qui erat Petra: aliam tamen Petram in eius successore visibilem substituens, in qua Ecclesia sua perpetuò exædificaretur, cui portæ inferi non præualerent: & cui claues regni cælorum traditæ fuerint, tanta potestate, vt quicquid in terris ligaret vel solueret, in cælis ligatum & solutum permaneret. Ne autem homines hominibus talem subiectionem denegarent, idem Clemens superiùs id ipsum sic explicat. [d] Quod si fortè (inquit) alicuius cor, vel timor, vel infidelitas, vel aliquod malum, ex his quæ superiùs memorauimus, latenter irrepserit, (nota hîc secretam confessionem) non erubescat, qui animæ suæ curam gerit, confiteri hæc, huic qui præest: (nota hîc rursus proprium sacerdotem,) vt ab ipso per Verbum Dei, & consilium salubre curetur: quo possit integra fide & operibus bonis, (nota cōfessionis effectū) pœnas æterni ignis effugere, & ad perpetuæ vitæ præmia peruenire. Hæc ibi. [e] Tertullianus etiā proximus antiquitatis Apostolicæ successor ait: Tantum reuelat cōfessio delictū, quātum dissimulatio exaggerat. Confessio enim satisfactionis consilium est: dissimulatio contumeliæ. Ideo Augustinus optimus & ipse secundùm Caluinum, antiquitatis interpres sic inquit: Cor quidem

[b] Doctrina Apostolorum Principis de Pœnitētia. Clemens Romanus Epist. 1. ad Fratrē Domini.

[c] Peccata per cōfessionem allidēda ad Petram. Psal. 136. v. 9. 1. Cor. 10. v. 4. Matt. 16. v. 16.

[d] Cōfessionis vis & vtilitas.

[e] Cōfessionis ratio & necessitas. Tertull. lib. de Pœnitentia. August. hom. 41. 47. 50. Et de visitatione infirmorum Cap. 4.

dem contritum & humiliatum Deus non despicit. Verùm quia ple-
runq; dolor alterius cordis occultus est alteri, neq; in aliorum noti-
tiam per verba vel quæcunque alia signa procedit: cùm sit coram "
a Psal. 37. v. 10. illo cui dicitur, [a] Gemitus meus à te non est absconditus: rectè con-
stituuntur ab ijs qui Ecclesiæ præsunt tempore pœnitentiæ, vt fiat
etiam satis Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata: extra eam
quippe non remittuntur. Et alibi sic scribit: Agite pœnitentiam,
qualis agitur in Ecclesia, vt oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi
dicat: Occultè ago, apud Deum ago, nouit Deus qui mihi ignoscit,
b Math. 18. v. 18. quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est? [b] Quæ solueritis "
& Cap. 16. v. 16. in terra, erunt soluta in cælo? Ergo sine causa claues datæ sunt Ec- "
clesiæ Dei? Frustramus Euangelium Dei? Frustramus verbum
Christi? Promittimus vobis quod ille negat? Nonne vos decipi-
mus? Idem alibi: Sunt quidam qui sufficere sibi ad salutem autu-
mant, si soli Deo cui nihil occultum est, quem nullius latet consci-
entia, sua confiteantur crimina. Nolunt enim aut erubescunt, siue
c Math. 17. v. 14. dedignantur [c] se ostendere sacerdotibus: quos tamen inter lepram
Leuit. 24. v. 20. & lepram discernere per legislatorem constituit Dominus. Sed no-
d Confessor est lo vt ipsa decipiaris opinione, quatenus confundaris confiteri [d] co-
vicarius Christi. ram Domini vicario: vel tabescens præ rubore, vel ceruicosus præ
indignatione. Nam ipsius similiter subeundum est iudicium, quem
Dominus sibi non dedignatur vicarium. Tantum enim abest (addit
e Ambros. lib. 1. magister Augustini [e] Ambrosius) tales Domino deferre reuerenti-
de pœnitentia am: vt potius maiorem illi inferant iniuriam, volentes mandata
Cap. 2. eius rescindere, comissum munus refundere. Nam cur ipse Dominus "
f Ioan 20. v. 22. Iesus in Euangelio suo dixerit.: [f] Accipite Spiritum Sanctum: quo- "
rum remiseritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis, de- "
tenta erunt. Quis est ergo qui magis honorat, vtrum qui manda- "
tis obtemperat, an qui resistit? Ecclesia in vtroq; seruat obedienti-
g Hæreses extre- am, vt peccatum & alliget & relaxet. [g] Hæresis in altero immitis,
mæ circa Pœnitē- in altero inobediens: vult ligare quod non resoluat: non vult sol-
tiam taxantur. uere quod ligauit: in quo se suámq; sententiam sua damnat senten-
tia. Dominus enim par ius voluit esse soluendi & ligandi, qui vtrūq;
pari conditione permisit. Ergo qui soluendi ius non habet, nec li-
gandi habet. Hæc Ambrosius contra sui temporis Nouatianos: sed
quæ ad amussim modernis quoq; Nouatianis simul & Nouatoribus
conueniunt: qui cùm peccatorum veram, & realem remissionem
per pœnitentiā in Ecclesia denegent, contra professionē quam ipsi-
met in Symbolo Apostolorum retinent, Censuras tamen & excom-
municationes retinent, quibus sæpe suos ex synagogis, publica quā-
doq;

Cap. XII. doq; & criminiosa proclamatione eijciunt. [a] Porrò, quando apud a Ex vera contri-
Catholicos ex contritione cordis, elicienda quoq; sit confesio oris, tione eliciturhu-
optimè docet S. Bernardus sic dicens: Quamobrem ministros ver- milis Confessio:
bi Sacerdotes, certè necesse est ad vtrumq; vigilare sollicitos, quo Bernard9 de no-
videlicet delinquentium cordibus tanto moderamine verbum timo- ua militia Ca. 12.
ris & contritionis infligant, quatenus eos nequaquam à verbo con-
fessionis exterreant: sic corda aperiant, vt ora non obstruant. Sed
nec absoluant etiam compunctum, nisi viderint & confessum. [b] b Rom. 10. v. 10.
Quandoquidem corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit Eccl. 17. v. 26.
ad salutem. Alioqui à mortuo (tanquam qui non est) perit confes-
" sio. [c] Deinde concludit verbis ex Augustino depromptis: Quisquis c Cōfesionis ex
" verbum in ore habet, & in corde non habet, aut dolosus est, aut va- tremus defectus.
nus. Quisquis verò in corde habet, & non in ore, aut superbus est, August. Serm. 30.
aut timidus. Hactenus ille. Ideo Theologi veræ Confessionis cō- ad Eremitas.
plures assignant conditiones. [d] Quas nos compendij causa ad quatu- I.
or præcipuas reuocabimus. Quarum prima est, vt Confessio sit vera. d Confesionis
Quemadmodum enim fundamentum curationis morbi corporalis, bonæ prima cō-
est eiusdem ex veris & proprijs causis cognitio, quæ maximè ex sen- ditio, vt sit vera.
su & relatione patientis dephenditur: [e] Simili modo plagæ in- e Morbus animæ
teriores, & secretæ animæ, certam curationem accipere non possūt, maiorem quam
nisi ex ordinatione summi Archiatri Christi, (vt notat Origenes) corporis seduli-
medicis animarum, Sacerdotibus, peccata sincerè manifestentur. tatem exigit.
" Quod ipsum sacer sapiens præmonet, dicens: Quid nequius excogi- Origē. in Psal. 31.
" tauit caro & sanguis? hoc arguetur. Virtutem altitudinis cæli Do- hom. 1. Et in Psal.
" minus conspicit, & omnes homines terra & cinis. Et alibi: Pro ani- 37. homel: 2.
" ma tua non confundaris dicere verum. Est enim confusio adducens Tertull. de Pœni-
" peccatū, & est cōfusio adducens gratiā & gloriā. Et rursus: Os quod tentia.
mentitur, occidit animam. Quod euenit Ananiæ & vxori suæ, quādo Conc. Trid. Sess. 14. Cap. 5.
" expirauerunt ad hanc vocē principis Apostolorū: Quare posuisti in Prouerb. 28. v. 13.
" corde hanc rem? Non enim hominibus mentitus es, sed Deo. Primò Eccl: 4. v. 24.
ergo & præcipuè requiritur, vt confesio sit vera, pura, simplex, & Actor. 5. v. 4.
fidelis: neq; peccata comissa dissimulando, neq; non comissa sibi in-
simulando: in dubijs autem confessorem consulendo: ita tamen vt
quæ dubia potiùs accusare, quàm certa excusare intēdat. [f] Secus cō- f Confessio simu-
muniter fieri solet, quando integra illa formula communis examinis lata vel dissimu-
peccatorum recitatur, veluti in iuris processu, Generalia contrà: vix lata perstringitur.
autem aliquid particularis & propriæ culpæ, examine etiā confessa- Clemens Alexā-
riorū extorqueri posit. Scitè igitur Clemens Alexandrinus, sic fictè drinus.
pœnitentes, & ideo in peccata relabentes, comparat cancris, qui cùm
ancipiti gressu procedant, & retrocedant, à piscatoribus faciliùs ca-
piuntur.

II.

a Confessio debet esse propria. 2. Reg. 24. v. 17.

a Secundò requiritur vt confessio sit propria. Cuius exemplū exhibet Dauid, sic seipsum accusans: Ego sum qui peccaui, & ego iniquè egi: isti qui oues sunt, quid fecerunt? Iam autē abusus inuectus est, in confessione propria & priuata, historias vitæ etiam alienæ texere, & multa aliarum personarum facta vel crimina (proprijs interdum prætermissis vel inuolutis) detegere. Cùm tamen aliorum gesta non sint tunc commemoranda, nisi ea sine quibus natura, qualitas, vel circunstantia peccati, innotescere non possit: & id quidem suppresso nomine. Alioqui talis cōfessio, excusatio potiùs est suipsius & ad iustificandum accusatio, exemplo primorum hominum in Paradiso, quando Adam dicebat: b Mulier quā dedisti mihi, dedit mihi de fructu, & comedi. Illa verò rursus: c Serpens decepit me. Satiùs enim confesso proprio delicto, culpam deprecati, seductionis censuram Domino reseruassent. Primò homini (inquit B. Augustinus) non dictum est: Confitere peccatum, quia non fecerat quod fateretur. Sed dictum est ei, vt non peccaret. Non optemperauit, peccauit. Nati sumus mortales ex vinculo peccati, propagata est miseria nostra per successionem fragilitatis humanæ: & dicitur nobis. Fatemini peccata vestra. Serpens autē ille quomodo tunc institit, vt nō seruaret homo quod illi dictū est, ne peccaret: sic modò instat, ne faciat homo quod illi dictū est, Confitere peccatum. Quomodo enim tunc fecit vt caderet qui stabat: sic modò agit, vt non resurgat qui cecidit. Sic Augustinus. d In eundē ferè sensum elegantissimè Chrysologus: Est nobis (inquit) dura & deflenda conditio: Peccare nos cogit fragilitas innata, & confiteri prohibet confusio cognata peccati. Malum enim facere pudor non est, & pudor est confiteri: Timemus dicere, quod committere non timemus. Et post pauca: Prima felicitas est, in peccati turpitudinem non venisse: sed felicitas est secunda, peccatorum veniam, peccatis latentibus inuenisse. Hoc e Propheta senserat, qui dicebat: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Hæc ille.

b Genes. 3. v. 12.
c Diabolus vt olim impugnauit innocentiam, sic modò Pœnitētiā.
August. hom. 12.
Chrysost. Prologo 1. in Isaiam.
d Erubescentia confitendi notatur.
Chrysol: Ser. 34.
e Psal. 31. v. 1.

Cap. XIII.

III.

f Confessio debet esse integra per examen conscientiæ.

f Tertiò confessio debet esse integra, ex accurata & amara (vt monet scriptura) annorum & vitæ suæ recogitatione atq; discussione. Quod Chrysostomus eleganter sic edocet: Melius erat nec omninò peccare: secundum autem est, non sentire peccatum, & corrigere. Sed si hoc non habeamus, quomodo supplicabimus Deo, & veniam peccatorū petemus, cùm nullam peccatorū rationem facimus? Cùm enim tuipse qui peccasti, nec hoc ipsum quidē quod peccasti scire velis, p quibus peccatis Deū orabis? pro hisne quæ ipse nescis? g Et quomodo scies beneficij magnitudinem? Dic igitur tua per species peccata, vt

Isaiæ 34. V. 25.
Chrysost: homel. 46. ad populum Antioch.
g Peccata omnia & singula confitenda.

Cap. XIIII.

cata, vt quorum capias veniam intelligas, vt erga benefactorem gratus ita efficiaris. Idem a alibi: Noli ergo tanquam parua hæc negligere, sed collige, ac in mente peruide, ac si in libro conscriberes. Si enim tu scripseris, Deus delebit: sin verò non scripseris, ipse Deus & scribit, & pœnas exigit. Quare multò melius est à nobis ista conscribi, vt à Deo deleantur, quàm horum nobis omnium oblitis, præ oculis nostris in die iudicij hæc à Deo proponi. Hæc ille. Curandum igitur est pœnitenti, vt præmisso accurato suipsius & vitæ anteactæ examine, ex circumstantijs temporum, locorum, vitæ & conuersationis specie, peccata, mortalia præsertim antehac nō confessa, vel non ritè absoluta, memoriæ demandētur, vel si ea labilis est, cartæ inscribantur: quod tamen in confessione non requiritur, modò faciat quis omnem possibilem diligentiam, nullo omisso peccata reuelandi. Tunc enim non studiose fortè omissa, supplebuntur in absolutione sacerdotis, vel subsequenti confessioni erunt adijcienda.

a Peccata nisi Confessione inscribātur ad dānationē conscribentur
Chrysost. hom. 42. in Matheum.

b Ratio dari potest ex Augustino. Quia confessio prodit exterius holocaustum cordis Deo integrè oblatum: ita vt homo nihil sibijpsi ex eo relinquat. Sic in typo Moyses à Pharaone sollicitatus, vt sacrificiū Deo oblaturus, si non fœminas vel pueros, saltem greges pecudum & peccorum in Ægypto relinqueret, animosè restitit dicens: Cuncti greges ibunt nobiscum, non remanebit ex eis vngula. Oppositum fecit à Domino reprobatus Saul: qui iussus extirpare funditus inimicos populi Dei, perpecit ipsi Regi, & pinguissimis quibusq; ex gregib9 hostilibus: Quidquid autem erat vile & reprobum, hoc ipse & milites eius dem oliti sunt. Similiter & tales, viliora delicta in confessione veluti occidunt: vberiora autem quibus animus illorum obstinatus veluti pascitur, ad relapsum dissimulant vel reticent. Cùm tamen reconciliatio Deo per remissionem peccatorū, adeò integra esse debeat, vt si aliquod peccatum celatum est, nullum eorum remissum esse censeatur: c Sicut enim teste S. Iacobo Apostolo, in vno peccato delinquens, fit omnium reus: sic vnum delictum dissimulans, reliquorum reatum non deponit. Augustinus elegantem ad tale propositum infert similitudinem: quando vnum supercilium abrasum altero relicto, infert corpori deformitatem, non quidem molis, sed proportionis detrimento, quę in parilitate & conformitate membrorum constituitur. Eiusmodi quoq; examinis & contritionis defectum, sic deplorat Chrysostom: d Oportet ergo recordari nos priora delicta, etiam ea pro quibus veniam consecuti sumus, vt intuentes quàm ingentem nodum debiti remisit nobis Deus, & ampliùs eum diligere possimus, & verecundiam pudoremq; concipere, atq; ex his corde compungi:

b Confessionis integræ ratio.
Aug. homel. 50. in fine.
Psalm. 50. v. 19.
Exodi 10. v. 26.
1. Regum 20. v. 8.
c Contra nō integre confitētes.
Iacobi 2. v. 10.
August. lib. 11. de Ciuit. Dei. Cap. 22.
d Peccata etiam dimissa recogitanda.
Chrysost. lib. 2. de compunctione cordis.

compungi: considerantes quòd nisi miseratio ipsius subuenisset, tantum illud peccatorum pondus sine dubio in imis nos inferni pœnis suppliciisq; pressisset. [a] Paulus etiam illa meminerat, quæ peremerat indulgentia: nos verò nec ista recordamur, quæ post baptismum commisimus, in quibus vtiq; periculum nobis saluum est, & reos nos atq; in vinculis positos tenet. [b] Quòd si aliquando ad recordationem venerimus, & visi fuerimus paululum inde cogitare & esse solliciti, statim effugit cogitatio, & transimus ad alia: & nec integra quidem hora patimur animam nostram afflictione mœroris huius adstringi. Hæc igitur causa est, quòd malis addimus mala, dum priorum memoria non permanet, nec dolor aliquis inuritur pro conscientia delicti. Hinc est, vnde nec ad confessionem accedimus. Quomodo enim confitebimur, quorum ne memoriam quidem tenemus? Et sic consuetudine contemnendi, dum de præteritis dolor nullus est, faciliùs superuenientibus malis locum damus. Quòd si omnis ex anima stimulus auferatur, & cuncta ei securitatis fræna laxentur, quis eam posthæc tenebit, aut quis eam de præcipitiis reuocabit? Quid prohibet vbi nihil metuitur, vbi nihil verecundiæ, nihil pudoris admittitur, vt non in omnes perditionis foueas demergatur. Hucusq; eggregius ille animarum medicus Chrysostomus. [c] Talem etiam defectum vel potiùs stuporem animi D. Gregorius comparat corporis augmento, quòd quamuis sine sensu & obseruatione, tamen hominem imutat. Secus faciendum esse in operationibus animæ, vt frequenti eius discussione eius incrementa obseruentur. [d] Huic vitio opponenda est antidotus, quam Chrysologus sic disertissimè præscribit: Hæc est Christi magna, larga, sola misericordia, quæ iudicium omne in diem seruauit vnum, & homini tantum tempus ad pœnitentiæ deputauit inducias: vt quod de vitiis infantia suscipit, rapit adolescentia, inuadit iuuentus, corrigat vel senectus: Et de peccato vel tunc pœniteat, quando sentit iam se non posse peccare: & tum saltem reatum deserat, quando illum reliquerit iam reatus: Faciat de necessitate virtutem: moriatur innocens, qui totus vixit in crimine. Hactenus ille.

[a] 1. Cor. 15. v. 9. 1. Timoth. 1. v. 13.

[b] Pœnitētia cur comuniter infru-ctuosa, perducēs ad indurationē.

[c] Greg. lib: 25. Moral: Cap. 6.

[d] Aetatem saltē senectus corrigat per Pœnitentiā. Chrysol: serm: 42.

[e] Ad integritatem confessionis, pertinet etiam discussio circunstantiarum peccati: quæ hoc vulgari versiculo comprænhenduntur. Cap. XV.

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Maximè verò earū, quæ mutant speciē facti seu peccati, vel aggrauant in infinitū seu plurimùm. Hoc potest cōfirmari verbis Apostoli, [f] quando iubet deponere omne pondus, & circumstans nos peccatū. „ Pondus siquidem potest intelligi ipsa species peccati, animam secun- „ dum

[e] Circumstantiæ peccatorum discutiēdæ & simul confitendæ.

[f] Hebr: 11. v. 1. August: serm: 30. ad Eremitas.

dùm Psalmistam, multùm, aggrauans: Circunstantia verò aliquid eidem facto adhærens, quòd naturam peccati vel prorsus immutet, vel plurimùm aggrauet. Vt in exemplo: Ablatio vel vsurpatio rei alienæ inuito Domino, est propriè furtum: sed eadem ablatio rei sacræ, quamùis ex loco non sacro, vel ex loco sacro, quamûis non sacræ, vel rei alicuius temporalis, sed sacris adnexæ, reputatur iam non furtum, sed sacrilegium. Quod in aliis factis diligenter est excutiendum. [a] Circumstantiæ enim alicuius peccati, possunt aliquādo maiorem culpam inducere, quàm ipsum in sua natura peccatum. Exemplum est in Dauide, qui necem Isboseth inimici vel potiùs æmuli in regno sui, sic censuisse & vindicasse legitur: Viuit Dominus
„ qui eruit animam meam de omnibus angustiis: quoniam eum qui
„ annunciauerat mihi & dixerat: mortuus est Saul: qui putabat se
„ prospera nunciare, tenui & occidi eum in Sicileg, cui oportebat
„ mercedem dare pro nuncio. Quantò magis nunc, cùm homines im-
„ pii interfecerunt virum innoxium, in domo sua, super lectum suum,
„ non quæram sanguinem eius de manibus vestris, & auferam vos de
„ terra? Præcepitq; Dauid pueris suis & interfecerunt eos, præcide-
„ runtq; manus & pedes eorum, (nota pœnam culpæ respondentem)
suspenderuntq; eos super piscinā in Hebron. Hæc ibi. [b] Quarta conditio bonæ confessionis est, vt sit parere parata: hoc est, vt pœnitens subiiciendo sese humiliter clauibus Ecclesiæ, iudicium & sententiam sacerdotis veluti ipsius Dei suscipiat, & secundùm possibilitatem suā, quam indicare ipse debet, exequatur: & hoc potissimùm in tribus: primò in reconciliatione inimicorū, si quos habet: secundò in restitutione alienorū: tertiò in executione operū satisfactoriorum, de quibus infrà. Duo autem priora obiter attingemus. [c] Certè reconciliationē proximi Dominus ipse adeò commendauit, vt in oratione à se tradita, deprecationem & remissionem quotidianorum delictorum, vicissitudinaria obligatione remissionis offensæ proximi sui, quamùis etiam inimici, obstrinxerit. Munus etiam seu sacrificiū (quòd etiam in cordis contritione spectatur) non priùs se acceptaturum professus est, quâm illud quis circa altare etiam relinquens, reconciliationē fraternam premitteret. Quinetiam suipsius reconciliationem, in vindictam quoq; acriorē reassumit, nisi quis ex corde intimo offensas proximi euellat. Notandum autem est, reconciliationem deberi non solum proximis quos ipse læseris, sed à quibus fortè læsus ipse es inimicis, ne saltem rancor vel eius signa erga illos gerantur. Quod prudentis confessoris iudicio vel consilio erit subiiciendum, & nos ex doctrina S. Augustini proximè sequenti Sermone referemus.

Quantum

Conciliū Tridē. sess: 14. Cap. 5. Conc: Vormatiense Can: 25. Psalm: 37. v. 5.

[a] Circumstantia quàm immutet & aggrauet peccatum.

2. Regum 4. v. 10.

IV.

[b] Confessio debet esse humilis & obediēs in exequendo à sacerdote imposita.

[c] Reconciliationis offensarū necessitas & modus. Matth. 6. v. 12. & Cap. 5. v. 24. & Cap. 18. v. 35.

a Restitutionis lex Euangelica exquisitissima. Hebr:7.v.17.

Cap. XVI.

a Quantum ad restitutionem. Sciendum est, in lege Moysis quamuìs illa secundùm Apostolum nil ad perfectum reduxisset, ad portionem quatruplam fuisse obligatam. Lex autem Euangelica nullam eius expressam pœnam præscribit, quòd propriorum potiùs largitionem per misericordiam, & iniuriarum tolerationem per exactam patientiam, profiteatur: adeò vt alienorum vsurpatio vel detractio locū in professione Christiana non inueniat. Quod post ipsius Domini doctrinam exquisitissimam, sic inculcat b Apostolus: Iam omninò delictum est in vobis, quòd iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? Sed vos iniuriam facitis & fraudatis, & hoc fratribus. An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Et alibi: c Qui furabatur, (hoc est, ante baptismum vel pœnitentiam) iam non furetur: magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est: vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti. Hæc ibi. Ex hac ratione tanta est in lege Euangelica restitutionis obligatio: vt absq; illa vel eius constanti proposito, nedum satisfactio vel confessio, sed nec ipsa contritio constare possit. Debet autem fieri in quacunq; illicita rei alienæ vsurpatione, quam consequitur aliquod debitum, siue damnum, siue quodcunq; detrimentum, in bonis, fortunæ, corporis, & animæ, quando nimirum præter reconciliationem charitatis, manet aliqua iniustitia. Restituere autem debet ille propriè qui alienū accepit: in defectu autē illius vel mora, & ij ad eam tenentur, qui quoquo modo vel participes, vel causa damni illius extiterūt. Reliquas restitutionis conditiones prudentiæ confessariorū relinquimus.

b 1.Cor.6.v.7.

c Ephes.4.v.28.

d Confessionis præceptum diuinum eiusq; instructio.

Cap. XVII

d Porrò confessionis præceptū est duplex: Alterum diuinū, quod ipsa etiam dictat conscientia, vt peccato mortali onerata, quā ocyùs sese exoneret confessione, vel contritione cum confessionis proposito. Quod magis necessarium est in articulo vel periculo mortis: vel quando putat quis tempore similis necessitatis copiam confessarij sibi defuturam. Hoc ipsum disertè monet Sapiens his verbis: e Pœnitentibus dedit (Deus) viam iustitiæ, & confirmauit deficientes sustinere, & destinauit illis sortem veritatis. Conuertere ad Dominum, & relinque peccata tua: precare ante faciē Domini, & minue offendicula. Reuertere ad Dominum & auertere ab iniustitia tua: & nimis odito execrationem, (intelligi potest excommunicatio etiam minor cuilibet peccato mortali inuecta) & cognosce iustitias & iudicia Dei: & sta in sorte propositionis & orationis altissimi Dei. In partes vade seculi sancti (hoc est, vt per absolutionē restituaris gremio Ecclesiæ sanctæ) cùm viuis & dantibus confessionem Deo. (peccator enim habet

e Pœnitētiæ stimulus. Eccli:17.v.20.

habet nomen, quòd viuat seu mortuus est: a Apoc: 3.) Non demoreris in errore impiorum (pœnitentiam negligentium) ante mortem confitere. A mortuo quasi nihil perit confessio. Confiteberis viuens, viuus & sanus confiteberis: & laudabis Deum, & gloriaberis in miserationibus illius. Hæc ibi. Et hoc quidem præceptum est ipsius cælestis Patris. b Sequitur & aliud Ecclesiæ tanquā matris, vt vnusquisq; fidelis, cuiuscunq; sexus, postquam ad annos discretionis peruenerit, teneatur saltem semel in anno peccata sua confiteri proprio sacerdoti. Non quòd (vt sacrum Tridentinum Concilium explicat) præceptum confessionis instituere intenderet, quod iure diuino pridem institutum esset, vel quòd in peccato perseuerantibus patrocinaretur: sed vt isto veluti symbolo tales notati, ab Ecclesiæ communione tam viui quàm defuncti excluderentur. Ideo ista præcepti Ecclesiæ ratio, rectè accommodabitur rationi illi similis præcepti legalis: Oculum pro oculo, dentem prodente. Sicut enim (vt appositè discernit c Augustin⁹) illud præceptū erat furoris, & vindictæ limes, non fomes, limitando nimirum vindictam, ne vltra æqualitatem excedat, non prouocando. Eodem modo ista lex Ecclesiastica, contra negligentiam confitendi, non est fomes, vt inducias pœnitentiæ ad peccatum statuat: sed potiùs limes, vt intermittentes confessionem sine rationabili causa corrigat.

a Apoc: 3.v. 1.

b Confessionis præceptū Ecclesiæ matris eiusq; ratio.

Conc: Lateranē: sub Innocentio. III. Cap.21.

Concil: Trident: Sess:14.cap.5. & 7

Exodi 21. v. 24. Matth: 5.v. 38.

c August: contra faustum. lib. 19. Cap. 25.

Cap. xviij.

Cæterùm cùm alteri præcepto sumendi Eucharistiam saltem semel in anno, tempus Paschale fuerit assignatum: rationabiliter (vt posterius Concilium Tridentinū declarat) ipsum confessionis præceptum eo quoq; tempore peragitur, d Cùm secundùm Apostolum, vsum Cœnæ Dominicæ præcedere debeat probatio suijpsius, quæ non aliter (vt antè ostendimus) quàm confessione sacramentali perficitur. e Porrò quando Ecclesia talis annuæ confessionis ministrū definit proprium sacerdotem, in præcepto salutis, non æquiuocè sed vniuocè loqui censenda est: vt proprius sacerdos Logica determinatione intelligatur, cui vni, & soli, & semper, hoc officium competat. Et sic ista restrictio accommodanda erit non tam ijs, qui verè quidem sed vniuersaliter præsunt: quàm pastoribus ordinarijs & particularibus, quibus singulis singuli quoq; determinati animarum greges demandati sunt, quibus etiam ideo singuli, & soli, & semper in continua residentia sunt veluti desponsati: f Nam ipse bonus pastor & princeps pastorum Christus, à mercenario pastorem sic discernit, qui habeat oues proprias, easq; cognoscat, & vicissim ab eis cognoscatur: quas etiam vocando nominatim voce propria illis innotescat: eisq; in educendo & reducendo illas præeat, & pascua administret: quæ-

d 1.Cor:11.v.28.

e Proprius sacerdos in præcepto confessionis annuæ quis?

f Ioan. 10. v. 3. & 12.

quæ vtiq; de pastore singulari & ordinario propriè intelligi dubium
non est: Et istam fuisse intentionem illius Canonis, verba sequentia
declarant. Primò enim quorsum fit tam singularis mentio vel po-
tiùs determinatio proprij sacerdotis, si cuicunq; potestatem subdele-
gatam aliunde habenti, talis tunc concederetur absolutio? Deinde
eum, qui ex rationabili causa confiteri alieno sacerdoti vellet, pro fa-
cultate obtinenda, Concilium remittit, non ad sumum Pontificem,
qui vniuersitati Christianæ, nec ad Episcopum loci ordinarium, qui
toti suæ Diœcesi, præest, sed ad eundem ipsum proprium eiusdem
curæ particularis sacerdotem: Vt nimirum, qui si nō ipse ouem pro-
priam toto anno morbidam discernat, vtiq; sciret cui discernendam
a Sacerdotis proprij cōfusio animabus exitiosa. committat. [a] Iam verò non solùm reliquo anni tempore, sed hoc
etiam singulariter priuilegiato, relictis proprijs Parœcijs, curritur
passim per alienas Ecclesias, & Monasteria: ibiq; sæpiùs vel mercena-
rij, vel beneficiarij, vel noui recentesq; & ignoti, interdum etiā igno-
b Cōfessoris subdelegati examen & censura. rantes, nec ab officio loci ordinarij (vt sacri [b] Canones præscribunt)
examinati, & approbati confessarij, cōquiruntur: qui prætextu con-
cessionum Sedis Apostolicæ, suis ordinibus largitarum, omnes ad-
Cōc: Trid: Sess. 23 Cap: 15. uentantes sine discrimine absoluunt. Cùm tamen eiusmodi potestas
c 2. Cor: 10. v. 8. (vt dicunt immediata Apostolica) cōcessa fuerit in [c] ædificationem, "
non in destructionem: & vt plurimùm ad infidelium (vbi nouum "
ius Ecclesia acquirit) conuersionem: non ad fidelium, priore Apo-
stolica authoritate stabilitam, euersionem vel perturbationem. Quòd
si à talibus viris, alioqui doctis & religiosis directè non intenditur:
indirectè tamen ex eiusmodi vsurpatione in plebe subsequitur. Ve-
rendum etiam est, ne in tam aperto Canone, ista proprij laxitas, pro-
prij etiam in voto paupertatis aliquibus similem laxitatem inducat.
Quod si etiam non accideret, saltem ista proprij sacerdotis adeò latè
deriuata Amphibologia, similis mihi videtur illi in iure nostro pa-
trio captiunculæ, de frumentis proprij laboris. Talia enim frumen-
ta, cùm & iure faciliùs vindicentur, & à vectigalibus liberiùs ab-
soluantur: multi proprias fruges, non eas solùm (vt lex intendebat)
quæ ex propria nobiliū cultura proueniunt, sed etiā quæ mercatura
(quæ & ipsa laboriosa & negotiosa est) aliunde cōquiruntur, insuetæ
cum damno Reip: libertati vendicant: & ad confirmandā hanc veri-
tatem, requisiti ab exactoribus, peierantes, se iustè iurasse reputant.
Sic quando sacerdos proprius, factus est communis & promiscuus,
incommodum quod sacrum Concilium sublatum volebat, inuectū
potiùs etiam & suscitatum est: quando aliquis de confessione annua
requisitus, eam mille aliquando proprijs (si Deo placet) sacerdotibus
facilè

facilè eludere possit. Et mirum est, eos qui sic absoluunt, absolutos
pro receptione Eucharistiæ ad proprias Parœcias remittere: cùm ta-
men sacra Synodus id minimè præcipiat, sed tantùm dilationem
communionis sacræ ex legitima causa, consilio proprij sacerdotis
subijciat. Consequetur ergo ex illorū facto, vt qui in secūdario com-
munionis præcepto, ꝓprius sacerdos fuerit vel ab ipsis reputatus, in
primario, quod maximè Synodus intendebat, ꝓprius itidē reputetur.
Cap. XIX. [a] Circa ipsam deniq; communionem sic consarcinatam, incom- a Communionis sacræ ex promiscua absolutione incommoda.
moda & scandala quis enumeret? In Ecclesias enim Parochiales in-
stante officio diuino tunc præoccupatas, irruere solet nescio quæ
turba, plerunq; sine ordine, nec inuicem expectantes, vt [b] Aposto- b 1. Cor: 11. v. 33.
lus præcipit, exotico quodam imperio communionem sacram non c 1. Reg: 2. v. 16.
" tantùm illis scripturæ repræhensis verbis extorquens: [c] Nequa-
" quàm accendatur primò (oblationis sacræ) adeps: sed nunc mihi da;
" alioqui tollam vi. Accumbitur dehinc promiscuè mensæ sacræ:
vbi videas plurimas personas prorsus incognitas, quæ vtrum ad Pa-
rœciam hanc pertineant, an sint confessi, plenè absoluti, ac decenter
præparati: sed etiam, an sint fideles vel infideles, Hæretici, Schisma-
tici, excommunicati, vel aliâs impediti, si fortè (vt exempla non de-
sunt) quisquam talium, Christum susceptum Iudæis cum Iuda non
sit traditurus & venditurus? hæc inquam, & similia metuere, suspi-
cari, & quandoq; ominari licet, disquerere & examinare non licet.
[d] Non enim (inquit de similibus B. Augustinus) licèt simul cuiquam d August: hom. 49. Cap. 4.
accusantem esse & iudicem. Ex illis verò qui noti sunt, cernuntur
quandoq; publici peccatores, qui post tot cōmuniones licet annuas,
[e] pellem Æthyopicam non mutârunt: quorum cùm vulgo nota e Ierem. 13. v. 23.
fuisset licentia, occulta tamen ad dominicum conuiuium eosdem ad-
mittit pœnitentia, vel potiùs licentia. [f] Hæc & similia quæ omitto f Intentio Authoris in præsenti cautela.
incommoda, plures annos pro parte officij mei deplorans, celare hîc
nolui; non tam ad confessorum & pœnitentium repræhensionem
vel confusionem., quàm ad superiorum informationem. [g] Neq; g Extra de hæreticis Capit. 2. Vas electionis.
enim adstruimus (quod olim damnatum esse nouimus) Ecclesiam
sed nec Deum ipsum, talem extra proprium sacerdotem subdelega-
tionem concedere non posse: sed vt iuxta mentem eiusdem Concilij
ipsamq; rationem, & Christi fidelium ædificationem non verò de-
structionem, concedatur, & concessa nimium non extendatur, exo-
ptamus potiùs reuerenter, quàm importunè exquirimus.

Tertia pars, de Satisfactione.

Cap. XX. RESTAT vt tertia & vltima parte Pœnitentiæ sermonem istum ad h Satisfactio in Pœnitentia quid eiusq; ratio.
finem dirigamus, nimirum Satisfactione. [h] Quæ est solutio pœ-

næ vel pœnarum temporalium, post dimissam culpam & pœnam æternã, diuinæ iustitiæ, propter digniores fructus exactæ pœnitentię relictorũ. Et quatenus est pars Sacramenti Pœnitentiæ, debet esse à confessario in confessione iniuncta, & à pœnitente suscepta. Ad intelligendam definitionẽ istam sciendum est. [a] In actu peccati esse duo: primùm est auersio à Deo tanquam summo bono, eiusq; voluntate seu mandato: alterum conuersio ad bonum creatum, quod suo creatori quodammodo præfertur. Quod testatur ipsemet Dominus per Ieremiam dicens: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, non valentes continere aquas. Auersioni igitur à Deo, correspondet culpa æterna, secundùm quam peccator excluditur à visione & fruitione diuina: iuxta illud [b] Ieremiæ: Quia oblitus est mei populus meus, &c. sicut ventus vrens dispergã eum coram inimico: dorsum & non faciem ostendam eis, in die perditionis illorum. Rursus verò conuersioni ad creaturas, respõdet pœna æterna gehennæ: dicente [c] Salomone: Accipiet armaturã zelus eius: & armabit creaturam ad vltionem inimicorũ. Et alibi: Quantum se glorificauit, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum. [d] Iam verò peccatori verè pœnitenti, ex Dei misericordia gratuita, virtute clauium, seu sacramenti, remittitur prorsus culpa æterna, eiusq; reatus: secundùm verò eiusdem Dei iustitiam perpetuam misericordiæ comitem, pœna gehennæ cōmutatur in pœnam temporalem condignam. Quod plurima sacræ Scripturæ confirmãt testimonia. Ex quibus hæc tantùm inducere visum est. [e] Primi humani generis satores in Paradiso, per præuaricationem subierunt (cùm vniuersa sua posteritate) mortem animæ simul & corporis: superuenit [f] terreno illi & veteri Adamo, nouus cælestis Adam Christus, qui factus ipse in animam viuificantem, mortuos in priore Adamo, ex morte ad vitam sic quidem viuificauit, vt (sicut ipsemet testatur) vitam (gratiæ & gloriæ in anima) haberent, & (in resuscitatione corporũ glorificatorum) abundantius haberent Nihilominus ne misericordia Diuina comitatu iustitiæ destitueretur, mortẽ istam temporalem seu corporalem non solùm reseruauit, sed ipsemet subijt, & quidẽ tam firma lege, vt ipsa ne quidem in infantib9 olim circumcisione, nunc verò baptismo Deo recõciliatis, euitari potuerit. In lege Mosaica & prophetica, plura similia occurrunt exempla. Ex quibus insigne [g] de Maria sorore Moysis superiori Sermone posuimus. Hoc ipsum apparet in Moyse & Aaron, qui propter quendam fiduciæ in Deum defectum, quamuis sibi condonatum, terram tamen promissionis non fuerunt ingressi. Sicut & reliqua illa populi multitudo

a Peccatum continet auersionem & cõuersionem: & exinde culpã & pænam.

Ierem: 2. v. 13.

b Ierem:18:v.15.

c Sap. 5. v. 19. Apoc.18. v. 7.

d Culpa dimissa per pœnitẽtiam pœna æterna cõmutatur in temporalem.

e Genes: 3.

f 1. Cor 15. v. 22 & 45. Ioan. 10. v. 10.

g Num:12. v.14. Exodi 20. v.13. & cap. 27. ver. 14. Deut:1. ver. 37. & cap. 34. vers. 4.

exceptis

exceptis Iosue & Caleb. Et in vniuersum, populus ille Israeliticus, similes temporales pro æterna vindicationes diuinitus referebat. De quo [a] Psalmista inquit: Dñe Deus noster, tu exaudiebas eos: Deus tu propitius fuisti eis: & vlciscens in omnes adinuentiones eorum.

a Psalm. 98. v. 8.

Cap. XXI.

Sed & idem ipse [b] Regius Propheta, peccatũ adulterij & homicidij simul confessus, mox audit à Nathan Propheta: Dñs quoq; transtulit peccatũ tuum: nõ morieris. Ecce mortis æternæ per culpam condonatio, & pœnæ æternæ translatio in temporalẽ, de qua sic subijcitur: Veruntamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini: ꝓpter verbũ hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur. Vides hîc satisfactionẽ eiusmodi exteriorẽ, dirigi quoq; ad tollendala scandala promorum, vt qui fortè secuti essent malo exemplo peccantem, sequerentur etiam in subtractione eorum, quibus maximè delectabantur, pœnitentem. Quinetiam in hoc exemplo videre est, [c] (quod etiam sacrum Concilium confessarios præmonet) temporales istas afflictiones præcedentibus delictis conformari. Quatenus enim Dauid homicidium perpetrauerat, sic per Prophetam audit à Domino: Non recedet gladius de domo tua in sempiternum. Quod euenerat in nuncio illo luctuosissimo de occisione omnium simul filiorum eius per Absalonem, quod tamen in solo Amon fuit comprobatum. [d] Deinde Dauid eum ipsum gladium ab eodem Absolone in seipsum vibratum, dum repellit, in viscera eiusdem filij retortum, plusquam fœminea mollicie luget. Adulterij rursus talem vindicationem temporalem refert. [e] Eò quòd (dicebat Dominus per Nathan) tuleris vxorem Vriæ Hethæi, vt esset vxor tua. Itaq; hæc dicit Dominus. Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua: & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis, in oculis solis huius. Tu enim fecisti abscondité: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu solis. [f] Quod quidem factum est, per rebellem filium Absolonem, qui Dauide sede regia expulso, concubinas eius palam coram omnibus constuprasset: cùm antehac similis ignominia in oppressione incœstuosa Thamar germanæ sororis eiusdem Absolonis, per vterinũ fratrem suum Amon (de quo suprà diximus) præcessisset. Similis pœnæ ratio [g] subsecuta erat eundem Dauidem, propter fastuosam populi numerationem. Cuius acrior vindicatio, vt in mitiorem (temporalem nimirũ) transferetur, Dauid pœnitentia sua deprecatus, in eodem suo populo cladem insignem, non quidem per famem & gladium hostilem, (vt sibi optio dabatur) sed per pestilentiæ cælestem stragem, experitur.

b 2. Reg: 12. v. 10.

c Satisfactio debet correspondere culpæ. Concil: Trident: Sess: 14. cap. 8. de Pœnitentia.

2. Reg 13. v. 30:

d 2. Reg. 18. v. 33.

e 2. Reg: 12. v. 10.

f 2. Reg. 16. v. 21. & cap. 13.

g 2. Reg: 24.

Cap. xxij.

[h] Non est igitur quòd Catholicæ religionis aduersarios offendat

h Satisfactio Pœnitentiæ non de-

nomen

rogat merito Christi.

nomen Satisfactionis, quasi per illud satisfactioni per Christum partæ derogetur. Cùm talis Satisfactio in gratuita culpæ & pœnæ æternæ condonatione abundantissimè præcedat: per eam verò de qua loquimur, aliquid pœnæ saltem temporalis, ad iustitiæ Domini (vt antiqui Patres attestantur) & compassionis cum Christo, tum etiam ad fructuum pœnitentiæ exercendorum rationem, relinquatur.

a Merita Christi vigent etiam in membris eius.
Greg: Magnus in lib. 1. Reg: cap. 9.
Rom: 8. vers. 17.
Colos. 1. v. 24.

a Non omnia enim nostra (scribit B. Gregorius) Christus expleuit. Per crucem quidem suam omnes redemit: sed remansit, vt qui redimi & regnare cum eo nititur, crucifigatur. Hoc profectò residuum viderat, qui dicebat: Si compatimur & conregnabimus. Quasi dicat. Quod expleuit Christus non valet, nisi ei, qui id quod remansit, adimplet. Hinc B. Petrus Apostolus dicit: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Hinc rursum Paulus ait: Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in corpore meo. Hæc Gregorius. Dicitur tamen Satisfactio non tam respectu diuinæ largitatis, quàm humanæ gratitudinis & humilitatis. Quemadmodum Regi libertatem subditis condonanti, census alicuius minuti in recognitionem Dominij, & ad conseruationē disciplinæ exactio, non minùs quàm si omnia præstita fuissent, satisfactio dici potest.

b Satisfactionis in Pœnitentia vis quanta.
Matt: 3. v. 7. & ca. 21. v. 13. & cap. 12 vers. 41.
Lucæ 7. vers. 47.

b Eius tamen vim & efficaciam commendauit sacer Baptista, quando absq; illa, quatenus reddit fructus pœnitentiæ dignos, lapides potiùs, quàm pœnitentiam mentientes, in filios Abrahæ, virtute diuina euasuros, pronunciauit. Et Dominus ipse quando talibus quoq; hypocritis dicebat: Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructū eius malum: siquidem ex fructu arbor agnoscitur. Eandem commendauit in Niniuitis, quòd per pœnitentiam in ieiunio, cinere, & cilicio, sententiā diuinam, in parato sibi interitu reuocassent. Et Magdalenæ multa peccata dimisit, quoniam dilexisset multùm, hoc est, quia ardorem internæ pœnitentiæ & charitatis, externa quoq; operum pœnalitate contestata fuisset:

c Satisfactionis afflictoriæ commoda.
2. Co. 7. ver. 11.

c Sic Apostolus incœstuoso illi Corinthiaco, satisfactione corporali tanta imposita, vt modò à tristitia non prorsus absorberetur, circa eius postmodum ad Ecclesiæ illius preces relaxationem, tristitiam seu satisfactionem eius commendat, ex magna eius virtute, efficacia, & fructibus, quę istis verbis describit: Ecce enim hoc, secundùm Deum (hoc est causa offensi Dei) contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem, (id est, non prorsus vanā, qualis huius sæculi esse solet) sed defensionem, (tum ab hostibus inuisibilibus effectum pœnitentiæ formidantibus: tum à fidei aduersarijs, quibus post peccatum pœnitentia scandalum non relinquit) sed

indigna-

indignationem, (contra tantam, quam pœnę magnitudo declarauit, peccati enormitatem) sed timorem, (disciplinæ Ecclesiasticæ, vt vna correctione cæteri à peccatis reuocentur) sed desiderium, (gratiæ apud Deum & reconciliationis cum Ecclesia, in lapso proximo recuperandæ) sed æmulationem, (erga meipsum de vestra salute adeò sollicitum, a quam etiam cum fletu & desiderio coram Tito contestati estis) sed vindictam, (vt qui antehac incœstuosum tolerabatis, me authore delictum eius per censuram Ecclesiasticam vindicaretis: vt ipse seipsum vindicando, relaxationem à Deo & Ecclesia mereretur.) Siquidem, (secundùm b D. Ambrosium) in seipso vindicat, qui seipsum causa delicti affligit. In eundem sensum c Chrysostomus: Non est profectò, non est insufficiens ad emendandum via, si cùm omnia secundùm speciem in vnum peccata collegeris, assiduè animo deinde ipsa verses, ac de ipsis continuè mediteris & cogites. Nam qui hoc faciet, is adeò compungetur, vt neq; hac vita, se ipsum dignum existimet. Hæc ille.

a 2. Cor. 7. v. 7.
b Ambrosius super hunc locū.
c Chrysost. hom. 42 in Matth.

Cap. XXII.

d Rationem quoq; & necessitatem Satisfactionis, antiqui sacri Doctores sic adstruunt. Augustinus: Non sufficit (inquit) mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis. Grandi plagæ, (scribit etiam D. Ambrosius) alta & prolixa opus est medicina: Grande scel⁹, grandem necessariam habet satisfactionem. Neq; (secundùm S. Chrysostomum) vulnerato sufficit ad salutem tantummodò spicula de corpore euellere, sed etiam remedia adhibere vulneribus. Adeò vt (teste D. Gregorio) qui illicita commisisset, à licitis vltro etiam abstineat.

d Satisfactionis in pœnitētia necessitas & vtilitas.
August. hom. 50. cap. 6.
Ambr. lib. 1. de pœnit.
Chrys. hom. 10. in Matth.
Greg. hom. 24. in Euang.

e Talem satisfactionem pro singulis peccatis mortalibus, exactissimè seruabat prima illa post Apostolos, innocētia candidans, & martyrijs purpurascens Ecclesia. Recenti enim veluti sponsi sui sanguine abluta, nihil morbidum vel maculatum admittebat: & meritò vsurpabat verba illa sponsæ cælestis: f Laui pedes meos, & quomodo iterum inquinabo eos? Per lotionem enim pedum (vt in primo Sermone diximus) intelligitur symbolum innocentiæ & puritatis in baptismo acceptæ. vt secundùm B. g Cyprianū, in pedum calcaneo, cui serpens insidiari per tentationem propter coronam adipiscendam non desineret, lotio ista mystica fuerit reliqua. Et sic quasi sponsa seu anima fidelis diceret: Laui pedes meos, & quomodo iterum inquinabo eos? hoc est, lotionem & puritatem vniuersalem in baptismo accepi, & in thoro sponsi cælestis conquieui: quomodo ergo denuò huius sæculi maculis inquinabor? Regeneratio enim spiritualis (secundùm h Ambrosium)

e Satisfactionis rigor sed veriùs vigor in primitiua Ecclesia præsertim Romana.
f Cant. 5. v. 3.
g Cyprianus de ablutione pedū.
a Ambr. lib. 3. de

Virgin. Et In Pſal. 118. Serm. 22.

broſium) reducit hominem ad pueritiam quandam ſpiritualem, quæ vias erroris ignoret, & crimen, etiam ſi velit, non poſsit admittere. Quales Chriſtianos [a] Apoſtolorum quoque Princeps vocauit quaſi „ modò genitos infantes, qui depoſita omni maliciâ, ſine dolo lac ſyn- „ ceritatis Chriſtianę concupiſcant. Idipſum aſſerit [b] Dominus noſter, „ & Nicodemum pleniùs edocet, neminem poſſe regnum cælorum „ adipiſci, niſi ex maturiſsima etiam ætate, denuò renaſcens per bap- „ tiſmum, efficiatur tanquam paruulus, non ætate quidem, vel ſenſu, ſed affectu, moribus, & innocentia, vt [c] Apoſtolus explicat. Ideoq; feruor primæuæ illius Chriſtianitatis, ex grauiſsimis peccatis, quæ publica pœnitentia fuiſſent ſemel caſtigata, ſecundam pœnitentiam nō admittebat, ex illis Apoſtoli verbis: [d] Voluntariè enim peccanti- „ bus nobis (exponebant illi, ſcienter & deliberatè, poſt baptiſmū) poſt „ acceptā notitiā veritatis, iam nō relinquitur pro peccatis hoſtia (hoc „ eſt, propitiatio ex paſsione Chriſti, priùs per baptiſmū, deinde per pœnitentiam applicata.) Quod ſatis expreſsit [e] Tertullianus, in verbis ſuperiori Sermone à nobis adductis: Quæ viſus eſt mihi deſumpſiſſe ex Clemente Alexandrino, qui poſt ſimilia verba ſic habet: Eum ergo qui accepit remiſsionem peccatorū, non oportet ampliùs peccare, nempe in prima & ſola peccatorum pœnitentia. Et quibuſdam interiectis: [f] Continuè autem & ſe inuicē excipientes ꝓpter peccata pœnitentiæ, nihil differunt ab eis qui omnino non crediderunt: præterquam in eo ſolo, quod ſe peccare ſenſerunt. Neq; ſcio vtrū ſit deteriùs, pudentem né & ſcientem peccare, an cùm pro ijs quæ peccauit pœnitentia ductus fuerit, rurſus peccare. Eò enim quod vtrinq; arguatur, peccatū apparet: illud quidem condemnatū propterea, quòd factum ſit ab operario iniquitatis, hoc verò ab eo qui pręſcit id quod eſt faciendum, aggrediente vt malum. Hæc & alia plura in hunc ſenſum ibidem: ſic tandem concludens: Apparet ergo, ſed nō eſt, pœnitētia, ſæpè petere veniā de his, quę ſæpè peccam⁹ Hactenus Clemens.

a 1. Pet. 2. v. 1.
b Matth. 18. v. 3. Ioan. 3. v. 4.
c 1. Cor. 14. v. 10.
d Hebr. 10. v. 26.
e Tertul. de pœnit. cap. 7.
Clemēs Alexād. lib. 2. Stromat.
f Sæpè relabētes poſt pœnitentiā, infidelibus adæquati.

Qualem rigorem quamuis Eccleſia, tanquam indulgens mater, ex Spiritus ſancti directione remiſerit, omnes verè pœnitentes ad veniā admittens: arctiſsimam tamen ſatisfactionem pœnitentibus reſeruauit. [g] Quod vel Canones Apoſtolici, ſeptennes & etiam longiores pœnitentias vni peccato aſsignantes, teſtantur. Quam diſciplinam potiſsimum in Romana & Occidentalibus Eccleſiis viguiſſe, teſtatur Sozomenus his verbis: Sollicitè autē in Occidentalibus Eccleſiis, & maximè [h] in Romana ſeruatur: ibi enim manifeſtus eſt pœnitentiū locus. Stant autem in eo mœſti, ac veluti lugentes: finitoq; demùm Dei ſacrificio, participes non facti, quorum participes fieri puros Dei cultores

Cap. xxiiij.

g Canones pœnitentiales pete ex ſacerdotali Romano.
a Publicè pœnitentium in Eccleſia antiqua ſtatus
In Hiſtoria Tripartita Soſomen. lib. 7. cap. 16.

cultores fas nō erat, cùm planctu ac lamentatione ſemetipſos in terram pronos abijciunt. Tum ex aduerſo lamentabundus Epiſcopus accurrens, conſimiliter, humi cum eiulatu collabitur: ac tota deniq; eccleſiæ multitudo lachrymis ſuffunditur. Poſthæc epiſcopus primus exurgit, ac iacentes erigit: & quantum ſatis eſt, pro peccatorib⁹ pœnitentiam agentibus precatus, eos dimittit. Priuatim deinde ſponte ſua quiſq; vel ieiunijs, vel lotionum ciborúmue abſtinentiâ, vel alijs quibus iuſſus eſt, ſemetipſum affligens, tempus expectat, in quantum epiſcopus præſtituit. [a] Elapſo demum præfinito die, pœna iam quaſi debito quopiam exoluta, à peccatis abſoluitur, & populo in eccleſia cōiungitur. Hæc Romani ſacerdotes, ab ipſo inde exordio etiam ad noſtram vſq; memoriam cuſtodiunt. Hæc Sozomenus. Quam pœnitentiæ diſciplinam ſucceſſu temporis, vel hæreſibus, vel Chriſtianorum licentia aliquantò remiſſam, antiqui S. Patres ſuo tempore conqueruntur. Quòd ſi in noſtra tempora incidiſſent, vbi „ claues regni cælorum, eiuſq; anguſtæ ad ſalutem viæ, ad ſpacioſam „ illam quæ ad interitum ducit, ſæpiùs relaxentur: quando ſumma regni cælorum aperiendi vel claudendi poteſtas, ſecundùm quam „ [b] Apoſtoli, eorumq; ſucceſſores principes ſuper omnem terram ſunt „ conſtituti, deuenit ad paupertatis (quam [c] quidam diſciplinæ nouercam rectè dixit) cultores: non ſolùm autem paupertatis voluntariæ in religionibus approbatis, ſed etiam coactæ, in ijs, qui vel ſine ſufficienti prouiſione Sacerdotes fiunt, & curæ animarum præficiuntur, vel prouiſionibus ſuis ſpoliati, ab ijs quorum intereſt, non vindicantur. Vnde fit, vt ſæpè videamus, maxima quæq; ſcelera, aliquando etiam publica, ſolui & remitti, ligari autem & retineri vix audiamus. [d] Tum verò nouis aliquibus confeſſarijs, ſub ſpecie alliciendi ad pœnitentiam frequentiorem, adeò laxatæ ſunt ſatisfactionis alioqui arctiſsimæ habenæ, vt pro pluribus, & quandoq; plurimis peccatis, vix interdum vnum atq; alterum Pater noſter, recitandum iniungatur: cùm tamen ſæpiùs ipſimet pœnitentes, grauiores in Purgatorio ſolutiones euadendo, acriores pœnitentias exigant. Interea verò tales prodigi cæli ianitores, non perpendunt ſeſe iuxta determinationem ſacri [e] Concilij Tridentini, eorundem peccatorum ac pœnarum euadere participes. Cui accomodari poteſt illa Scriptura: „ Quia dimiſiſti virum dignum morte, erit anima tua pro anima illius. „ Interea autem Cathedras ſacras paſsim & certatim perſonant plenę, plenariæ, & pleniſsimæ Indulgentiæ: quarum tamen certitudo quomodo conſtabit, niſi æſtimationem iuſtam talium pœnarū, earumq; explendarum aliquem ſaltem conatum, pręmittat ipſius pœnitentiæ

a Indulgentiarū antiqua norma eiusq; ſucceſsiua laxatio.
Cypr. lib. 1. Ep. 3. & lib. 3. Ep. 8. & 14.
Matt: 7. verſ. 13.
b Pſal. 44. v. 17. Clem. Rom. Ep. ad Iacobum.
c Boethius de diſciplina Scholaſt.
d Satiſfactionū nimia laxitas ꝑſtringitur.
e Conc: Trident: Seſſ: 14. cap. 8. de Pœnitentia.
3. Reg: 20. v. 42.

 iuſtitia:

iustitia? Vt illud omittam, pœnitentium vulgus distinctionem illam
pœnarum tantùm temporalium, quæ sunt obiectum Indulgentiæ,
non capere; sed totius pœnitentiæ vim in solis illis requirere: præ-
sertim cùm sæpiùs non facta mentione Indulgentiæ, quæ vtiq; ad
pœnas temporales extenditur, prædicetur absoluta remissio omniū
peccatorum. Tales profectò confessionum Auditores, cum antiquis
illis Audianis, sic audire merentur à Theodorito: [b] Confessis (in- — a Theodoritus in Epitome de Pœnitentia.
quit ille) donant remissionem, non tempus ad pœnitentiam, vt iu-
bent leges Ecclesiæ, præscribentes, sed sua potestate condonantes:
scientes autem qui transeunt, id quod agitur ludum esse, vera quidem
peccata celant, quædam autem parua & ridicula dicunt, quæ etiam
dicere vereretur aliquis, nisi eâdem quâ isti amētiâ laborasset. Sic ille.
Quocirca pertineret inprimis ad disciplinam Ecclesiasticam penè ex-
tinctam reuocandam, si populus Christianus ritè per contritionem
& cōfessionem dispositus, in operibus quoq; satisfactorijs, si non ad
periculum absorbtionis, vt faciebat [b] Apostol⁹, saltem ad asuefactio- — b 2. Cor. 2. v. 7.
nem mortificationis, exerceretur: & demum, quod reliquū est, eius-
modi expiationis, secundùm certam (vt fieri possit) mensuram bene-
ficio Indulgentiarum subleuaretur.

[c] Talia autem opera satisfactoria debent esse primò quidem pœ- — c Opera satisfactoria secundum possibilitatē quæ iniungenda. — Cap. xxv.
nitenti possibilia: deinde quæ efficere possint præteritorum quidem
peccatorum detestationem, & cautelam futurorum, ad nouæ vitæ &
pietatis exercitium. Ideo præcipua assignari solent generalissimis
peccatis opposita: contra superbiam quidem oratio: contra auaritiā
eleemosyna, & alia opera misericordiæ: contra luxuriam verò ieiu-
nium, & aliæ corporales afflictiones: quibus etiam annumerantur
tribulationes diuinitus immissæ, patienter toleratæ. [d] Quamuis au- — d Pœnitētia quo modo laboriosus baptismus? Origenes lib. 2. in Leuitic. Concil. Trident. Sess. 14. cap. 2.
tem hæc maximè pœnitentię pars vocetur laboriosa peccatorum re-
missio, vel laboriosus baptismus: sed ijs, qui lassati sunt in via ini-
quitatis, & ambulant vias difficiles. Quos tamen Dominus ipse dul-
cissima sua voce à talibus laboribus & oneribus expedit, per onus
suaue Pœnitentiæ, & iugum leue sectandæ iustitiæ: Quod ipsum & — Sap. 5. v. 7. Matth. 11. v. 29.
Apostolus sic edocet: Humanum dico propter infirmitatem carnis
vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, — Rom. 6. v. 19.
& iniquitati ad iniquitatem: ita modo exhibete membra vestra ser-
uire iustitiæ in sanctificationem. [e] Et sic eiusmodi Satisfactio, quam- — e Satisfactio quā ti habenda in Pœnitētia exemplo humano.
uis secundùm rationem misericordiæ diuinæ, & potestatis clauium
Ecclesiæ sit inter partes Pœnitentiæ vltima in ordine: tamē respectu
fructus & effectus, ex comparatione ipsius hominis, censetur prima: — Tertull. lib. de Pœnit.
dicente Tertulliano: Satisfactio confessione disponitur: confessione

Pœnitentia nascitur: Pœnitentia Deus placatur: In eum sensum ac-
cipi potest, quod dictum est de pœnitentia Niniuitarum. [a] Et vidit — a Ionæ 3. v. 10. Lucæ 7. v. 47.
Deus opera corū, quia conuersi sunt de via sua mala: & misertus est
Deus super malitia, quam locutus fuerat vt faceret eis, & non fecit.
Et quod Dominus ipse de Magdalena dicit: Quapropter dimissa sunt
ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

Cap. xxvj. Quod etiam vel ex reconciliationum humanarum processu ostendi — b Reconciliationes humanæ Diuinis duriores.
potest. [b] Dedignatur homo cùm sit puluis & cinis, Deo creatori & — Mat. 18. v. 24.
redemptori suo recompensationem pro debito decem millium ta-
lentorū, qualem ipse pro quinquaginta denarijs à proximo suo, con-
torto etiam ipsius collo, extorquet. Videas leuem quandoq; verbi
etiam alicuius criminosi offensam, multas litium, rixarum, contu-
meliarum, pugnarum, & extremarum vindictarum, turbas excitare:
ac diu multumq; laborari, vt res ad concordiæ & reconciliationis
tractatum concedatur, & per concordiam transigatur. In quo nego-
tio, Deus bone, quantopere omnes pœnitentiæ (quas diximus) par-
tes excutiantur. Inuenies aliquos debitoribus suis dolore & gemitu
in animo & corpore absumptis, non fuisse tamen placatos: Confes-
sio autem sceleris occulta, secreta, placabilis, qualem Deus & Eccle-
sia recipit, nequaquam admittitur: sed publica, sollennis, criminosa,
ignominiosa, quæ perpetuā notam inurat, exigitur: adeò vt ex illius
libello, probris confarcinato, ne iota vnum quidem fas sit decedere.
Quinetiam sacco vel cilicio indutum, non iam in Ecclesia, sed in
medio foro, oportet scelus suum proclamare, & laqueum collo vltro
immissum, vel gladium exertum, vindicem demeritæ pœnæ osten-
tare, & ei qui à se læsus esset, tanquam sui vindicem tradere. Iam verò
in satisfactione, quot quæso vindictarum monstra non cernuntur?
Nam loco orationis, indicuntur humiles & precarij aditus in domū,
non solùm eius qui læsus est, sed aliquando etiam amicorum: ibiq;
multò abiectiores quàm in Ecclesia vnquam videas, fiunt depreca-
tiones, & omnis generis renouandæ amicitiæ prænsationes. Ieiunij
& afflictionis corporalis vicem, substituit carcer subterraneus, tene-
brosus, durissimus, fœtidus, vermiculosus, in tantum solitarius, vt
vix interdum ministrum vitæ admittat, biennium & vltra quandoq;
perdurans: adeò vt pœnitentem vel illicò vel paulò post conficiat.
Eleemosynæ quoq; peculiariæ affatim imperantur, quæ specie do-
tandorum hospitalium, vel aliorum locorum sacrorum ad vnguem
iniunctæ, crumenis tandem proprijs vel luxurijs mancipantur.
Quod si omnes eiusmodi reconciliationis conditiones exegeris, in
vna autem deliqueris, odium & vindictam magis etiam refricabis.

Proh plebis ementitæ Christianæ plusquam Iudaicam & Paganicã, in Deum quidem contumeliam, in proximum verò crudelem carnificinam. Qualem etiam, quamuis tolerabiliorem, suis temporibus

a Chrysost. hom. 46. ad populum Antioch.

a Chrysostomus sic perstrinxit. Tu verò hominem quidem exacerbans, & amicos & vicinos & ianitores rogas, & pecunias impendis, & multos absumis dies, accedens & supplicans: & siue semel, siue bis, siue millies te repulerit, irritatus non recedis, sed magis contendens, maiorem affers supplicationem.

b Satisfactio non expleta magis Deum irritat. Chrys. hom. 23. in Mahttæum.

b Deo autem exacerbato, oscitamus & recedimus: & delitijs & ebrietati vacamus, & omnia pro consuetudine facimus: & eum quomodo propitium facere poterimus? quomodo verò non ex hoc ipso magis illum irritamus? Nam peccantes non dolere, magis eum indignari facit & irasci, quàm peccare. Et alibi. Non dolere quòd peccaueris, magis indignari atq; irasci facit Deum, quàm idipsum quòd ante peccaueris. In eandem sententiam

c Cyprian⁹ Sermone de lapsis.

c Cyprianus: Non cessemus (inquit) in agenda pœnitentia, atq; in Domini misericordia deprecanda: ne quod minus esse in qualitate delicti videtur, in neglecta satisfactione cumuletur.

d Pœnitẽtiæ modum per singulas partes præscripsit Isaias. Isa. 1. v. 16.

Cap. xxvij.

d Talem modum & ordinem pœnitentiæ quem hactenus descripsimus, summariè complexus est Isaias dicens. Lauamini & mundi estote: auferte mala cogitationum vestrarum ab oculis meis. Quiescite peruersè agere, & discite bene facere: Quærite iudicium: subuenite oppresso: iudicate pupillo: defendite viduam. Et venite & arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, quasi nix dealbabuntur: Et si fuerint rubra sicut vermiculus, velut lana alba erunt. Verba enim ista intelligenda esse de pœnitentia nouæ legis, non solùm ipsa sese produnt, sed etiam scopus propheticus declarat.

e 3. Reg. 12. v. 18. 26.

f Scopus Prophetiæ Isaiæ.

Postquam enim ex populo Dei, e Israeliticus per Schisma Ieroboam ad idololatriam desciuisset, successu temporis factũ est, vt & reliqua pars populi fidelioris ad Iudam & Ierusalem pertinẽtis, f tempore Isaiæ ad similia scelera & præuaricationem rueret. Isaias igitur in spiritu, statum illorum præsentem, cum futuro exterminio considerans, ista pronuntiat: Primò obijciens ingratitudinem, & exinde futuræ reprobationis notam: quòd populus à Deo singulariter electus & adoptatus, Dominum & satorem suum tandem negaret, quem Gentilitas boui & asino comparata recognosceret: & quòd ad priora varia scelera, adderent etiam præuaricationem, hoc est, Dei veri eiusq; cultus in Idola commutationem.

g Iudaicæ punitionis & reprobationis causa.

g Vnde rectè diuino iudicio, percusserit eos Deus plagis potissimis: vt in populo quidem ipso, quoad eius vitam, à vertice ad plantam non inueniretur sanitas. Atq; exinde terra eorum futura sit deserta, & ab alienis in oculis eo-

rum occupata & deuorata, vt hucusq; cernere est. Legem quoq; eorũ fore abiectam, vt omnes eius cultus & expiationes, Deo potiùs oneri essent quàm honori, & abominationem magis, quàm placationem & populo medelam essent allaturæ. Tantarũ autem culparum consummatio erat, quòd non solùm prioribus diuersis & maximis sceleribus, addidissent præuaricationem legis & cultus Diuini: sed etiã quòd manus illorum plenæ fuissent sanguine, primò quidem in occisione Prophetarum tanquam seruorum, deinde ipsius etiam Christi a veluti hæredis, vt ipsemet testatur: Idq; quando Pilato recusante, profusionem sanguinis eius, clamabant: b Sanguis eius super nos & super filios nostros: vt propterea eorũ reproba posteritas, quasi per manus tradito reatu eius sanguinis maduerit. Quod vtrumq; scelus clariùs postmodum expressit Amos Propheta, c dicens: Super tribus sceleribus Iuda, & propter quatuor (hoc est, quòd prioribus maximũ istud addiderint,) non conuertam illum: eò quòd abiecerint legem Domini, (ecce præuaricationem) & mandata eius non custodierint. Deceperunt enim eos Idola sua, post quæ abierant patres eorum, &c. Super tribus sceleribus Israel, & super quartum nõ conuertam illum: eò quòd vendiderint pro argento iustum, &c. Quod de traditione Christi ad mortem aliqui d inter Doctores exponunt. Tanta igitur culpa & macula, quòd Dominum gloriæ crucifixissent, non potuit alio remedio expiari atq; emundari, nisi eo ipso sanguine Christi in precium, sociato aquæ in lauacrum, quorum vtrumq; Christus in cruce ex latere suo profudisset: quemadmodum e Apostolorũ Princeps in suis ad eos concionibus eisdem exprobrat. Hanc igitur secundùm interiorem literam expiationem, maximè intendit Isaias, quando sic dicit: f Lauamini & mundi estote. Primò enim verbo, quando imperatiuè simul & passiuè dicitur: Lauamini: insinuatur baptismi lotio supra illam legalem & vmbraticam, quæ requirit motum liberi arbitrij ad fidem in Christum, quæ expiationem in baptismo operatur, vt fides credentis baptismo ad salutem cooperetur: Deinde subijcitur effectus: vt lotio illa veram non significatiuam tantùm munditiem operetur, & quidem perseuerantem, quam iterari non liceat, sed tantùm per pœnitentiam laborioso baptismo comparatam instaurari. Istam verò expiationem inchoandam esse interius, auferendo malas cogitationes à corde quod Deus intuetur: sicut & hîc dicit (ab oculis meis) quod fit per contritionem. Deinde sequitur: Quiescite malè agere, & discite bene facere. Quod potest referri ad confessionem sacramentalem, in qua veluti in foro quodam disciplinæ diuinæ & Ecclesiasticę, per propriam discussionem, & sacerdo-

a Mat. 21. v. 38.

b Mat. 27. v. 25.

c Iudæorũ scelera tria, & quartũ maximum quod? Amos 2. v. 4. Chrys. hom. 80. ad populũ Antioch. Et Prologo in Isa. Cyprian⁹ de Cæna Domini & de chrismate.

d Vide Galatinũ de arcanis religionis lib. 4. ca. 24. Adrianum Pinũ in flagello Iudæorũ lib. 6. cap. 47.

e Act. 2. v. 36. Act. 3 v. 13.

f Lauamini & mũdi estote &c exponitur Isa. 1. v. 16

tis iudicium, amputantur origines, causæ, occasiones & fomenta amplius peccandi: & excitantur pia desideria, vitæ in melius mutandæ, & virtutis ac pietatis sectandæ. Postremò adduntur opera iustitiæ, pietatis, & misericordiæ, quibus constat satisfactio. [a] Has partes ritè exactas, sequitur stupendus pœnitentiæ effectus: vt quamuis antehac Propheta malum ad quod exprobrandum cælum & terram aduocat, prorsus desperatū dixisset & immedicabile: maximè verò quòd manus plenæ fuerint sanguine diuino, non solùm Iudæorum qui corporaliter Deum crucifixerunt, sed etiam Pseudochristianorū, qui vel apostasia, vel sceleratissima vita [b] secundùm Apostolum denuò semetipsis crucifigant, & ostentui habeant filium Dei: Tamen sanguis Christi innocens vera pœnitentia applicatus, adeò est efficax, vt animā sic peccantem sanguine suo innocenter profuso plusquàm coccino infectam, in albedinem niuis abluat, & vestem candidam in baptismo receptam, suæ candori restituat. Et sic verè præstitum est, quod dixerat Dominus per [c] Ezechielem, quòd eiusmodi conuersio in tantum deleret peccata, vt eorum memoria apud Deum non remaneret. [d] Hoc etiam stupent Doctores sacri: quòd cùm plaga corporis nulla sit tanta, quæ etiam optimè curata vestigium aliquod non relinquat: sanguis Christi baptismo vel pœnitentia applicatus, animam sic emundat, vt etiam pulchriorem reddat: & cum liberatione à pœna (dicit [e] Chrisostomus) dat & iustitiam, & præuaricatum non præuaricato similem reddat.

a Pœnitentiæ effectus stupendus apud Isaiam. Isa. 1. v. 18.

b Hebr. 6. v. 6.

c Ezech. 18. v. 22

d Pœnitētia peccatorem non solùm purgat; sed etiam coronat. Cyprian9 Sermone de lapsis.

e Chrysost. hom. 80 ad populum Antioch.

Cap. xxvii.

[f] Ex his quæ hactenus dicta sunt colligitur, quàm falsa & perniciosa sint dogmata Hereticorum nostri temporis. Qui primò quidem expiationem peccatorum in pœnitentia non aliam esse volunt, quàm quæ semel in baptismo facta fuisset: vt videlicet succedentia peccata (quibus etiam bona eorum opera, veluti carnes putridæ vermiculis ex sua putredine enatis scaterent) recordatione pacti, & beneficij baptismatis, per quendā fidei stimulum subinde eluantur. Pœnitentiā aūt non esse quid aliud, quā terrorem conscientiæ peccato incussum. Quod tamē falsum esse conuincitur: cùm [g] Apostolus disertè dicat, Iustificationem per sanguinem Christi, quæ baptismo applicatur, fieri in remissionem præcedentium delictorum: & in regenerationem noui hominis cum actibus suis. Quod etiam ipse Dominus in ipsius baptismi institutione & promulgatione intendebat dicens: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & filij, & spiritus sancti: Docentes eos seruare omnia quæcunq; præcepi vobis. Ideo Ecclesia Catholica cum [h] Apostolo, sicut vnum Deum & Dominum, sic vnam fidem, & vnum baptisma, per quæ homo

f Hæreticorū triplex error de Pœnitentia taxatur. Lutherus in captiuit: Babylon. Chemnici9 in examine Concilij Trident. Sess. 7. Can. 3. & 10. Caluinus Institutionū lib. 4. ca. 13.

g Rom. 3. v. 25. Mat. 28. v. 19.

h Ephes. 4. v. 5.

homo incorporatur Christo, profitetur. Hæretici autem qui contraria nugantur, similes, & peiores etiam sunt, primò quidē Anabaptistis, baptismum non semel atq; iterum, sed ferè in omnibus actibus suis, quibus à vitio vacare nolunt, & quidem non in corpore, sed propriè in anima frequentantibus: [a] Deinde ipsis etiam Iudæis, Pharisæis, & Hypocritis, ab ipso Domino notatis: qui foris quidē seipsos & vtensilia abluerent & mundarent, intus verò essent pleni omni spuricitiâ & deformitate. Quibus etiam conuenit illud Salomonis: [b] Est generatio, quæ sibi munda videtur: & tamen non est lota â sordibus suis. Nec minor est eorū stultitia & impietas, quando [c] somniant pœnitentiam adeò fidem sequi, vt etiam ex illa atq; adeò ex ipsa gratia Dei enascatur, & vim totam acquirat. Nos enim Catholici fatemur, nos esse palmites, & quidem ex se infructuosos, sed viti & capiti Christo insertos viuificari & fructificare, demum etiam deficientes, eodem vigore, ad fructificandum purgari: hoc est, primam iustificationem, non nisi ex mera gratia Dei præcedenti nobis (volentib9 tamen) contigisse. Verùm gratiam acceptam [d] non rursus in vanum, sed ad dignè fructificandum Deo nos assumpsisse: eamq; quamuis non vigentem, sed potiùs rigentem, non efficientem, sed potiùs deficientem, recuperare nouo pœnitentiæ remedio, quod tamen secundùm [e] Chrysostomum, sine misericordia Dei â nobis non perficitur. Et istum ordinem respiciebat Dominus, quando prædicationem suā sic ordiebatur: Pœnitentiam agite: appropinquabit enim regnum cælorū. Non quòd cælum patere vellet inquinatis: sed potiùs quòd cælum appetentes, inquinationem terrenā prius deponerent. Illud ipsum protestatur Dominus inquiens: [f] Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Alioqui enim hæreticorū sensu dixisset: Non veni vocare peccatores, sed iustos ad pœnitentiam.

a Lucæ 11. v. 39.

b Prou. 30. v. 12.

c Pœnitentia nō generatur ex fide & gratia, sed amissā recuperat. Ioan. 15. v. 2.

d 2. Cor. 6. v. 1. & cap. 15. v. 10.

e Chrysost. hom. 80. ad populum Antioch. Mat. 4. v. 17.

f Mat. 9. v. 13. Lucæ 5. v. 32.

[g] Ilud postremò vanissimum simul & pestilentissimū est, quando totā vim sacramenti pœnitentiæ eneruantes, dicunt, μετάνοιαν, quā nos Catholici pœnitentiam afflictoriam exponimus, sonare tantùm resipiscentiam & cautelam quandam, ad vitæ subsequentem emendationem. Quamuis enim concedamus in prophanis scriptis hoc verbum Græcum sonare resipiscentiam seu mutationem sententiæ vel consilij: [a] tamen passim à scriptoribus sacris vsurpatur de ea resipiscentia & mutatione, quę præteritas culpas, & præsentē dolorem, externa etiā afflictione exhibeat, & veluti vindicet. Vnde Æthnicus Poëta:

Sum Dea, quę facti non factiq; exigo pœnas,
Nempe vt pœniteat: sic Metania vocor.

Qualis erat pœnitentia ab ipso Domino cōmendata Niniuitarum, Iob,

g Pœnitentia delicata Hæreticorū perstringitur.

a Mat. 11. v. 22. Lucæ 10. v. 13. cap. 11. v. 32. 2. Cor. 12. v. 21. Ausonius.

Iob, & aliorũ, in fauilla, cinere, & cilicio, quam Dominus ipse commendat, quæ tamen in Græco contextu dicitur μετάνοια, Alioqui præpostera, quã aduersarij somniant, pœnitentia, quę Gręcè est μετάνοια, lingua nostra veriùs esset sicut est Mátánina/hoc est, vanitas & mera collusio.

a Hæretici carẽtes vera Pœnitentia, carent ipsa Ecclesia.
b Lactantius lib. 4. ca. 30. sub finẽ.

a Atq; inde sequitur, hęreticos carentes vera Pœnitentiâ, carere etiam Ecclesia, secundùm antiquissimũ b Lactantiũ, sic loquentẽ: Quia singuli quiq; cœtus hęreticorũ, se potissimùm Christianos, & suam esse Catholicam Ecclesiam putant: sciendum est, eam esse veram, in qua est confessio & pœnitentia, quæ peccata & vulnera, quibus subiecta est imbecillitas carnis, salubriter curat. Hæc ille.

c Exhortatio cõclusiua ad Pœnitentiam.
Cyprian: Sermone de lapsis.

Cap. xxix.

c Tales Pseudomagistros, & alios Pœnitentiam detrectantes vel eludentes, B. Cypriani grauissima correptione simul & instructione sic alloquamur, & Sermonem nostrum finiamus. Rogamus vos, vt pro vobis Deum rogare possimus: preces ipsas ad vos priùs vertimus, quibus Deum pro vobis vt misereatur, oramus. Agite pœnitentiam plenam, dolentis ac lamentantis animi probate mœstitiam.

d Contra induratos ad Pœnitẽtiã.
Isaiæ 6.
2. Thes. 2.

d Nec vos quorundam moueat aut error improuidus, aut stupor vanus, qui cùm teneantur in tam grandi crimine, percussi sunt animi cœcitate, vt nec intelligãt delicta, nec plangãt. Indignantis Dei ma-
" ior hæc plaga est, sicut scriptum est: Et dedit illis Deus spiritum
" transpunctionis. Et iterum: Dilectũ veritatis non receperunt, vt salui
" fierent: ac propterea mittet illis Deus operationem erroris, vt credant
" mendacio, vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed sibi
" placent in iniustitia.

e Idæa Pœnitentiæ dissolutæ, ac præposterę hæreticorum.

e Iniustê sibi placentes, & transpunctæ mentis alienatione dementes: Domini præcepta contemnunt, medelam vulneris negligunt, agere pœnitentiam nolunt. Ante admissum facinus improuidi, post facinus obstinati, nec priùs stabiles, nec postmodum supplices: quando debuerant stare, iacuerunt: quando iacere & prosternere se Deo debent, stare se opinantur. Pacem sibi vltro nemine dante sumserunt: falsa pollicitatione seducti, & apostatis ac perfidis iuncti, errorem pro veritate suscipiunt. Communicationem non communicantium ratam ducunt: hominibus contra Deum credunt, qui contra homines Deo non crediderunt.

f Hęretici, & dissoluti Christiani fugiendi.
2. Timot. 2. v. 15.

f Eiusmodi homines quantum potestis effugite, perniciosis contactibus adhæren-
" tes salubri cautione vitate. Sermo eorum sicut cancer serpit, colloquium velut contagium transilit, noxia & venenata persuasio persecutione ipsa peius interficit. Illic sola superest pœnitentia, quæ satisfaciat.

g Satisfactio basis pœnitentiæ, eiusq; modus.

g Qui autem pœnitentiã criminis tollunt, satisfactionis viam claudunt. ita fit, vt dum temeritate quorumdam vel promittitur salus falsa, vel creditur, spes veræ salutis adimatur. Vos verò fratres delictissi-

dilectissimi, quorum timor in Deum pronus est, & in ruina licèt animus constitutus, mali sui memor est, pœnitentes ac dolentes peccata vestra perspicite, grauissimum conscientiæ crimen agnoscite, ad intelligentiam delicti vestri oculos cordis aperite,

a Pœnitentia vera præsumptionẽ & desperationẽ excludit.

a nec desperantes misericordiam Domini, nec tamen iam veniam vindicantes. Deus quantum patris pietate indulgens semper & bonus est, tantum iudicis maiestate metuendus est. Quâm magna deliquimus, tâm granditer defleamus. Alto vulneri diligens & longa medicina non desit:

b Pœnitẽtia crimine minor non sit.

b pœnitentia crimine minor nõ sit. Putasné tu Dominum citò posse placari, quem verbis perfidis abnuisti, cui patrimonium præponere maluisti, cuius templum sacrilega contagione violasti? Putas facilê eum misereri tui, quem tuum non esse dixisti?

c Opera Satisfactoria eorumque virtus.

c Orare oportet impensiùs & rogare, diem luctu transigere, vigilijs noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrimosis lamentationibus occupare, stratos solo adhærere cineri, in cilicio & sordibus volutari: post indumentum Christi perditum, nullum hic iam velle vestitum: post diaboli cibum malle ieiunium: iustis operibus incumbere, quibus peccata purgantur: eleemosynis frequenter insistere, quibus à morte animæ liberantur.

d Cupiditati eleemosyna succedat.

d Quod aduersarius auferebat, Christus accipiat: nec teneri iam nec amari patrimonium debet, quo quis & deceptus & victus est. Pro hoste vitanda res, pro latrone fugienda, pro gladio metuenda possidentibus & vendenda. Ad hoc tantum profuerit quod remansit, vt inde crimen & culpa redimatur. Incunctanter & largiter fiat operatio: census omnis in medelam vulneris erogetur: opibus & facultatibus nostris, qui de nobis iudicaturus est, Dominus fæneretur.

e Christianorum priscorũ paupertas & beneficentia.

e Sic sub Apostolis fides viguit, sic primus credentium populus Christi mandata seruauit, prompti erant, largi erant, distribuendum per Apostolos totum dabant, & non talia delicta redimebant. Si precem toto corde quis faciat, si veris pœnitentiæ lamentationibus & lacrymis ingemiscat, si ad veniam delicti sui Dominum iustis & continuis operibus inflectat, misereri talium potest, qui &

f Esech: 33. v. 12.
g Ioel: 2. v. 13.

" misericordiam suam protulit dicens: f Cùm conuersus ingemueris,
" tunc saluaberis, & scies vbi fueris. Et iterum: Nolo mortem morien-
" tis, dicit Dominus, quantum vt reuertatur & viuat. Et g Ioel Pro-
" pheta pietatem Domini, domino ipso monente declarat: Reuertimi-
" ni, inquit, ad Dominum Deum vestrum: quoniam misericors &
" pius est, & patiens & multæ miserationis, & qui sententiam flectat aduersus malitias irrogatas.

h Sanctorum intercessionib9, & Satisfactorijs virorum operibus, placatur Deus.

h Potest ille indulgentiam dare, sententiam suam potest ille deflectere. Pœnitenti, operanti, roganti, potest clementer ignoscere, potest in acceptũ referre, quidquid pro talibus & petie-

& petierint Martyres, & fecerint sacerdotes: vel si quis plus eum suis satisfactionibus mouerit, si eius iram, si indignantis offensam iusta deprecatione placauerit: dat ille & arma rursum, quibꝰ victus armetur: reparat & corroborat vires, quibus fides instaurata vegetetur. Repetet certamen suum miles, iterabit aciem, prouocabit hostem, & quidem factus ad prælium fortiter per dolorem. [a] Qui sic Deo satisfecerit, qui pœnitentiâ facti sui, qui pudore delicti, plus & virtutis & fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit: exauditus & adiutus à Domino, quam contristauerat nuper, lætam faciet Ecclesiam: nec iam solam Dei veniam merebitur, sed coronam. Hucusq; B. Cyprianus. Quam veniam & postea coronā, largiatur nobis Dux & triumphator noster Iesus Christus, cum Deo Patre & spiritu sancto vnus Deus in sæcula benedictus. AMEN.

a Pœnitentiæ satisfactoriæ præmium æternum.

Sermo quintus.

CONTINENS COLLECTANEA de sacramento Pœnitentiæ, eiusq; salutari vsu, ex variis locis B. Augustini.

Ex Hom. 50. S. August.

Cap. I.

QVam sit vtilis & necessaria Pœnitentię medicina, facillimè homines intelligunt, qui se homines esse meminerunt. Scriptum est enim, [b] Deus superbis resistit, humilibꝰ autem dat gratiam. Et Dominus in Euangelio dicit, [c] Quoniam qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat exaltabitur: magisq; iustificatus descendit de templo publicanus ille peccatorum confessione sollicitus, quàm Pharisæus meritorum enumeratione securus. Quamuis enim & ipse gratias egerit Deo, dicens, Gratias tibi ago Deus, quoniam non sum sicut cæteri homines, iniusti, adulteri, raptores, quomodo & publicanus iste: Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo: tamen ille ei prælatus est, qui de longinquo stabat, neq; oculos audebat ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori. Non enim ille Pharisæus tam sua sanitate, quàm morborum alienorum comparatione gaudebat. Vtilius autem illi erat, quoniam ad medicum venerat, ea de quibus ægrotabat confitendo, quàm dissimulare à vulneribus suis, & de cicatricibus alienis audere gloriari. [d] Non ergo mirum,

b Pœnitentiæ necessitas & vtilitas.
Iacobi 4. v. 6.
c Exemplū Publicani.
Lucæ 18. v. 14.
d Humilitas Cōfessione peccatorū comprobatur.

mirum, si publicanus magis curatus abcessit, quem nō puduit ostendere quòd dolebat. In rebus quippe visibilibus, vt excelsa quisq; contingat, in excelsum erigitur. Deus autem cùm sit omnium excellentissimus, non elatione, sed humilitate contingitur. Vnde ipse Propheta dicit, Prope est Dominus his qui obtriuerunt cor: Et iterum: Excelsus Dominus & humilia respicit: & excelsa à longè cognoscit. Excelsa ipsa posuit pro superbis. Illa ergo respicit, vt attollat; ista cognoscit vt deprimat & deijciat. Cùm enim ait, quòd à longè excelsa cognoscit, satis eum ostendit humilia de proximo attendere, ipsum tamen Dominum excelsum esse prædixit. Solus enim Deus arrogans non est, quantacunq; se prædicatione laudauerit. Non ergo se arbitretur ab oculis Dei abscondi quātacunq; superbia: Deus enim excelsa cognoscit. Nec se rursus Deo coniunctam putet: excelsa enim à longè cognoscit. Quisquis itaq; pœnitentiæ recusat humilitatem, Deo propinquare non cogitat.

Psalm: 37. vers. 6.
Psalm: 137. v. 6.

Cap. II.

Idem August: Sermone 58. de tempore. [a] Rogo vos fratres charissimi, vt si fortè aliquis ex vobis, vt se habet humana fragilitas, calliditate diaboli superatus, & capitalibus criminibus inuolutus, secundùm quod Apostolus ait, templum Dei in se violando destruxerit, de Dei misericordia non desperet: sed citò de malo iniquitatis suæ consurgat, ne consuetudine peccandi in ipsis se ruinis suis sepeliat. Non enim qui peccauerit, sed qui in peccatis perseuerauerit, odibilis & abominabilis Deo erit. Nam vt de indulgentia diuina nemo diffidat, Dominus per Prophetam velut pater pijssimus consolatur, dicens: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Et illud: Impietas impij non nocebit ei, in quacunq; die conuersus fuerit ab impietate sua. Sed ista tam magna misericordia tunc nobis prodest, si non tardamus conuerti ad Dominum, nec crimina criminibus superaddimus. [b] Deniq; etiam in ipsis vulneribus vel fracturis corporū, infirmitates cognoscere possumus animarū. Si enim alicui pes frangatur, aut manus, cum labore solet ad pristinum officium reuocari. Si verò secundò & tertiò, & adhuc frequentius in eodem loco membra ipsa frangantur, potest intelligere charitas vestra, cum quantis doloribus vulnera ipsa curanda sunt: & tamen post longas & multas tribulationes, vix erit antequam ad pristinum statum membra ipsa valeant reuocari. Similis ratio in animarum fracturis seu vulneribus esse credenda est. Si semel aliquis vel secundò peccauerit, & sine aliqua dissimulatione ad pœnitentiæ medicamenta confugerit, pristinam incolumitatem sine aliqua mora, & forsitan sine aliqua fœditate, recipiet. Si verò peccatis peccata cœperint addi, & animarum vulnera

a Ad maturandā Pœnitentiam exhortatio.
Esech: 33. & 18.
b Egregia similitudo à plagis corporalibus.

vulnera magis tegendo vel defendendo putrescere, quàm confitendo & pœnitendo curari, timendũ est, ne in illo impleatur, illud quod

Rom: 2. vers. 4.

Apostolus dixit: An ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundùm duritiã cordis tui & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei.

a Desperatio in maximis etiã peccatis cauenda.

Cap. III.

a Sed fortè cogitat aliquis, tam grauia se admisisse peccata, vt iam Dei misericordiam promereri nõ possit. Absit hoc à sensibus omniũ peccatorum. O homo, quicunq; illam peccatorum multitudinem attendis, cur & omnipotentiam cœlestis medici non attendis? Cùm enim Deus velit misereri quia bonus est, & possit quia omnipotens est: ipse contra se diuinæ pietatis ianuam claudit, qui Deum sibi misereri, aut non velle, aut nõ posse credit, eumq; aut bonum aut omnipotentem esse diffidit. Nemo ergo nec post centum peccata, nec post mille crimina, de misericordia diuina desperet.

b Consuetudo peccãdi laqueus vix explicabilis.

b Sic tamen non desperet, vt sine vlla mora Deum sibi repropitiari festinet: ne fortè, si consuetudinem peccandi fecerit, etiam si velit de diaboli laqueis liberari, non possit. (Et cùm aliquot exempla grauissimorum peccatorum Pœnitentia extinctorum, ex scriptura produxisset, sic demum concludit:)

c Si non seruatur innocentia non erubescat Pœnitentia.

c Hæc ergo cogitantes, fratres charissimi, quantum possumus, cum Dei adiutorio laboremus, ne nobis aliqua crimina, vel capitalia peccata surrepant. Si verò in hoc malo fuerit aliquis diabolica calliditate prostratus, priusquam crimina ipsa per consuetudinem conualescant, remedium sibi in die necessitatis acquirat, & cum ingenti rugitu & gemitu Deum sibi reconciliari contendat. Nec erubescat pœnitentiam agere, qui non erubuit pœnitenda committere: sed citò in se, bonis operibus contendat imaginem reparare, vt inter filios mereatur agnosci à patre: ne ab illa æterna beatitudine

d Matt: 22. v. 12.

exclusus, & à d cõuiuio nuptiali proiectus, ligatis manibus & pedib9 proijciatur in tenebras exteriores, vbi est fletus & stridor dentium: sed magis medicamentis pœnitentię, humilitatis vel compunctionis, ad sanitatem pristinam reuocatus, & bonorum operum margaritis ornatus, audire mereatur, Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.

S. Augustini Sermo 66. de tempore.

Confessio peccatorum cur & quã necessaria.

Cap. IIII.

HOrtatur nos sæpius sancta Scriptura ad medicamenta fugere confessionis: non quòd Deus indigeat confessione nostra, cui omnia præsto sunt quæ cogitamus, loquimur, aut agimus: sed nos aliter salui fieri non possumus, nisi confiteamur pœnitentes, quod iniquè gessimus negligentes. Qui seipsum accusat in peccatis

peccatis suis, hunc diabolus non habet iterum accusare in die iudicij: si tamen confitens pœnitendo deleat quæ fecit, nec iterum renouet quæ egit. Confitemini, dicit Iacobus Apostolus, alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini. Iterum beatus Apostolus, Ore autem confessio fit ad salutem. Sed & Salomon de confessione peccatorum dicit: Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui aũt confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiã consequetur. Magnum est salutis medicamentum non iterare quæ impiè gessimus, nec priorum cicatrices vulnerũ resauciare. Sicut autem dicit Ioannes Euangelista, Si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab iniquitate sua. Similiter & Psalmista ait, Dixi: Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Viuens confiteatur peccator quæ fecit, quia non est fructuosa confessio apud inferos, nec pœnitentia ad salutem proficiens. Ecce nunc tempus salutis: ecce nunc tempus acceptabile Deo. Tempus est nunc remissionis pœnitentibus, sed tempus erit post mortem vindicationis negligentibus confiteri scelera sua. Omnes enim impij amaram habent in tormentis pœnitentiam: sed non proficit eis ad remissionem, sed conscientia torquet ad augmentum pœnarum quas patiuntur.

Iacob: 5. v. 16.
Rom: 10. v. 10.
Prou: 28. v. 13.
1. Ioan: 1. v. 9.
Psalm: 31. v. 5.
Eccli: 17. v. 26.
2. Cor: 6. v. 2.

a Conscientiæ remorsus in peccatorib9 nõ pœnitentibus.

a Potuerunt enim sibi per confessionem præcauere tormentorum immanitatem, & neglexerunt: ita sicut foris flammis, ita intùs conscientia ꝑpria torquentur. Quomodo potest medicus vulnus sanare, quod ægrotus ostendere erubescit? Deus confessionem nostram desiderat, vt iustam habeat ignoscendi causam. Qui peccata sua occultat, & erubescit salubriter confiteri, Deum quem iudicem habebit, habebit & vltorem. Optimè se iudicet homo in hac vita, ne iudicetur à Deo damnatione perpetua.

Cap. V.

b Peccata omissionis & comissionis deflenda.

b Duplicem habere debet fletum in pœnitentia omnis peccator: siue quia per negligentiam bonũ non fecit, seu per audaciam malum perpetrauit. Quod enim oportuit nõ gessit, & quod nõ oportuit, egit. Confessio iustificat, cõfessio veniã peccatis donat, omnis spes venię in cõfessione consistit. Confessio opus est misericordiæ, sal9 ægroti, vnicũ est virib9 nostris medicamentũ cum pœnitentia. Cuius ipse Saluator in Euangelio virtutem ostendit, dicens: Pœnitentiã agite, appropinquauit enim regnum cælorum. Et Ioannes Baptista, Facite fructus dignos pœnitentiæ: Fructus dignus est pœnitentiæ, transacta flere peccata, & eadem iterum nõ agere: sicut scriptũ est: Ne adijcias peccatũ super peccatum. Lauamini, dicit Dñs per Isaiam prophetã, & mundi estote. Lauatur itaq; & mund9 est, qui & preterita plangit,

Matt. 4. ver. 17.
Fructus dignus Pœnitentiæ quis: & lotio spiritualis.
Eccl: 5. v. 5.
Isa: 1. v. 16.

 & ite-

& iterum non admittit. Lauatur, & non est mundus, qui plangit quod gessit, nec deserit, sed post lachrymas, flenda hæc quæ fleuerat repetit. [a] De his beatus Petrus terribiliter ait, Canis reuersus ad vomitum suum. Fili peccasti, dicit Scriptura sancta, ne adijcias iterum: sed de pristinis deprecare vt dimittantur tibi. [b] Pœnitentia vera non annorum numero censetur, sed amaritudine animi. Vnde beatus Petrus mox à Domino indulgentiam recepit, quia amarissimè fleuit trinæ negationis culpam. Pœnitentia quamuìs sit exigui temporis, si intima cordis amaritudine agitur, non despicitur apud iudicem iustum Deum, qui cordis secreta considerat. Non enim longitudinem temporis tantum requirit Deus, quantum affectum sinceritatis pœnitentis pensat. Qui enim in Christum tota mente confidit, etiam si multis commoratur peccatis, fides sua viuet in æternum. Sicut ipse Dominus in Euangelio dicit: [c] Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum: De morte animæ dixit, quæ propter peccatorum ægritudines eueniet illi. Deus in natura misericors est, paratus est saluare per misericordiam, quos nō inuenit saluare per iustitiam. [d] Qui vult omnes homines saluos fieri, & neminem perire. Qui per Prophetam ait, In quacunq; die conuersus fuerit peccator, vita viuet & non morietur. Quamùis quisq; sit peccator & impius, si ad pœnitentiam conuertitur, consequi per misericordiam veniam non dubitet. In hoc sæculo pœnitentiam facientibus, Dei misericordia subuenit: in futuro autem pœnitentia nō proficit, sed rationem nostrorum operum reddituri sumus. In hac vita tantum pœnitentiæ patet libertas, post mortem nulla correctionis est licentia.

a Recidiuatio peccatorum. 2. Petri 2.v.22. Eccli:21.v.1.

b Pœnitentia nō tempore sed affectu metienda. Matt:26.v.75.

c Ioan.11.v.15.

d 1.Tim: 2. v.4.

S. Augustini Sermo 30. ad Fratres in Eremo.

Cap. VI.

DIcere solent homines, fratres charissimi, Deus cuncta nouit, apud eum, nec præteritum, nec futurum est: omnia videt, & omnia ponderat, omnia nuda & aperta sunt ei. Quare igitur vult, vt confiteamur hominibus peccata nostra, quæ nequiter gessimus? Nunquid non melius est, cuncta mala tacere, quàm ea [e] prædicare in tectis? Ecce enim quis dicet, Peccaui super omnes homines. Sed si cuncta hominibus prædicauero, omnibus hominibus peior reputabor à cunctis, exemploq; meo multi mala committent. Quomodo ergo confiteri debet homo alterutrum peccata sua? O homo, an ignoras, quòd omnes peccatores sumus? [f] Et si dixerimus, quòd peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas

Confessio homini ab homine cur facienda.

e Matt:10.v.27.

f Peccato omnes obnoxij. 1.Ioan.1.v.8.

viritas in nobis non est. Omnes peccamus, omnes cum peccato nascimur, omnes in peccata demergimur, etiam infans cuius est vnius diei vita super terram. Cur ergo timemus peccata confiteri? [a] Tamen oportet confiteri Deo, quoniam bonus est, & in æternum misericordia eius. Vult enim Deus quòd confiteamur, non quòd ignoret peccata nostra: sed vt diabolus audiat, quoniam confitemur & pœnitet nos peccasse, & peccatis confessis cum dolore & lachrymis, nō habeat amplius, vnde nos incuset. Ecce enim, fratres, diabolus vult vt taceamus, Deus vult vt confiteamur, & cui magis obediendum sit, certè constat, quòd Deo qui salutaria præcepit. Non enim sufficit cessare â malo, nisi peccata, quæ fecimus, confiteamur cum dolore. Nec soli Deo sufficit confiteri, sed alterutrū peccata nostra confiteri debemus. Non igitur tardes confiteri Deo. Non tardes conuerti ad Deum, nec differas de die in diem. Subitò enim veniet ira Dei, & tempore vindictæ destruet te.

a Confiteri nos vult Deus, ne accuset Diabolus.

Eccli: 5. ver. 8.

Cap. VII.

O fratres mei, qui vsq; nunc dormistis, conuertimini ad Deum in toto corde vestro, in ieiunio, planctu & fletu. [b] Ecce enim quia dicit, in toto corde, non docet Propheta, quòd in corde est fons pœnitentiæ, fletus verò ad oculum, planctus autem ad os, sed ieiunium ad totum corpus refertur. O homo, ne tardes conuerti ad Deum: discute mentem tuam, prospice singula secreta cordis, considera antequam ad confessionem accedas, quòd cor peccauit mala appetendo, oculus vanitatem videndo, os falsitatem dicendo, auris mendacia audiendo, manus verbera & homicidia perpetrando, & si non opere, saltem voluntate. Quis se excusare poterit, pedes etiam veloces ad malum? Igitur, ô fratres mei, [c] sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, illa & nunc exhibete membra vestra seruire Deo in sanctificationem. [d] Primò enim cor, quòd mala cogitauit & concupiuit, pœniteat & doleat, & oculus fleat, os sine intermissione oret: aures audiant verbum Dei: manus eleemosynam porrigant, peregrinos suscipiant, infirmos foueant, nudos induant: pedes veniant ad Ecclesiam, genua flectantur & laborent. Quia sicut nullum fuit membrum, quod peccando Deo non displicuerit, ita nullum sit membrū, quod pœnam non patiatur condignam. [e] Dedit enim Deus nobis membra, vt sibi seruiamus, non mundo. Sed, heu fratres, cælorum ciues & domestici Dei facti sunt amatores mundi, fortius diligentes terrena quàm cœlestia, transitoria plus quàm æterna, res suas plus quàm seipsos. Non sic fratres mei, non sic: quia ecce iam tempus prope est, ecce iam nobis minatur. [f] Surgite ergo qui panem doloris comeditis, & ad ecclesiam pergere

b Pœnitētiæ partes secundùm diuersas potentias hominis: eorūq; scrutinium. Ioel:2. v.12.

c Rom:6. v.19.

d Pœnitentia respondeat delictis

e Peruersus amor huius sæculi.

f Pœnitentiæ apparatus. Psalm:126. v.3.

pergere festinemus, & flentes peccata nostra, cum dolore confiteamur. Sed primò talis ordo tenendus est, vt peccata præmeditentur, vt proferendo taliter modo, & circunstantiam peccatorum Deo & sacerdotibus confiteamur, vt à pedibus suis non onerati, sed alleuiati discedere valeamus. [a] Et nolite, fratres mei, differe confiteri peccata vestra: nam qui vsq; ad vltimum diem quadragesimæ vel vitæ suæ distulerit confiteri, dat signum, quòd hoc libenter non facit: non gratiosè, non puro corde, sed coactus hoc facere videtur: sed coacta seruitia, quantũ Deo vel hominibus placeant, considerate. Non ergo de die in diem differamꝰ pandere cordis nostri secreta. Promisit enim Deus veniam pœnitenti, sed nõ promisit vsq; in crastinum differenti. Igitur non differamus, sed cum ad confessionem accesseris, tu homo vel fœmina, caue ne rideas, vel ornatè incedas, ne fabulas primò proferas, sed cum humiliato capite, & dorso cinere & cilicio infuso, confiteamini alterutrum peccata vestra. [b] Sed deprecor, ô homo, vt confiteri non paueas: frequenter enim diabolus cor tuum astringit, ne confitearis, dicens: Quomodo confitebor hæc & illa? O homo, quandocunq; hoc persenseris, diaboli tentationem esse non dubites, qui cupit te astringere nequiter, vt in peccatis positus sine magna tentatione semper agas, quæ placita sunt ei.

a Pœnitentia coacta vel procrastinata.

b Contra erubescentes cõfessionem.

[c] Nolite ergo timere peccata confiteri, ô fratres: nam illud quod per confessionem scio, minus scio quam illud quod nescio. Cur confiteri times peccata? Peccator est, qui audit peccata, sicut & tu, & forsitan maior. Homo est, nihil differt à me, nihil alienũ habet à me. Cur ergo times, ô homo peccator, homini peccatori confiteri: Elige quod vis: si non confessus lates, inconfessus damnaberis. Ad hoc enim Deus exigit confessionem, vt liberet humilem. Ad hoc damnat non confitentem, vt superbum puniat in æternum. [d] Confitemini, ô fratres mei, & nolite differre: ad sacram messem confessionis accedere festinate. Hæc est enim salus animarum, dissipatrix vitiorum, restauratrix virtutum, oppugnatrix dæmonum, pauor inferni, obstaculum diaboli, angelorum tunica, ecclesiarum fiducia, salus, dux, baculus, lumen, & spes omnium fidelium. O sancta atq; admirabilis confessio, tu obstruis os inferni, & aperis paradisi portas. O confessio, sine te iustus iudicatur ingratus, & peccator mortuus reputabitur. O confessio, vita iustorum, peccatorum gloria: tu sola necessaria es peccatori, & nihilominus iustus si quis reputabitur, te astringere & frequentare debet. Nihil deniq; remanebit in iudicio, quod fuerit per confessionem purgatum. O confessio illibata, tanto pondere appensum est, tantumq; valuit apud Deum, quod homo nouit appen-

c Confessionis Sigillum.

Cap. VIII.

d Confessionis encommia vis & effectus,

dere latroni qui in cruce confessus est Domini crucifixum, quantum si fuisset pro Domino crucifixus. Ecce quantum profuit breuis confessio peccatoris. [a] Sed nos qui sacerdotes sumus, & vtinam boni simus, cautè nobis vigilare necesse est & solicitè, quatenus sic delinquentium cordibus, tanto moderamine verbum timoris & contritionis infigamus, vt eos nequaquam à verbo confessionis exterreamus, vt sic corda aperiant, quòd ora non obstruamus. Sed nec absoluere
" debemus etiam compunctũ, nisi viderimus confessum. [b] Quoniam
" quidem corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Qui ergo verbum confessionis in ore habet, & in corde non habet, aut dolosus est, aut vanus. Qui verò in corde, & non in ore, aut superbus est, aut timidus. Decet igitur sacerdotes esse tales, vt cognoscant & sciant, quam, qualem, & quantam infirmantibus exhibere debeant medicinam: adiuuante Domino Deo nostro, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

a Absolutio seueritate & lenitate moderanda.

b Rom: 10. v. 10. Cõfessio vel nulla, vel ficta quàm exitiosa,

S. Augustinus de visitatione infirmorum. Cap. 5.

Cap. IX.

NEque quidem, sicut quidam faciunt, cum quadam calliditate alloquaris presbyterum: quoniam talis allocutio tuijpsius foret deceptio. Accedunt siquidem deceptiosi ad sacerdotes, ita eis præsentibus confitentes: Ego peccator, domine sacerdos, peccaui periurando, adulterando, fornicando, hominem occidendo, mentiendo, sacrilegium committendo, furando, rapiendo. Hæc omnia commisi, mea culpa, vel opere, vel voluntate. [c] Ita isti Deum irridentes, cùm tamen non irridetur, confitentur quæ, non fecerunt interpolantes, reuelata velantes: vt sit idem in eodem peccatum denudasse, & denudatum obumbrasse, de quo sacerdos tunc incertior recedit, cùm certa incertè audierit. O quàm benè & iustè huiusmodi versutijs sacerdos ille consuleret, si his omnibus, quæ audiuit, iudicium suum apponeret, & quasi reum de omnibus competenti correctione mulctaret, qui se de omnibus nihil excipiens, nihil ex nomine detegens, semet infamando aggressus est, bona quoq; inordinatè dispensauit, & tunc non erat his locus, & temperantior locus esset quo generalem morbum medico detegere debuisset, si prius vulnera, liuores, plagas tumentes sibi singillatim, prout grauius visceribus instabant, euiscerasset. Tu verò fili mi, non ita facies: quoniam saniori consilio crediturus es. Astantem coram te sacerdotem
" Angelum Dei existima. Labia quidem sacerdotis, ait Malachias, cu-
" stodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius. Angelus enim
" Domini exercituum est, Et cum qua & Deum & angelum eius decet

Confessio ficta vel falsa quomodo corrigenda.

c Generaliter confitentes generaliter puniendi.

Malach: 2. v. 9.

reuerentia Dei ministrum affari. [a] Aperi ei penetralium tuorum abditissima latibula, conscientiarum verecundarum penitiora reuela repagula. Non te pudeat coram vno dicere, quod te non puduit forsitan coram multis & cum multis facere. Nam humanum est peccare, Christianum est à peccato desistere, diabolicum est perseuerare. Ergo quæ mentem grauius exacerbant facinora, Dei angelo manifesta: nihil obscurum dicens, culpam nullis ambagibus inuoluens, nullis circumitionibus quod verum est operiens.

a Confessionis stimulus, præparatio, atq; censura.

Designanda etiam sunt, in quibus peccasti loca, si recordaris & tempora, cum quibus peccasti personis, non nomina ipsarum, etiam vt à peccato desistant, secretò corrigenda familiaritas, in qua peccasti labilis ætas, in quo gradu iam Ecclesiæ inseruiebas, vtrum semel, an ex consuetudine: vtrum necessitate, an ex voluntate cecidisti. His enim omnibus sua instant iudicia. [b] Si enim in iudicijs secularibus à locis loca discernuntur, alia censura vindicatur homicidium in regis curia, alia in via publica, alia in aggresti villa: aliquando pro tempore, temporibus ignoscitur infantiæ, defertur aliquando senectuti: quæ media deferuet ætas, seuera cohibetur habena. In sollennibus, præcipuè natalitijs perpetrata, feroci plectuntur exterminio facinora, sic & cætera: quanto districtioribus eliminanda sunt aduersionib9, in locis Deo sacratis, in temporibus festis Deo dicatis, in ætate discretiori, in personis propriè Deo delegatis, in gradibus commissa sublimioribus. Nónne cui plus committitur, plus ab eo exigitur? Nónne minus est hominem occidisse, quàm homines? Nónne leuius est semel deliquisse, quàm centies? Nónne celeriorem consequitur veniam ex necessitate cecidisse, quàm ex voluntate? Et quamuìs vbicunq; peccetur, peccatū sit semper peccatū, & nullum tempus, nulla ætas, nulla persona, nullus locus, muniat peccantem à peccato; tamen hæc omnia modo suò discutienda sunt, quoniam hæc omnia corripienda & corrigenda sunt. Hæc autem omnia si taceantur, vel dicta callidè pallientur, animam iugulant: si denudentur, cum pœnitentia euanescunt. In nihilum redigenda ordine competenti prosequere, sine circumlocutione edissere peccata pro viribus, imò viriliter extirpare contende. Heu cur erubescis confiteri, quod facere nequaquam erubuisti? Melius est coram vno aliquantulum ruboris tolerare, quàm in die iudicij coram tot milibus hominum graui compulsa denotatum tabescere. Confessionem tuam pœnitentia comitetur, quoniam ita tibi remittetur iniquitas tua. Et, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. " Peccati quoq; confessio peccati est damnatio: pœnitentia verò confessionem parit vtilem. "

Cap. X.

b Circunstantiæ peccatorum excutiendæ.

Psalm. 31. v. 1

Odium

" Odium quoq; peccatis adhibendum est, quoniam peccatorū amicus " animæ suæ est inimicus. [a] Et perfecto odio odienda sunt peccata, quoniam facta sunt nobis inimica. [b] Momentaneas autem ipsorum illecebras, quæ ad momentaneam cordis percussionem possunt annullari, pro quorum annullatione æternam possidebis requiem, per thesaurizationem in cruciatum ibis infernalem, nolle destruere cùm possis, extremæ est dementiæ. Confitere igitur chare mi, nominetenus quæ te remordent flagitia, detege specialiter, quæ scis specialia, quotidiana dequibus non fuisti mundus, saltem cogitatione in collecta generali appone: sicq; ex indulgentia confide. Iam verò sacerdote consulto, ad Deum referenda sunt tua delicta, ipsi iam tunc erūt præsentanda. Non enim talis præsentatio vltrà erit infructuosa. [c] Et quod forsitan oblitus prætermiseram, debitoribus tuis ex corde dimitte debita sua, & omnes homines in Deum propter Deum dilige.

a Psalm. 138. v. 22.

b Ratio pœnitēdi notanda.

c Proximorum reconciliatio.

S. August. Sermo 57. de Tempore.

Cap. XI.

SÆpè aduertimus, dilectissimi fratres, nonnullos ex vobis communionem ecclesiasticam declinare, & hoc intelligo fieri ex conscientia grauium atq; ingentium peccatorum. Vnde admoneo vos, dilectissimi, quod prauum est, hoc in salubri consilio duplicatur: quia homines ista facientes, & delictorum sarcinam cumulant, & munus æternæ salutis amittunt: hoc est enim reatum congregare, & remedium deuitare. Ergo vos dilectissimi fratres, hortor atq; commoneo, vt si quis ex vobis cōscius criminum suorū, indignum se communione ecclesiastica putat, dignum se esse faciat. [d] Dicitis, quomodo aliquis dignum se facere possit? Quomodo, nisi vt pristinos errores relinquat, & pœnitentiam petat: vt qui criminum suorum sorde pollutus est, exomologesis satisfactione mundetur. Nec illud seruet, vt in extremo vitæ suæ tempore tunc pœnitentiam petat, quando iam agere non possit. Inutilis est enim dilectissimi, ista persuasio. Parum est, peccatorem pœnitere, nisi pœnitentiam peregerit. Ad emendanda enim crimina, vox pœnitentis sola non sufficit: nam in satisfactione ingentium peccatorum, non verba tantùm, sed opera quæruntur. [e] Datur quidem etiam in extremis pœnitentia, quia non potest denegari: sed authores tamen esse non possumus, quòd qui sic petierit, mereatur absolui. Quomodo enim agit pœnitentiam lapsus? Quomodo agit pœnitentiam in extremis vitæ finibus constitutus? Quomodo pœnitentiam agere possit, qui nulla iam pro se opera satisfactionis operari potest? Et ideo pœnitentia quæ ab infirmo petitur, infirma est: Pœnitentia quæ à moriente tantùm pe-

In maximis etiā peccatis ad Pœnitentiam recurrendum.

d Exomologesis seu satisfactio pficit Pœnitentiā.

e Sani hominis sana Pœnitentia: & è conuerso.

tùm pe-

tùm petitur, timeo ne ipsa moriatur. Et ideo, dilectissimi, quicunque vult inuenire misericordiam Dei, sanus agat pœnitentiam in hoc seculo, vt sanus esse valeat in futuro.

S. August: Hom. 41. de verè pœnitentibus.

Pœnitentiæ negligentia & abusus pstringuntur. Matth. 16. ver. 19.

POEnitentes, pœnitentes, pœnitentes, si tamen estis pœnitentes, & nō estis irridentes, mutate vitam, reconciliamini Deo, & vos enim cum catena pascetis. Qua, inquis, catena? Quæ ligaueris in terra, erunt ligata & in cælo. Audis ligaturam, & Deo putas facere imposturam? Pœnitentiam agis, genu figis, & rides, & subsannas patientiam Dei? Si pœnitens es, pœniteat te: si non pœnitet, pœnitens non es. Si ergo pœnitet, cur facis quod malè fecisti? Si fecisse pœnitet, noli facere. Si adhuc facis, certè nō es pœnitens. a Equidem, charissimi, ægrotant homines, mittunt ad Ecclesiam, vel portantur ad Ecclesiā, & baptizantur & renouantur, & felices hinc erunt. Sed nō ipsa est causa pœnitentiæ. Qui nōdum accepit baptismū, nondum violauit sacramentum: qui autem violauit sacramentū, malè & perditè viuendo, & ideo remot⁹ est ab altari, ne iudiciū sibi manducet & bibat, mutet vitā, corrigat se, & reconcilietur, cùm viuit, dum sanus est. Expectet etiā tunc reconciliari, quando incipit mori. Experti sumus multos expirasse, expectātes recōciliari. Deinde etiam dico in conspectu Dei, timori vestro, timorē meum. Qui autem non timet, timentem me contemnit, sed malo suo. Audi ergo. b Certus sum, quia homo baptizatus, si vitam, non audeo dicere sine peccato, quis enim sine peccato? sed vitam sine crimine duxerit, & alia peccata habuerit, quæ quotidie dimittūtur in oratione dicenti, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitorib⁹ nostris: quando diem finierit, vitā non finit, sed transit de vita in vitā, de laboriosa ad quietā, de misera ad beatā: siue iste voluntate sua currat ad baptismum, siue in periculo constitutus baptizetur, & exeat de hac vita, ad Deum vadit, ad requiem vadit. c Baptizatus autem desertor & violator tanti mysterij, si agat pœnitētiam ex toto corde, si agat pœnitentiam vbi Deus videt, qui vidit cor Dauid, quando increpatus est à Propheta, & grauiter increpatus, post comminationes Dei terribiles, exclamauit, dicens, Peccaui: & mox audiuit, Dominus abstulit peccatum tuum; Tantum valent tres syllabæ: Tres syllabæ sunt, Peccaui: sed in his tribus syllabis, flamma sacrificij coram Domino ascendit in cælum.

Cap. XII.

a Pœnitētiæ diutior expiatio quā baptismi.

b Venialia peccata oratio delet mortalia, nō nisi pœnitentia. Matth. 6. v. 12.

c Pœnitentiæ vis & necessitas peccantibus post baptismum. 2. Regum. 12.

Ergo qui egerit veraciter pœnitentiam, & solutus fuerit à ligamento, quo erat obstrictus, & à Christi corpore separatus, & benè post

Cap. XIII.

post pœnitentiam vixerit, sicut ante pœnitentiam viuere debuit, post reconciliationē quandocunque defunctus fuerit, ad Deum vadit, ad requiem vadit, regno Dei non priuabitur, à populo diaboli separabitur. Si quis autem positus in vltima necessitate a ægritudinis suæ, voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit: fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non præsumimus, quia bene hinc exit. Non præsumo, non vos fallo, non præsumo. Fidelis bene viuens, securus hinc exit: baptizatus ad horam securus hinc exit: Agens pœnitentiam & reconciliatus, cum sanus est, & postea bene viuens, securus hinc exit: Agens pœnitentiam ad vltimum & reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus. Vnde securus sum, securus sum, & do securitatem: vnde non sum securus, pœnitentiam dare possum, securitatem dare non possum. (Sed dicat aliquis, Bone sacerdos, tu nescire, & nullam securitatem nobis dare posse dicis, si ille saluatur, & Christum adire meretur, cui morienti pœnitentia datur: qui dum vixit, dum sanus fuit, impœnitēs fuit. b Instrue ergo nos rogo, quomodo bene viuere post pœnitentiā debeamus. Dico, abstinete vos ab ebrietate, à concupiscentia, à furto, & maliloquio, ab immoderato risu, à verbo otioso, vnde reddituri sunt homines rationem in die iudicij. Ecce quàm leuia dixi. Omnia tamen grauia & pestifera. Et aliud dico: Non solùm post pœnitentiam ab istis vitijs se homo seruare debet, sed & ante pœnitentiam, dum sanus est: quia si ad vltimū vitæ steterit, nescit si ipsam pœnitentiam accipere, ac Deo & sacerdoti peccata sua confiteri poterit. Ecce quare dixi, quia & ante pœnitentiam bene viuendum est, & post pœnitentiam melius.) c Quod dico, attendite. Debeo illud planius exponere, ne me aliquis malè intelligat. Nunquid dico, damnabitur? Non dico. Sed dico etiam, liberabitur? Non. Et quid dicis mihi? Nescio: nō præsumo, nō promitto, nescio. Vis te de dubio liberare, vis quod incertum est euadere? Age pœnitentiam, dum sanus es. Si enim agis veram pœnitentiam, dum sanus es, & inuenerit te nouissimus dies, curre vt reconcilieris: si sic agis, securus es. Quare securus es? Quia egesti pœnitentiā eo tempore, quo & peccare potuisti. Si aūt tunc vis agere pœnitentiam ipsam, quando iam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Sed vnde scis, inquis, ne fortè Deus dimittat mihi? Verum dicis. Vnde? Nescio. Illud scio, hoc nescio. Nam ideo tibi do pœnitentiam, quia nescio. Nam si scirem tibi nihil prodesse, non tibi darem. Item si scirem, tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem. Duæ res sunt: aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur. Quid horū tibi futurū sit, nescio. Ergo tene certū, dimitte incertum.

a Pœnitentia in extremis quàm periculosa.

b Quæ peccata potissimū cauenda, ante & magis post Pœnitentiā.

c Sero pœnitentes non deserunt peccata, sed ab illis deseruntur.

Ex S. August: Serm: 16. de verbis Dom.

Gemitus columbino procrastinatione corui in Pœnitentia præstat.

Cap. XIV.

SCio ego, & mecum omnis homo, qui paulò attentiùs considerauerit, neminem Deum timentem, sub verbis eius non se corrigere, nisi qui putat, quia plus habet viuere. Ipsa res est, quæ multos occidit, cùm dicunt, Cras, cras: & subitò ostium clauditur: Remansit foris cum voce coruina: quia nō habuit gemitum columbinum. Cras, cras, corui vox. Geme vt columbus, & tunde pectus: sed plagas tibi dando in pectus, cæsus correctus esto, ne non videaris conscientiam cædere, sed malam conscientiam pugnis pauimentare, solidiorem reddere, nō correctiorem. Geme non inani gemitu. Fortè enim dicis tibi: Promisit mihi Deus indulgentiam, quando me correxero, securus sum: [a] Lego diuinam Scripturam: Iniquus, in qua „ die conuersus fuerit ab iniquitatibus suis, & fecerit iustitiam, omnes „ iniquitates eius obliuiscar. Securus sum: quando me correxero, dat mihi Deus indulgentiam de malis meis. Et quid dicturus sum, contra Dominum reclamaturus? Dicturus sum Deo, Noli illi dare indulgentiam? Dicturus sum hoc scriptum non esse, hoc Deum non promisisse? Si ista dixero, omnia falsa dico. Benè dicis, verum dicis. Indulgentiam correctioni tuæ promisit Deus, negare non possum: sed dic mihi, rogo te. Ecce ego consentio, & concedò, & cognosco, quia indulgentiam Deus promisit tibi. [b] Crastinum enim diem, quis tibi promisit? Vbi mihi legis indulgentiam te accepturum, si te correxeris: lege ibi mihi quantum victurus sis. Non lego, inquis. Nescis ergo quantum victurus sis. Esto correctus, & semper paratus. Noli timere diem vltimum, tanquam furem, qui dormienti effodiat parietem: sed vigila, & corrige te hodie. [c] Quid differs in crastinum? Longa vita erit: Ipsa longa bona sit. Prandium bonum & longum nemo differt, & vitam malam longam vis habere? Vtiq; si longa erit, melius bona erit: Si breuis erit, benè factum est, vt bona produceretur. [d] Sic autem homines negligunt vitam suam, vt nolint habere malam, nisi ipsam. Villam emis, bonam quæris: Vxorem vis ducere, bonam eligis: Filios tibi vis nasci, bonos optas: Caligas locas, & non vis malas, & vitam amas malam? Quid te offendit vita tua, quam solam vis malam, vt inter oña bona tua tu solus sis malus?

a Promissio veniæ à Deo, Pœnitentia certificatur. Esech: 18. v. 21.

b Venia pœnitēti certa, terminꝰ vitæ incertus.

c Vita longa, si bona.

d Homines ōnia bona exoptant, præter vitam propriam.

Idem August: Serm: 11. ad fratres in Eremo.

Pœnitens nō deflēdo peccata, & rursus cōmittendo irrisor est.

Cap. XV.

POEnitentia enim illa digna & bona est, quæ peccata peracta deplorat, sic vt deplorata iterum non committat. Quid ergo pœnitentia est, nisi anteacta deflere, & flenda iterum non committere? Nam qui sic peccata deplorat, vt iterum peccata committat, adhuc pœnitentiam agere ignorat. Nunquid & qui dissimulat, irrisor est, & non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet? Pœniteamini igitur, fratres mei, & pœnitentes pœnitentiam agite in fletu & lamento, vt digne ridere possitis in gloria beatorum.

De reconciliatione proximorum.

S. August: Hom: 40.

Cap. XVI.

Reconciliatio ante comunionem necessaria: quam oratio Dominica exigit.

DIes isti sancti, quos agimus in obseruatione Quadragesimæ, commonent nos de fraterna concordia loqui vobis, vt quicunq; habet aduersus alium querelam, finiat, ne finiatur. Nolite ista contemnere, fratres mei. Cùm enim vita ista mortalis & fragilis, quæ inter tot terrenas tentationes periclitatur, & orat ne submergatur, non potest esse in quouis iusto sine qualibuscunq; peccatis: vnum est remedium, per quod viuere possimus, quia docuit „ nos magister Deus dicere in Oratione: Dimitte nobis debita nostra, „ sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Pactum & placitum „ cum Deo fecimus, & conditionem soluendi debiti in cautione subscripsimus. Dimitte nobis, plena fiducia petimus: si & nos dimittimus. Si autem non dimittimus, dimitti nobis peccata nō putemus: ne nosipsos fallamus. Homo se non fallat, Deus neminem fallit. [a] Humanum est, irasci: & vtinam nec hoc possemus. Humanum est, irasci: sed non debet iracundia tua, natus surculus breuis, suspitionibus irrigari, & ad trabem odij peruenire. Aliud est enim ira, aliud odium. Nam sæpe etiam pater irascitur filio, sed non odit filium: irascitur, vt corrigat. Si propterea irascitur, vt corrigat, amando „ irascitur. Propterea dictum est: Festucam in oculo fratris tui vides: „ trabem autem in oculo tuo non vides? Culpas in alio iram, & tenes odium in teipso. In comparatione odij, ira festuca est: Sed festucam si nutrias, trabes erit: si euellas & proijcias, nihil erit. Si aduertistis, beati Ioannis, cùm eius epistola legeretur, debuit vos terrere senten„ tia. ait enim, [b] Tenebræ transierunt, lux vera iam lucet. Deinde se„ cutus adiunxit, Qui dicit se in lumine esse, & fratrem suum odit, in tenebris est vsq; adhuc. Sed fortè tales tenebras putet esse homo, quales patiuntur in carceribus inclusi. Vtinam tales essent: & tamen in talibus nemo vult esse. In his autem carcerum tenebris possunt includi & innocentes. In talibus enim tenebris inclusi sunt martyres. Tenebræ circumquaq; fundebantur, & lux fulgebat in cordibus eorum. In illis tenebris carcerum oculis nō videbant, sed amore fraternitatis

Matth: 6. v. 12.

a Ira compescēda, odium nō admittendum.

Matth: 7. v. 3.

b Tenebras in anima generat odium proximi. 1. Ioan: 2. v. 11.

nitatis Deum videbant. Vultis ſcire quales ſunt iſtæ tenebræ, de quibus dictum eſt, Qui odit fratrem ſuum, in tenebris eſt vſque adhuc? In alio loco dicit, [a] Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Qui odit fratrem ſuum, ambulat, exit, intrat, procedit, nullis catenis oneratus, nullo carcere incluſus: reatu tamen ligatus eſt. Noli illum putare ſine carcere eſſe. Carcer eius, cor eius eſt. Cùm audis, Qui odit fratrem ſuum, in tenebris eſt vſque adhuc, ne fortè contemnas tales tenebras, adiungit dicens, Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Odis fratrem tuum, & ſecurus ambulas? & concordare non vis? non agnoſcis, quare ſpatium tibi dederit Deus? Ecce iam homicida es, & adhuc viuis. Si Dominum iratũ haberes, cum odio fratris ſubitò rapereris. [b] Parcit tibi Deus, parce tu tibi, concorda cum fratre tuo. Aut fortè tu vis, & ille non vult? Suficiat tibi. Habes vnde illum doleas: te ſoluiſti. Dic, ſi vis concordare, & ille non vult: Dic ſecurus, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

a 1. Ioan 3. v. 15.

b Reconciliationem offerre non acceptanti, ſufficit.

Cap. XVII.

Fortè peccaſti in illum, vis cum illo concordare, vis ei dicere: Frater, ignoſce mihi quod peccaui in te. Ille non vult ignoſcere, nõ vult dimittere debitum. Quod ei debes, non vult tibi dimittere. Ipſe obſeruet, quando habet orare. Quando venturus eſt, qui tibi noluit dimittere, quod in eum fortè peccaſti, quando venturus eſt ad orationem quid facturus eſt? Dicit, Paternoſter qui es in cælis. Dicat, accedat, Sanctificetur nomen tuum. Adhuc dic, Veniat regnum tuum. Sequere, Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra. Adhuc ambula, Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Dixiſti: quod ſequitur, vide ne fortè velis iam tranſcendere, & aliud dicere. Non eſt quâ tranſire poſsis, ibi teneris. Dic ergo, & verum dic: aut ſi nullum peccatũ habes vnde dicas, Dimitte nobis debita noſtra, noli dicere. Et vbi eſt illud quod Apoſtolus dixit, [c] Si dixerimus, quia peccatum non habemus, noſipſos decipimus, & veritas in nobis nõ eſt? Si autem mordet conſcientia fragilitatis, & in hoc ſeculo vbique abundant iniquitates: dic ergo, Dimitte nobis debita noſtra. Sed quod ſequitur vide. Noluiſti enim dimittere peccatum fratri tuo, & dicturus es, Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. An non es dicturus? Si non es dicturus, nihil es accepturus: ſi autem dicturus, falſum es dicturus. Ergo dic, & verum dic, Quomodo dicturus es verum, qui fratri tuo noluiſti laxare peccatum? Illum admonui, modò conſulo. O quiſquis es, ſi tamen es, qui dixiſti fratri tuo, Dimitte mihi quod in te peccaui: ſi dixiſti ex toto corde tuo, ſi vera humilitate, non ficta charitate, quomodo Deus videt in corde, vnde dixiſti: ſed ille noluit tibi dimittere, noli eſſe ſolicitus. Serui eſtis ambo, habetis Dominum: conſeruo tuo debes, Noluit tibi dimittere, interpella dominum amborum. Quod tibi dimiſerit Dominus, ſi poteſt, exigat ſeruus. Dico aliud, Admonui ergo eum, qui noluit dimittere fratri ſuo, cùm petat ille dimitti ſibi, vt faciat quod nolebat: ne, quando orat, non accipiat, quod deſiderat. Admonui & illum, qui petiuit veniam peccati ſui à fratre ſuo, & non accepit: vt in eo quod non impetrauit à fratre ſuo, ſecurus ſit de Domino ſuo. [a] Eſt & aliud, quod moneam: Peccauit in te frater tuus, & noluit tibi dicere, Dimitte mihi quod peccaui in te. Abundant verba iſta: vtinã Deus eradicet illa de agro ſuo, hoc eſt de cordibus veſtris. Quàm multi ſunt enim, qui ſciunt ſe peccaſſe in fratres ſuos, & nolunt dicere, Dimitte mihi. Non erubuerunt peccare, & erubeſcunt rogare: Non erubuerunt de iniquitate, & erubeſcunt de humilitate. Ipſos ergo inprimis admoneo. Quicunque habetis diſcordiam cum fratrib9 veſtris, & reuocatis vos ad vos, & conſideratis vos, & iuſtum iudicium fertis in vos, intus in cordibus veſtris, & inuenitis vos non debuiſſe facere quod feciſtis, non debuiſſe dicere quod dixiſtis, Petite veniam fratres à fratribus veſtris, facite fratribus quod ait Apoſtolus: Donantes vobis ipſis, ſicut & Deus in Chriſto donauit vobis: facite, nolite erubeſcere veniam petere. Proinde omnibus dico viris & fœminis, minoribus, & maioribus, laicis, & clericis; dico & mihi ipſi: Omnes audiamus, omnes timeamus, ſi peccauimus in fratres noſtros. Si adhuc inducias viuendi accepimus, nõ ideo morimur: Adhuc enim viuimus, nondum damnati ſumus. Dum viuimus, faciamus quod iubet pater, qui erit Deus iudex omnium: vt petamus veniam à fratribus, quos fortè peccando in eos aliquid offendimus, aliquid læſimus. [b] Sunt perſonæ humiles, pro ordine ſeculi huius, à quibus ſi petamus veniam, extolluntur in ſuperbiam, hoc eſt, quod dico, aliquando dominus peccat in ſeruum ſuum: quia ſi ille dominus eſt, ille ſeruus, ambo tamen alieni ſerui ſunt: quia ambo Chriſtiani, ambo Chriſti ſanguine redempti ſunt. Tamen durum videtur, vt hoc etiam iubeam, hoc præcipiam, vt ſi fortè dominus homo peccat in ſeruũ ſuum iniuſtè litigando, iniuſte cædendo: dicat ille, Ignoſce mihi, da mihi veniam. Non quia non debet facere, ſed ne ille incipiat ſupbire, ſi pœniteat eum. Quid ergo? Ante oculos Dei pœniteat eum, ante oculos Dei puniat cor ſuum: & ſi non poteſt dicere ſeruo ſuo, quia non oportet, Da mihi veniã, blandè illum alloquatur. Blanda enim appellatio, veniæ eſt poſtulatio.

Matth: 6. ver. 9.

c 1. Ioan: 1. v. 8.

a Deprecationē læſi proximi detrectantes.

Ephes. 4. v. 32.

b Reconciliationis perſonarum conditione inæqualium modus.

Cap. xviij.

Reſtat vt eos alloquar, in quos alij peccauerunt, & illi, qui in eos peccauerunt, veniam petere noluerunt. Illos enim iam ſum allocutus, qui petentib9 veniam fratribus dare noluerunt, Nunc ergo allo-

quor vos omnes, ne discordiæ vestræ remaneant, quoniam dies sancti sunt. Credo, quia cogitastis aliquid in cordibus vestris, qui scitis vos cum fratribꝰ vestris aliquas habere discordias, & inuenistis, quòd non ipsi vos in eos peccaueritis, sed ipsi in vos. Et si non modò mihi loquimini, quia meum est loqui in hoc loco, vestrum autem tacere & audire: tamen fortè cogitando loquimini, & dicitis vobis, Volo concordare: [a] Sed ille me læsit, ille in me peccauit, & non vult veniam postulare, Quid ergo? dicturus sum, vade ad illum, & tu pete veniam? Absit. Nolo mentiaris: Nolo dicas, Da mihi veniam, qui te nosti non peccasse in fratrem tuum. Quid enim prodest tibi, cùm tu fueris tuus accusator? Quid expetis tibi ignosci, ab eo quem non læsisti, aut in quem nō peccasti? Nihil tibi prodest, nolo facias: nosti, bene discussisti, scisti, quia in te peccauit, nō tu in illum. Scio, inquit. In ista tuta scientia, sit tua conscientia. Noli venire ad fratrem tuum, qui in te peccauit, & vltro ab illo petere veniam. Debent inter vos esse alij pacifici, qui illum obiurgent, vt à te prius veniam petat, tu tantum paratus esto ignoscere, prorsus paratus esto ex toto corde dimittere. Si paratus es dimittere, iam dimisisti, habes adhuc quod ores. Ora pro illo, vt petat à te veniam, quia scis ei nocere, si non petat. Ora pro illo vt petat: Dic Domino in oratione tua, Domine, scis me non peccasse in illum fratrem meum, sed illum potius peccasse in me, & obesse illi quod peccauit in me, si veniam non petat à me: ego bono animo peto, vt ignoscas ei. [b] Ecce dixi vobis, quod maximè per istos dies ieiuniorum vestrorum, obseruationumq; vestrarum atq; continentiæ vestræ mecum agere debeatis, vt cum fratribus vestris concordetis. Gaudeam & ego de pace vestra, qui contristor litibus vestris: vt omnes donantes vobismetipsis, si quis habet aduersus aliquem querelam, securè agamus Pascha, securi celebremus eius passionem, qui nihil cuiquam debebat, & pretium pro debentibus soluit, Dominum Iesum Christum dico, qui in neminem peccauit, & prope in illū omnis mundus peccauit, nec exegit supplicia, sed ꝓmisit præmia. Habemus ergo ipsum testem in cordibus nostris: quia si in aliquem peccauimus, vero corde veniam postulemus: si aliquis in nos peccauit, veniam dare parati simus, & pro inimicis nostris oremus. Non expectemꝰ vindicari fratres. [c] Quid est vindicari, nisi malo alieno pasci? Scio quotidie venire hominem, genua figere, fronte terram concutere, aliquando vultum suum lachrymis rigare: & in ista tanta humilitate ac perturbatione dicit, Domine, vindica me, occide inimicum meum. Planè ora, vt occidat inimicum tuum, & saluet fratrem tuum. Occidat inimicitias, saluet naturam. Sic ora, vt vindicet te

a Non petentibus etiam veniā ignoscendum. & quomodo.

b Pascha propriè reconciliationis tempus.

c Vindicta priuata, eiusq; affectus deponendus.

dicet te Deus: pereat qui te persequebatur, sed maneat, qui tibi reddatur. [a] Conuersi ad Dominum. Tali Epiphonemate solebat Beatissimus Augustinus Sermones suos concludere, veluti fructum prædicationis suæ, salutem audientiū, ab auditoribus partim requirens, partim sibi promittens. Qualem fructum nobis quoq; concedat solus ille, qui plantat & seminat, Deus in perpetuas æternitates benedictus. AMEN.

c Epiphonema Serm: S. Augu[s]t:

Sermo sextus.

SACRIFICII NOVÆ LEGIS ASSERTIO, ex Epistola B. Pauli ad Hebræos.

Cap. I.

RESpiciam vos, & crescere faciam: & firmabo pactum meum vobiscum. Commedetis vetustissima veterum, » & vetera nouis superuenientibus projicietis. Ponam taber- » naculum meum in medio vestri: & non abjiciet vos anima mea. » Ambulabo inter vos, & ero Deus vester: vosq; eritis populus meus. Verba ista continent vltimam promissionem, & veluti sigillum fœderis illius, quod Deus cum populo suo per Moysen in tabulis lapideis pepigerat. Quod quidem pactum, quoad Legalia & Cærimonialia, erat quidem temporale, & (vt vocat [b] Apostolus) exemplare ac typicum, in noua lege gratiæ re ipsa exhibendum: quatenus autem erat Morale, continens agnitionem ac dilectionem Dei & proximi, erat æternum: sed in lege noua per Deum (qui [c] charitas est) hominibus copulatum, ad perfectionem reducendum. Quod attestatur [d] Apostolus, quando vltima eiusdem promissionis verba, refert ad illud Dei cum hominibus consortium, quod filij Dei incarnatione, & credentium per Spiritum sanctum adoptione, contigisset: ex quo consequitur, antecedentia etiam verba ad eandem quoq; nouam legem propriè esse referenda. [e] Tria autem sunt, quæ Deus in his verbis intendit. Primò, singularem quandam gratiam, qua esset respecturus, hoc est, electurus populum sibi peculiarem, eumq; multiplicaturus. Secundum, cum eodem populo pactum sese initurum, tale quod degustatis nouis, quæ vetustissimis responderent, vetera reprobaret. Tertiò, subsecuturum esse tale Dei cum hominibus tabernaculum, quod verè ac perpetuò populum illum Deo coniungeret. Hæc si ad literam occidentem cum Rabbinis referamus: intelligemꝰ primam promissionem notare Synagogam, promissionibus Patriarcharum firmatam; secundam, exponemus rerum temporalium,

Pactum veteris Testamenti, quo modo in nouo completum. Leuit: 26. v.9.

b Hebr: 8. v. 5.

c 1. Ioan. 4. v.16.

d 2. Cor: 6. v.17.

e Exponitur locus Leuit. 26. v.9.

quæ illius legis obiectum esset abundantiam, propter quam acceptis nouis rerũ affluentijs, vetera abijcerẽt: in tertio considerabim⁹ ipsam diuinã assistentiam, quę in tabernaculo illo fœderis repræsentabatur.

a 2.Cor:3. ver.6.

Cap. II.

Sed quia secundùm Apostolum [a] litera occidit, spiritus autem viuificat, nos non corticem vetustatis, sed nucleum veritatis sequentes, promissionem istam legi nouæ Euangelicæ accommodabimus. Cuius vel prima vox ([b] Respiciam vos) optimè conuenit proposito nostro. Per eam siquidem intimatur præuentio gratuitæ misericordiæ diuinæ, ad redemptionem generis humani per carnis commercium. Ideo tanti beneficij primam & præcipuam causam, fatetur Dei denuntiata mater, quãdo cecinit: [c] Quia respexit humilitatẽ ancillæ suę, &c. Cui cõsonat illud Prophetæ, quãdo in illo vltimo legis nouæ apparatu, quem ibi ad viuum depingit, sic Deum inducit loquentem: [d] Ad quem respiciam nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos? Quod equidem primæ inuentricis gratiæ, tum humilitati, tum pauori ad verba Angelica, rectissimè accommodatur. [e] In prima igitur promissione intelligemus Ecclesiam, quæ ante Abraham & alios Patriarchas, ab Abel vsq; ad vltimum iustum, in prædestinatione Dei erat designata, per ipsum pastorem animarum in noua sua lege, ex omni gente, ad vnum ouile congregatam: Ad quam etiam referebantur filij veri Abrahæ, non secundùm carnem, sed secundùm spiritum & fidem, qui [f] ad instar multitudinis stellarum (sicut reprobi ad instar arenæ maris) forent multiplicandi. Secunda promissio, non potest quoq; secundùm prædictũ sensum carnalem subsistere. [g] Nouis enim temporalium rerũ vbertatibus superuenientibus, si vetera abijcerentur, vetustissima certè (vt textus dicit) simul cum nouis ad vsum nõ possent coæquari. Designatur itaq; nouum legis nouæ sacrificium, cum suo sacerdotio: in quo vetera quidem, hoc est, legis Mosaicæ sacrificia, ad duritiam cordis populo illi ad æmulationem gentilitatis concessa, proijcerentur, succedentibus nouis, hoc est, nouæ & æternæ legis perhenni sacrificio, vero nimirum corpore & sanguine Christi, quod nouum cùm sit, antiquissimo correspondet, in oblatione Abel, Caim, Noë, Abraham, Iacob, &c. Secundùm quod vtrumq; sacrificium, dicitur [h] Agnus Christus occisus fuisse ab origine mundi: & Iesus Christus heri & hodie, qui & ante secula: vt singula infrà suo loco explicabuntur. [i] Per istud ipsum nouæ legis sacrificium, posuit Deus in populo suo tabernaculum suum, non ampliùs exemplare, sed ipsum prototypum, quod Moysi in monte fuerat demonstratum, quod secundùm Apostolum Deus fixit & non homo. Illud autem est,

b Respicere Deo proprium est per singularem gratiam.

c Lucæ 1. v. 48.

d Isaiæ 66. v. 2.

e Incrementum Synagogæ promissum, quomodo in Ecclesia adimpletum. Ioan: 10. vers.17. Rom:4. vers.18.

f Gen:22. v. 17.

g Vetustissima veterum cum nouis post abiecta vetera, vbi & quomodo comeduntur.

h Apoc:13. v.8. 1. Petr:1. v. 19. Hebr:13. ver.8.

i Tabernaculum nouę legis quod, & quale. Hebr.8. vers.2. Exodi 25. v.40.

tem est, ipsemet Deus, eiusq; in terra quidem cognitio, in cælo autem visio & fruitio: cuius autor est Christus ad dexteram Patris sacerdotio propitiatorio pro nobis perfungens, idemq; ipsum in Ecclesia militante visibiliter per suos ministros repræsentans: Ex qua sacrificij participatione efficitur, vt per Eucharistiam ipsi incorporati, habeamus ipsum in nobis ambulantem: vt non vltrà iam abijciat Ecclesiam suam, sicut ingratã synagogam repudiauerat, sed tanquã [a] caro ex carne, & os ex ossib⁹, illam pro spõsa sua perpetuò recognoscat.

a Ephes. 5. v. 30.

Cap. III.

[b] Tertiò quando Deus dicit: Firmabo pactum meum vobiscum: intelligit nouam legem gratiæ, quam Christus per testamentum passionis & mortis suæ, populo suo firmauit irreuocabili certitudine, quando eam non ampliùs in tabulis lapideis fractioni subiectis, nec carta, vel atramento, sed in tabulis cordis credentium carnalibus, spiritu suo diuino exarauit. Quod S. [c] Paulus ex professo, testimonijs propheticis sic comprobat: Vituperans enim eos (legis veteres cultores) dicit: Ecce dies veniet dicit Domin⁹, & consumabo (huic correspondet quod dixerat per Moysen firmabo) super domum Israel, & super domum Iuda, testamentum nouum, non secundùm testamentum quod feci patribus eorum, in die qua appræhendi manum eorũ, vt educerem illos de terra Ægypti. Quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo: & ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc est testamentum, quod disponam domui Israel, post dies illos dicit Dominus: Dando leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Hactenus verba Apostoli. [d] Qui cùm in eadem ad Hebræos Epistola, ex qua ista verba desumpsimus, nihil magis agat, quàm vt testamentum nouæ legis, eiq; necessariò annexum sacrificium potentissimè contra antiquæ legis æmulatores, euincat: nos quoq; qui sacrificij doctrinam propositam habemus, in præsenti Sermone, hanc ipsam sacrificij nouæ legis assertionem suscipiamus, contra nouorum errorum æmulatores hæreticos. Et in prima quidem parte assertionem Apostoli, ex tota illa Epistola præmittemus: quæ adeò euidens est, vt eam non attendens cœcitas, vel potius temeritas aduersariorum, meritò sit condemnanda. In altera parte expositionem moralem Origenis de tabernaculo subijciemus.

b Testamentum nouæ legis est æternum in cordibus sculptum. Leuit.26. v.9.

c Hebr: 8. v.9. Ierem: 31. v.38.

d Argumentum Sermonis & dispositio.

Prima pars continens summariam Epistolæ ad Hebræos expositionem.

Cap. IIII.

PRopositum S. Pauli in hac [e] Epistola est, Iudæos seu Hebręos, præsertim eos, qui recepto Euangelio Circumcisionem

Scopus seu argumentũ Epistolæ ad Hebræos.

quoq; admiscerent, ex ipsa eorum lege conuincere, legem veterem per Moysen datam finẽ accepisse, & per aduentũ Christi veri Messiæ, penitus completam fuisse & abrogatam: eiq; nouam legem gratiæ successisse, quæ similiter vt vetus, habeat suum nouum sacerdotium & sacrificium.

a Argumẽta triũ postremorũ Capitum huius Epistolæ.

a Quantum ad legem ipsam, in tribus vltimis Capitibus docet eam consistere, in tribus principalibus virtutibus Theologicis: primò fide, & per eam in baptismo regeneratione: secundò in spe, per tentationes & tribulationes huius vitæ, ad promissam beatitudinem perueniendi: tertiò in charitate erga Deum & proximũ, quæ hominem perficit, & suo fini ac principio, hoc est, Deo coniungit.

b Methodus Apostoli in asserendo nouæ legis sacerdotio & sacrificio.

b Priori autem parte Epistolæ, disputat Apostolus de eiusdem nouæ legis, nouo itidem eiq; proprio sacerdotio & simul sacrificio. Quia verò Iudæi ex lege sua, post Deum vnum, in dignitate & veneratione, ponebant primò Angelos, deinde Moysen tanquam summum Prophetarum, sub eoq; alios Prophetas: deniq; quoad sacerdotium venerabantur Aäronem, & Leuiticum ordinem: nec minus etiam Abraham, tanquam patrem promissionum & benedictionũ: propterea Apostolus propositæ disputationi de Sacerdotio seu Sacrificio, præponit & demonstrat, Christum esse verum Messiam, ipsiusq; tùm legis, tùm sacerdotij & sacrificij, authorem & institutorem.

c Primi Capitis argumentum.

Cap. V.

c In primo igitur capite asserit, Christum legis nouæ authorem, non fuisse simplicem Prophetam & hominem, sed in humanitate, secundùm quam hominibus locutus est, d fuisse Dei filium, verumq; Deum. Licèt enim apparuerit in vera humanitate, secundùm quam hominibus loquebatur: non tamen amisit ius Paternæ hæreditatis Diuinæ, in creaturarum, tùm ipsa creatione, tùm conseruatione: idq; non subdelegata virtute, sed propria, & naturali, qua Deo Patri esset coæqualis & consubstantialis.

d Christus in humanitate verus Deus, sacerdotio & mediationi inter Deum & homines aptus.

Ex authoritatibus Scripturæ & argumentis, quibus vtitur Apostolus, vnum tantum desumimus, quo comprobatio, quoq; sacrificij nobis proposita confirmari potest: ex illo nimirum loco Psal. 109. quando Dauid dicit: e Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Inde enim Apostolus probat, cùm verba ista nulli Angelorum dicta sint, Christum esse Dominum & Deum, sicut Dauidis, sic & ipsorum Angelorum. Quod Christus ipse clariùs ostendit incredulis Iudæis, sic illos conuincendo: f Si ergò Dauid Christum vocat Dominum suum, quomodo filius eius est? Iam verò ex eodem Psalmo S. Paulus inferiùs Cap. 5. adducit alium locum de sacerdotio Christi, vbi Dauid dicit: Iurauit Dominus & non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech: Vt collatis inuicem duobus istis testimonijs, appareat Christum

e Psal. 109. v. 1. 4.

f Matth. 22. v. 42.

Christum in sua noua lege gerere sacerdotium, suæ etiam diuinæ naturæ conforme, hoc est, æternum, vt suo loco explicabitur. Quod etiam Apostolus initio huius capitis insinuat, quando dicit eundem filium Dei purgationem peccatorũ facere, sedendo ad dexterã Patris.

Cap. VI.

a Secundi Capitis summa.

In a secundo Capite pergit Apostolus excellentiam Christi magis declarare: primò quidem supra Angelos: Occurrendo tacitæ quasi obiectioni: quòd Psalmista dixerit, b eundem filium Dei minoratum esse paulò minus ab Angelis. Quod Apostolus sic diluit: istam diminutionem seu exinanitionem filij Dei, nihil afficere posse diuinam eius naturam, in quam nulla diminutio seu mutatio cadere potest: sed eadem exinanitio, per passionem à filio Dei, quoad suam humanitatem, suscepta est voluntariè, ad reparationem vniuersitatis creaturæ, quæ etiam suo modo Angelos comprehendit: c propriè autem ad reparationem lapsi generis humani, cuius etiam, iussu diuino, Angeli curam gerunt. Et sic oportuisse verbum æternum seu filium Dei apprehendere, hoc est, hypostaticè assumere naturam, non Angelicam, quamuis excellentiorem, & sibi (veluti spiritualem) magis conformem: sed humanam, in qua eiusdem generis expiatio, per diuinam virtutem debitè & sufficienter perfici posset. Non tamen propter eam aliquid Diuinitati Christi decedere, ideoq; d à Deo Patre mandatum fuisse ipsis Angelis, vt filium suum introductum in mundum (vtiq; per incarnationem) tanquam Deum & creatorem, ipsi veluti creaturæ adorarent, vt habetur superiori primo Capite.

b Christus creator angelorum, quomodo ab illis minoratus. Psalm. 8. vers. 6.

c Filius Dei cur assumpsit naturã humanam, non Angelicam.

d Hebr: 1. vers. 6.

Cap. VII.

e Sumã tertij & quarti Capitis.

e Post Angelos, Iudæi, vt diximus, habebant in honore Moysen, veluti summum Prophetam, mediatorem, legislatorem, ducem, & liberatorem suum ex seruitute Ægypti: qui etiam amicabili quodam consortio, f Deum facie ad faciem videns, meruit tandem Deus Pharaonis appellari. g Huic tamen Apostolus incomparabiliter præfert Christum Messiam. Primò quòd Moyses in domo Dei, hoc est, Ecclesia, erat famulus seu minister: Christus autem eiusdem domus, & consequenter ipsius Moysis, non solùm Dominus est, sed etiam conditor & author. Deinde, quòd liberatio illa mirabilis & præpotens Israelitarum ex Ægypto, fiebat ministerio quidem Moysis, sed ducatu & virtute eiusdem filij Dei. h Ideoq; comminationes & pœnæ præuaricatoribus in deserto inflictæ, procedebant ab eodem Christo: cui propriè competat illa interminatio: i Hodie si vocẽ eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, &c. Siquidem illa determinatio temporis quæ dicta est, (Hodie) propriè pertineat ad legem gratiæ: in qua sicut præuaricatoribus extremæ pœnæ, sic obedientibus & fidelibus, requies vera & æterna ibidem promissa, sit præparata.

f Exodi 33. v. 11. Exodi 8. vers. 1.

g Moysis summa dignitas, subiacet tamẽ Christo vero liberatori.

h Hodie, designat futuram legem gratiæ.

Psalm: 94. v. 8.

Hæc

Hæc autem quæ dicta sunt, pertractat Apostolus per totum Caput, Tertium & Quartum.

a Capitis quinti argumentum.

Cap. VIII.

a Restabat comparatio Christi, eiusq; sacerdotij, cum Aãronis & Leuitico Sacerdotio: quam S. Paulus subinfert Capite quinto & sequentibus. Primùm igitur cum Aãrone & Christo talem infert antithesim.

b Comparatio Christi cũ Aaron eiusq; sacerdotio & sacrificio.

b Primò ex nomine sacerdotis seu Pontificis: Siquidem Aaroni iussu diuino à Moyse hoc nomen & munus obtigerat: Christo autem ipsa natura competebat, iuxta illud: Dixit Dominus Domino meo, &c. Tu es sacerdos in æternum, &c. vt superiùs explicatum est. Secundò, quia Aaron erat ex hominib⁹ assumptus vt homo: Christus verò ex hominibus assumptus, vt Deus simul & homo, ad sacerdotium æternum & cœleste: in quo completum sit illud. Deut. 18.

c Deut: 18. v. 15.
d Matt: 17. v. 5.

c Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies. Hunc autem talem declarauit Deus Pater de cælo dicẽs: d Hic est filius meus dilect⁹, in quo mihi benè complacui, ipsum audite. Tertiò, Aaron constitutus erat, pro hominib⁹, in his quę sunt ad Deum, vtiq; tanquam interpres & internuntius: Deum autẽ (scribit B. Ioannes) cùm nemo vidisset vnquã, vnigenitus eius filius, qui est in sinu Patris, enarrauit nobis.

e Ioan: 1. v. 18.

e Quartò Moyses & Aaron (inquit Dauid) in sacerdotibus eius, erant sequestres & mediatores inter Deum & populum: hoc ex proprietate vtriusq; naturæ habet mediator Dei & hominũ, Christus Iesus, vt alibi idem Apostolus ostendit.

f Christus qualis mediator.
Psalm 98. v. 6.

f Quintò, Aaron & sacerdotes legales assumebantur ex hominibus, vt ipsi circumdati infirmitate, possent condolere eis, qui ignorant & errant: Christus autem, vt homo, factus pro nobis peccatum, non peccator, assumpsit infirmitates & culpas ipsas humanas, vt ijs quidem humanitùs condoleret, eaq; exolueret, & tanquam Deus eisdem propitiaretur. Sextò, sacerdotes legales pro peccatis offerebant dona & sacrificia temporalia, & creata, tum & ænigmatica, quæ potiùs arguebant peccata, quàm exoluebant: æternus sacerdos Christus, est agnus ille ab origine mundi occisus, qui postmodum Isa. 9.

g Isaiæ 9. vers. 6.

g Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, vt in humero suo gerens principatum crucis, nobis fieret hostia & donũ propitiationis.

h Christus sacerdos non tam datus, quàm natus supra Aaron.
Psal: 107. v. 4.

h Septimò, Christus habet proprietatem sacerdotij origine ipsa, & vocatione. Aaron namque non assumpsit sibi honorem, sed vocatus à Deo, per Moysen sacerdotium adijt: longè autem perfectiùs Christus, sicut Rex & Legislator, sic sacerdos est, nõ tam datus, quàm natus. Quia Deus Pater cum dixisset: Ex vtero ante Luciferum genui te: mox natura quoq; non solùm officio, declarauit eum sacerdotem æternũ, secundùm ordinem Melchisedech,

vt suprà

vt suprà dictum est. Quamuìs enim in diebus carnis suæ, requirente id exinanitione sua, in forma hominis & serui, sacrificium itidem temporale exegerit per obedientiam Patri vsq; ad mortem Crucis, secundùm ordinẽ Aaron, exigente id ratione redemptionis humanę: tamen sacerdotium eius proprium, ablegato illo legali, nouum æternum, & cæleste est, imò etiam Diuinum, vt postea latiùs patebit.

a S. Paul⁹ cur exactam. sacerdotij Christi rationem non fuerit prosecutus.
Hebr: 5. vers. 10.

a Quod etiamsi requirat sermonem grandem, hoc est, propter suam maiestatem, diuinis misterijs reconditum, & interpretabilem ad dicendum, nimirum ex obscuritate figurarum & prophetiarum, quibus in lege veteri obumbrabatur: Tamen in talibus mysterijs proponendis simul & exponendis, oportuit Apostolum stylum temperare, pro capacitate eorum, quibus tunc scribebat, qui nõ solidi cibi, sed lactis essent capaces. Et sic mirum non debet esse aduersarijs, si nõ ea sufficientia, quàm curiositas eorum exigit, omnia fuerint ab Apostolo proposita & pertractata. Quæ tamen verè fidelibus sufficere, vt cœpimus, ostendere pergamus.

Cap. IX.

b Sexti Capitis expositio Paraphrastica.

Igitur Cap. b Sexto Apostolus facit quandam Isagogen ad tantum mysterium capiendum: vt nimirum omissis doctrinis communibus & catechisticis, illi, ad quos scribebat, Christiani neophiti, redderent seipsos vtcunq; capaces perfectionis altissimæ doctrinæ, quæ scop⁹ esset redemptionis eorũ & salutis.

c Christianorum adhuc Iudaisantiũ ad altiora mysteria apparatus, Rhetoricus, & Theologicus.
Ioan: 19. vers. 30.
Paraphrasis ca. 6.

c Cauendo inprimis incredulitatem & apostasiam: si nimirum admissa iam Christiana professione in fide, baptismo, impositione manuum, & fide resurrectionis, ac vitæ futuræ: legem tamen antiquam cum suo sacerdotio & cærimonijs (æternã esse putantes) retinere velient: cùm tamen hac ratione in seipsis rursus crucifigerent filium Dei, quasi ipse nõ omnia antiqua morte sua conclusisset, dicens, Consummatũ est: & sic tantùm passio sua fuisset ostentui, & quasi ad subsannationem aduersariorum, potiùs quàm ad efficacem redemptionem. Quale crimen esset contra Spiritum sanctum, irremissibile prorsus & irrecuperabile. Hac enim ratione Christi redemptio, ac meritum, eiusq; fides, esset quidem similis tempestiuæ cælesti pluuiæ, sed corda hominũ diuersos planè ex illa fructus referrent, bona quidem & fidelia, ad bonorum fructuũ remunerationem, mala autem & rebellia, ad praui germinis exterminationem. Hoc tamen magis ad terrorem, quàm certum euentũ eis sese denuntiare. Primò quidem, quòd charitatem erga fratres indigentes, fidei veræ vtiq; testem, hacten⁹ exhibuissent: Deinde, quòd essent ex semine promissionis

d Dei iuramentũ Abrahæ factum, ad legem nouam directum.
Genes: 12. vers. 3.
Gen: 22. vers. 18.
Galat: 3. v. 12.

d Abrahæ, cui hæreditas iuramento firmata est: idq; ad superabundantem certitudinem: cùm Deus superiorem nõ habens, cuius nomine seipsum obstringeret, more hu-

mano

mano id firmare voluerit per duas res immobiles, nimirum, quòd Deus id dixerit, quem mentiri est impossibile: & quòd insuper nomen idipsum suum in testimonium iureiurando aduocauerit. Cuius iuramenti mentionem videtur studiosè intulisse Apostolus, vt quemadmodum olim promissio filijs Abrahæ, sic postmodum sacerdotium Christi simili iuramento assertum, imutabili certitudine firmaretur: dicente eodem Patre ad filium, Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedesch. Quam intentionem Apostoli fuisse apparet, quòd mox subiungit, ad cõsequendam istam hæreditatẽ, Abrahæ & semini eius iureiurando firmatam, alium non patere accessum, [a] quàm quando Iesus non iam figuratè, vt in lege fiebat, sed verè & efficaciter intrauit vsq; in interiora velaminis tabernaculi, nimirum cælestis, quoniam in eius morte [b] velum templi scissum est, & gladio illo flameo paradysi superato, filius Dei nobis præcursor introiuit, idq; tanquam sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech. [c] Vnde dici potest, redemptionis nostræ causam Christum adhibuisse, instrumentalem quidem, per sanguinem & mortem suam, secundùm ordinem Aaron: efficientem autem & formalem fuisse, & semper mansuram in sacerdotio suo proprio & perpetuo, secundùm ordinem Melchisedech, de quo sermonem instituit Apostolus.

Psal. 109: v. 5.

a Christus quomodo penetrauit interiora velaminis tabernaculi cœlestis.

b Matt: 23. v. 51. Genes. 3. vers. 23.

c Redemptio sacerdotio Melchisedechico Christi consummata.

[d] Postquam igitur docuisset S. Paulus, Moysen & Aaron, secundùm Psalmistam, inter præcipuos Dei sacerdotes reputatos, non potuisse superare, sed nec adæquare legẽ & sacerdotiũ Christi: [e] Cap. septimo addit insuper totum Leuiticum ordinem, cui etiam in ipso Patre Abraham, longè antecellebat sacerdotium Melchisedech, quòd esset proprium Christi: Ideo eius cum Christo talem facit comparationem. Primò, à nominis interpretatione. Melchisehech enim sonat Regem iustitiæ: Christus autem est verus Rex, & iustitia nostra. Secundò, quia Melchisedech erat Rex Salem, id est, Rex pacis: Christus autem Isa. 9. vocatur Princeps pacis: Et ipse in Salem (quæ Ierosolyma est) declamatus erat Rex Israel: & in Cruce, in qua pacẽ mũdi cũ Deo firmabat, titulo [f] Regis Iudæorũ insignitus est. Tertiò, Melchisedech erat sacerdos Dei summi, Moyses autem dicit altissimi, quo nomine nec Moyses, nec Aaron, nec Leui, vel alius quisquam, est vocatus. Quartò, origine. Quia Melchisedech, sine patre & sine matre fuisse memoratur: non quòd illis careret, sed quia contra morem Scripturæ reticentur: & per hoc exprimit Christum filium Dei, qui in cælis est sine matre, & in terris sine patre. Quod & Isaias insinuat dicens; Generationem eius quis enarrabit. [g] Sed istam expositionem contra-

Cap. X.

d Septimi Capitis expositio.

e Sacerdotium Christi ex ordine Melchisedech superat Leuiticum etiam ex Abraham ductum.

Genes. 14. v. 18. Psalm. 109. v. 5. Matth: 21. v. 5. 1. Cor: 1. v. 24.

f Ioan: 19. v. 19.

Isa. 53. ver. 8.

g Melchisedech propriè figurabat Christum.

contractiorem, luculentiùs audiamus ex S. Ambrosio, sic locũ istum pertractante. Sępiùs Beatus Paulus eundẽ Melchisedech in typo Dei Saluatoris introducit. Quamuìs enim omnes penè Sancti, & Patriarchæ, ac Prophetæ prioris temporis, in aliqua re figuram expresserint Saluatoris, hic tamen Melchisedech specialiùs: qui quoniam non fuit de genere Iudæorum, in typum præcessit sacerdotij filij Dei: de quo dicitur in 109. Psal: Tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech. [a] Ordinem autem eius multi interpretantur, quòd solus & Rex fuerit, & sacerdos, & ante circuncisionem functus sacerdotio: vt non gentes à Iudæis, sed Iudæi à gentibus sacerdotiũ acceperint: neq; vnctus oleo sacerdotali, vt Moysi præcepta constituunt, sed oleo [b] exultationis, & fidei puritate. Neq; carnis, & sanguinis victimas immolauerit, & brutorum sanguinem animalium dextera susceperit: sed pane & vino, simplici puroq; sacrificio, Christi dedicauerit sacerdotium. Nec tamen credendum est, quòd iste Melchisedech, sine patre aut sine matre esset, cùm Christus quoq; secundùm vtramq; naturam, & patrem habeat & matrem: sed quòd subitò introducatur in Genesi, occurrisse Abrahæ à cæde hostium reuertenti, & nec antea, nec postea huius nomen, vel genealogia inueniatur scriptum. Affirmat autem huius exemplo Apostolus, quòd sacerdotium Aaron, id est, populi Iudæorum, & principium habuerit & finem: Melchisedech autem, id est, Christi sacerdotium, & in præteritum, & in futurum æternum sit. Hic verò Melchisedech, interpretatur rex iustitiæ. Quis est verus rex iustitiæ, nisi Dominus noster Iesus Christus? Deinde rex Salem, hoc est, rex pacis: quod pertinet ad Christum. Iste namq; nos efficit, pacificans omnia, quæ in cælis sunt, & quæ in terris, qui solus rex iustitiæ, & pacis, Dominus noster Iesus Christus, qui secundùm diuinitatem sine initio, sine fine, rex est sempiternus, ex æterno patre æternus, quamuìs ex temporali matre temporalis esset: sicut enim istius Melchisedech non legimus initium vel finem in Scriptura sancta, propter quod non est scriptum: sic non nouimus filij Dei initium vel finem, quia non habet. Et in hoc est similitudo, quòd nec illius, nec istius initium vel finis legatur: Illius quidem, quia non est scriptum: istius autem, quia omninò non est. Hucusq; Ambrosius. [c] Quintò, excellebat Melchisedech dignitate sacerdotij, quo non solùm Moysen & Aaronem (vt iam dictum est) superabat, sed etiam Abrahamum, ex quo tamen benedictio populi Dei promanabat: Dupliciter autẽ sacerdotiũ respectu Abrahæ contestabatur Melchisedech: Primò, quia ei benedixit, quatenus erat sacerdos Dei altissimi, non solùm officio, sed genere, vt antea & post

Ambr: sup hunc locum.

a Ordo Melchisedech quid.

b Psalm. 44. v. 8.

c Melchisedech in quo maior Abrahamo.

ipse Apostolus ex Psalm: 2. & 109. comprobat. Ideò addit Apostolus: Minor enim à maiore benedicitur. [a] Ritum autem benedictionis in pane & vino, reticet Apostolus, primò, quia hoc Hebræi ex textu nō negabant: Deinde, quia propositum erat Apostolo describere sacerdotium Christi, quod in cælis pro nobis exercet: id verò, quod sacerdotes visibiliter in typo, in panis & vini speciebus, repræsentant, minus tunc pertinebat ad scopum Apostoli. Verè enim Christus est sacerdos, alij ministri vnius & eiusdem oblationis reputantur, vt infra clariùs patebit.

[a] Oblationem panis & vini cur reticet Apostolus.

Cap. XI. Sextò, Apostolus ostendit sacerdotium Christi eminere sacerdotio legali seu Leuitico. [b] Primò, quia sacerdotium illud referebatur ad explendas benedictiones, Abrahę & semini eius promissas. Iam verò, ipse Abraham tanquā minor, accipit benedictionem à Melchisedech, Christi sacerdotium referente. Secundò, quia Leuitarum secerdotium eminebat reliquo populo, in eo quoque, quòd Decimas illis necessitate legali exhibebat. Melchisedech autem, in persona Christi, ne dum à populo, sed etiam ab ipso eorum Patriarcha decimas percipiebat. Tertiò, quòd non solùm popularis posteritas Abrahæ, sed etiam Leuitæ ipsi, in lumbis adhuc Abrahæ existentes, eodem iure, quo pater eorum Abraham, non fuissent à decimatione ipsa Melchisedech exempti. Quartò, quòd ius decimarum Leuiticarum erat temporale, donec singuli viuerent: ius verò sacerdotij Melchisedech, est perpetuum ac indeficiens, cùm ipse extra eorum, imò & humanam genealogiam positus, viuere nō desinat. [c] Confirmat adhuc Apostolus superiores assertiones. Quia, si Leuiticū sacerdotium, sub quo populus legem accepit, fuisset sufficiens ad salutē, in Abraham repromissam:
quid adhuc fuit necessarium, secundùm ordinem Melchisedech, alium
surgere sacerdotem, & non secundùm Aaron dici? Translato enim
sacerdotio, necesse est, vt translatio legis fiat. Cuius consequentiæ ra-
I. tio prima est: quia Dominus noster, non prodijt ex tribu Leui, cui sa-
II. cerdotium legale annexum foret, sed ex tribu Iuda. Deinde, quòd
sacerdotium perfectum, & ad salutem efficax, statuebatur, nō secun-
dùm legem carnalem, sed quæ esset vitæ insolubilis atque æterna.
III. Tertiò, quòd, sicut lex, sic sacerdotium illud carnalle ac temporale, ni-
hil ad perfectum reduxerit, ad explendas promissiones benedictionis.
IIII. Quartò, quia sacerdotium Melchisedech, nō nuda institutione quasi ad
tempus, vt Leuiticum, sed iureiurando, tanquā firmissima apud Deum
V. asseueratione, in æternū fuerit stabilitum. Quintò, quia legales sacer-
dotes oportebat esse plures, quòd essent mortales: Hic autem (id est
Christus) quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotiū:

[b] Benedictionis & decimarū prerogatiua in sacerdotio Melchisedech.

[c] Sacrificii Leuitici insufficientia, vt aliud succederet.

vnde

vnde & saluare in perpetuum potest, accedens per seipsum ad Deū,
semper viuens ad interpellandum pro nobis. Sextò, quia legalis ex- VI.
piatio imperfecta esset, eò, quòd Pontifex ipsemet peccato subiectus,
habebat necessitatem, primò pro suis delictis hostias offerre, deinde
pro populi: Christus autem, in æternum iureiurando firmatus est
Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus,
& ipsis cælis excelsior factus.

Cap. XII. Exinde [a] Cap. 8. Apostolus recapitulando, quæ antehac dicta sunt, & concludendo asserit [b] Nouam legem habere nouum Pontificem Iesum, iuxta ordinem Melchisedech, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cælis, Sanctorū minister, & tabernaculi veri, quod fixit Deus, & non homo, id est, [c] Aduocatus, & interpellator noster, qui ostendendo Deo Patri vulnera sua, sanctos, id est, fideles suos relabentes, eidem reconciliat, & sic, vt promisit, [d] parat nobis locum in tabernaculo illo cælesti, vbi mansiones multæ sunt, pro beneplacito eius, & meritis singulorum sanctorum recipiendæ. [e] Quamuìs autem tam eminens est eius sacerdotium, cælos etiam superans, nihilominùs retinet proprietatem officij sacerdotalis, vt necesse habeat & ipse quod offerat: non vtique hostias vmbratiles, quas Leuitę in terra offerebant, ad exemplar cælestium, sicut Moyses edoctus erat: sed eam ipsam viuam hostiam cælestem, & prototypam, qua (vt suprà dixerat) ipse Pontifex per seipsum accedit ad Deum, pro nobis perpetuus interpellator. Hoc autem sacerdotium, simul cum lege noua, successisse sacerdotio & legi antiquæ, probat idem Apostolus, eiusdem ipsius legis & Prophetarum clarissimis testimonijs, quæ in textu habentur.

[a] Capitis Octaui expositio.

[b] Sacerdotium Christi iuxta ordinem Melchisedech quale.

[c] 1. Ioan: 1. v. 1.

[d] Ioan: 14. v. 1.

[e] Christus offert seipsum pro nobis Deo Patri.

Cap. XIII. Porro Cap. [f] Nono Apostolus, quod superius in genere faciebat, nunc in particulari, cōfert ritus sacerdotij legalis, cum sacerdotio nouo Christi. [g] Et primum fatetur, Testamentum illud vetus habuisse quidem etiam iustificationes culturæ, hoc est expiationes per summum cultum Diuini numinis: habuisse & sanctum sæculare, hoc est, ad quod nō solùm sacerdotibus, sed etiam populo, propter quotidianas necessitates, pateret accessus. Quod statim, per particulā (enim) clariùs explicat: nimirum in templo Salomonis fuisse duo distincta tabernacula. Primum quidem dicebatur Sancta, in quo erant candelabra, & mensa, & propositio panum. Post velamentum autem, id est, locum pariete separatum (quod [h] moriente Christo scissum est) fuisse secundum tabernaculum, quod dicebatur Sancta Sanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro: in qua vrna aurea, hâbens manna, & virga Aaron,

[f] Exponitur Caput Nonum.

[g] Tabernaculum duplex veteris legis & quæ continebat.

[h] Matt: 27. v. 51.

quæ

quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti. Superq; eam erant Cherubin gloriæ, obumbrantia Propitiatorium. His ita compoſitis: in priori quidem tabernaculo, ſemper introibant ſacerdotes, ſacrificiorum officia conſumantes: in ſecundo autẽ, ſemel in anno ſolus Pontifex, non ſine ſanguine, quẽ offerret pro ſua & populi ignorantia, Hoc ſignificante Spiritu ſancto, nōdum propalatam fuiſſe ſanctorum viam adhuc priore tabernaculo habente ſtatum. Quæ parabola eſt temporis inſtantis, iuxta quam munera hoſtia offeruntur, quæ non poſſunt iuxta conſcientiam perfectam facere ſeruientẽ ſolummodò in cibis & potibus, & in varijs baptiſmatibus & iuſtitijs carnis, vſq; ad tempus correctionis impoſitis, Hucuſq; verba Apoſtoli. [a] Quibus ꝓbat inſufficientiā redemptionis, quæ fiebat in vtroq; tabernaculo. Si enim expiatio illa præcipua & annua interioris tabernaculi ſufficientem redemptionem contuliſſet: quorſum Iudæi ad illud vſque tempus Euangelij, conſeruabant prioris etiam tabernaculi varias purificationes, carni potius ſeruientes, quæ ſpiritualem emundationem nequaquam efficere poſſent: ſed tantummodò ad tempus inſtitutæ eſſent, donec per veritatem legis nouæ corrigerentur? Ideò ſubiungit Apoſtolus verba ſequentia: [b] Chriſtus autem aſsiſtens Pontifex futurorum bonorum (id eſt per gratiam in gloria conſumandorum) peramplius & perfectius tabernaculum, non manufactum, id eſt, non huius creationis, (hoc eſt per corpus ſuum diuinitati copulatum) neq; per ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem (Diuinum vt patet [c] Act. 20. ℣. 28) introiuit ſemel in ſancta (hoc eſt in cæleſtem gloriam) æterna redemptione inuenta. Hæc autẽ inuentio redemptionis æternæ deſcribitur Apo. 5. [d] quādo nemo poterat, neq; in cælo, neq; in terra, neq; ſubtus terram, aperire librum, nec videre eum, & ſoluere ſeptem ſignacula eius, niſi Leo & victor ille de tribu Iuda radix Dauid, idem & ipſe agnus tanquam occiſus, qui eſt Chriſtus: Quem proinde excipiebant tales cæleſtes beatorum voces. Dignus es Domine accipere librū, & aperire ſignacula eius: quoniā occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & feciſti nos Deo noſtro regnum. Hæc ibi. In verbis autem ſuprapoſitis vtitur Apoſtolus argumento à minori ad maius: Si enim ſanguis animalium occiſorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ab emundatione carnis: quantò magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit (nota [e] Chriſtum eſſe Sacerdotẽ & hoſtiam ſimul) immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, (id eſt à peccato, quod lex arguebat non tollebat) ad ſerui-

a Tabernaculorum legalium ad veram expiationem inſufficiẽtia.

b Chriſtus ꝑ ſuū ſacerdotiū quomodo exegit redemptionem.

c Actor: 20. v. 28.

d Apoc: 5. verſ. 4.

e Chriſtus ſimul ſacerdos & hoſtia.

endum

endum Deo viuenti? (per legem nouam viuificæ charitatis) [a] Deinde docet S. Paulus, talem redemptionem ſufficientem, indiguiſſe profuſione ſanguinis, & ipſa morte. Siquidem Chriſtus eſt mediator noui teſtamenti: Teſtamentum autem non fit validum, niſi intercedente morte teſtatoris ad percipiendam hæreditatem: ſicut & prius illud quamuìs ænigmaticum, non erat ſine effuſione ſanguinis in morte animalium: nec omninò ſine ſanguinis effuſione erat remiſsio. Vnde in aſperſione libri, populi, & vaſorum miniſterij, illa formula erat per Moyſen præſcripta: Hic ſanguis teſtamenti, quod mandauit ad vos Deus. [b] Neceſſe eſt ergo (ſubijcit Apoſtolus) exemplaria quidem cæleſtium his mundari, ipſa autem cæleſtia melioribꝰ hoſtijs, quàm iſtis. Non enim in manufacta Sancta Ieſus introiuit exemplaria verorum: ſed in ipſum cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Neq; vt ſæpe offerat ſemetipſum, quemadmodum Pontifex intrat in ſancta per ſingulos anños in ſanguine alieno. (alioqui oportebat eum frequẽter pati ab origine mundi) Nunc autem ſemel in conſumatione ſæculorum, ad deſtitutionem peccati, per hoſtiam ſuam apparuit. Et quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem iudicium: ſic & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhauriendа peccata, ſecundò ſine peccato apparebit expectantibus ſe, in ſalutem. [c] Qua doctrina Apoſtoli luce clariùs [d] oſtenditur, expiationem illam, quæ per Pontificem legalem ſemel fiebat in anno, ad Sancta ſanctorū, per alienū ſanguinem, fuiſſe datam in typum redemptionis veræ & perfectæ ac ſufficienti per Chriſtum, quam ille quidem ſemel in vita, ſicut legalis ſacerdos ſemel in anno, exegit profuſione proprij ſanguinis & morte ipſa, qua ſacerdotium Aaronicum concluſit, & conſumauit: id autem ad multorum peccata exhaurienda: quod verbum, ſignat ipſum fontem peccati, nimirum originalis, ſimul & actualium ante baptiſmum commiſſorum, quæ [e] alibi idem Apoſtolus vocat præcedentia delicta, ſiquidem ea, veluti rapidiſsimo torrente profuſionis ſanguinis & aquæ, (vt atteſtatur [f] Ezechiel) ex latere manantis, tollit & abſumit paſsio Chriſti, toti etiam mundo ſufficientiſsima, fide & baptiſmo applicata. Sed quia [g] vita hominis, etiam ſpiritualiter renati, eſt [g] tentatio ſuper terram, & ſepties etiam in die cadit iuſtus, & rurſus reſurgit, cùm ex ſeipſo quidem cadere poſsit, ſed reſurgere non poſsit: ad eam neceſsitatem perficiendæ eiuſdem redemptionis, Chriſtus Dominus gerit aliud, & quidem æternum ſacerdotium, ſecundùm ordinem Melchiſedech, ſecundùm quod ſemel, videlicet in ſua Aſcenſione glorioſa, introiuit in ſancta, non amplius terrena, & exemplaria, ſed ad ipſa prototypa, & cæleſtia, hoc eſt, in

a Redemptionē perfecit Chriſtus teſtamento, ſanguine & morte propria firmato.

b Sāguinis Chriſti profuſio ſempꝫ efficax, quia ipſe æternus.

c Sacrificij Chriſti cruenti & incruenti diſcrimē & ratio.

d Capitis noni Epiſtolę ad Hebræos ſenſus ad mentē Apoſtoli.

e Rom: 3. v. 25.

f Eſech: 47. v. 3. 1. Ioan: 2. v. 2.

g Iob. 7. verſ. 1. Prou: 24. v. 16.

cælum

a Hebr: 8: v. 3.

b Ioan: 14. v. 2.

cælum ipsum, ad dexteram Dei Patris, idq; per suam suipsius hostiā (existens enim sacerdos, [a] necesse est, vt habeat quod offerat) ad apparendū vultui Dei, (hoc est, ob reincidentes reatus nostros) ad interpellandum pro nobis: vt sit semper ipse ꝑpitiatio nostra, [b] ad parandum nobis locum, in domo Patris sui, vbi mansiones multæ sunt.

Cap. XV.

c Origenes hom: 1. in Leuiticum.

d Hebr: 10. v. 20. & cap. 9. v. 11.

Hanc expositionem, quam nobis sacer ipse contextus suggessit, inueni postea ad amussim apud [c] Origenem sic scribentem: Vis scire, quia duplex hostia in Christo fuit, conueniens terrestribus, & apta cælestibus? Apostolus ad Hebręos scribens dicit: [d] Per velamē, id est, carnem suam. Et iterum, interius velamen, interpretatur cælū, quod penetrauit Iesus, vt assistat nunc vultui Dei ꝓ nobis, semper (inquit) ad interpellandum pro his. Si ergo duo intelliguntur velamina, quæ veluti Pontifex ingressus est Iesus, consequenter & sacrificium duplex intelligendum est, per quod & cælestia saluauerit, & terrestria. Hæc ille. Quem sensum ipsa etiam Græca dialecto optimè distinxit sacer scriptor. [e] Quando enim statim post sequitur de cruenta illa per mortem suam peccati expiatione, vtitur verbo ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας, quod sonat (vt habet vulgata) peccatum exhaurire, vel (vt communiter exponitur) tollere. Hic autem, quando sermo est de culpis quotidianis, ad certamen & coronam post baptismum relictis, perpetuo ac iugi sacrificio suipsius, per sacerdotē eundē identidem emundandis, (quandoquidem nihil [f] coinquinatū in cæleste tabernaculum admittitur) ponitur εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας, ad peccati (vt vertit Latinus interpres) destitutionem: Lexicon autem Græcum Geneuæ 1583. excussum, citans hunc ipsum Pauli locum, vertit abrogationem, vel abdicationem. Et sic illud primum, sonat peccati ex ipso fonte vel radice sublationem: posterius autem, non tàm ex habitu, quàm ex actu emundationem, & emendationem. Et quia, secundùm eundem Apostolum, remissio non fit sine sanguine: non habet necesse [g] Sacerdos noster denuò vel sępius fundere sanguinem, & mortem oppetere, siquidem nec renati per baptismum, suo relapsu, possunt reincidere in culpam originalem, semel sublatam. Ne tamen remissio, succedentium etiam baptismo peccatorū, sine sanguine fieret, idem ipse sanguis, in passione profusus, retinet vigorē propitiationis, quando Christus, tanquam Sacerdos in æternū, secundùm ordinem Melchisedech, quāuis viuus, impassibilis, & gloriosus, vulnera intulit cælo, quibus incruento quidem seu impassibili modo, redemptionem humanam, vsq; ad extremum iudicij diem continuat. [h] Ne autem aduersarijs mirum, vel etiam cum illis [i] Capharnaitis, durum esse videatur, in Christo viuo & glorioso, sanguinis operationem nō desinere: conside-

e Peccatorū ante & post baptismū expiatio diuersa per Christum.

f Apoc: 21. v. 27.

g Sanguis Christi quomodo in sacrificio Melchisedech sine profusione efficax.

h Hostiæ incruētę ratio in Christo. Ioā: 6. v. 52. & 60.

i Lucæ 22. v. 44. Marci 15. v. 39.

Lucæ 24. ver. 39. Ioan: 20. v. 27.

considerent corpus illud, necdum externè læsum, sanguinem copiosum sudasse, & in cruce clamore valido vitam deseruisse potiùs, quàm vita defecisse: vt exinde homo gentilis, fidē Diuinitatis rectè conijceret. Expendant, quomodo etiā in corpore illo viuo, impassibili iam, & glorioso, quod viuas etiam animales operationes in terra exercebat, manserunt tamē vulnera lateris, manuum & pedum, adeò vera, vt manui, & digito Thomæ, tunc increduli, ab ipso Dn̄o peruia esse censerentur. Ne autē cōiecturas nudas, & nouas inducere videamur, audiamus Apostolum nostrum, idipsum satis insinuantem: quando infrà, in hac ipsa Epistola, eos qui Christiani facti, legalia tamen æmulabantur, ad cælestium desiderium sic erigit: [a] Accessistis, inquit, ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis: & iudicem omnium Deum, & spiritus iustorum perfectorum: & testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem, meliùs loquentem quàm Abel, hoc est supra sanguinem Abelis, vt Græca sonant, & ipsa verba ex Gen. cap. 4. adducta testantur.

a Hebr: 12. v. 22.

Cap. XVI.

b Sanguis innocenter occisorū post mortē sæpè viuit.

[b] Notissimum est tùm ex antiquorum testimoniis, tùm recentiori experientia, nō infrequenti, ad cadauera etiam putrida, præsertim innocenter occisa, homicidas, quamùis occultissimos perductos, ebullitione recentissimi sanguinis fuisse proditos. [c] Quod etiam in corporibus sanctorum Martyrum, pluribus post seculis adinuentis, comprobatum legimus, & in ampulla sanguinis S. Ianuarii Martyris, ad associationem capitis sui ebullientis, identidem comprobatur. [d] Eam ad rem accommodari potest historia illa miraculosa apud D. Hieronymum, de muliere, adulterii insimulata, quæ à carnifice septies icta, tandem ex lethali vulnere reuixit. [e] Eius rei rationem Physicam conati sunt æthnici Philosophi reddere: sed in vanum prorsus: nisi fide resurrectionis instructi, illud philosophicum axioma deserere velint: A priuatione, ad habitum non datur regressus. Propiùs ad eam accedere visus est Diuinus [f] Plato, sic scribens: Dicitur, quòd violenter interfectus in libera audacia viuat, & recens interfectus, in percussorem suū grassetur, [g] & cùm ipse metu, & pauore, propter violentam calamitatem impletus sit, etiam percussorē suum, in consuetis suis locis agentem, pauore implet, & territus ipse, percussorem suum etiam terret, quanta potest vi, cùm eum in memoria habet cum suis facinoribus. Propterea necessarium est, vt interfector subducat se interfecto, per omnia totius anni tempora, & totius patriæ consueta loca vitet. Hæc ille. Veram igitur eius rei causam (saluo doctiorum iudicio) dixerim, passim quidem in genere humano, de-

c Vide in vita S. Ianuarij. 19. Sept. Et in vita SS. Nasarij, Celsi. 29. Iulij.

d Hiero. Epist. 49. ad Innocentium.

e De hac ratione vide Commētatorem Lucretij lib: 5.

f Plato lib: 8. de legibus:

g Homicidij præsertim innocentis mira vindicatio:

no, dependere à ſuo prototypo ſeu conditore Deo, cuius imago, & ſpiraculum, hoc eſt, anima rationalis (ipſo interdum ſic diſponente) ſuam à corpore ad tempus ſeparationem, præſertim violentam, occulto ac veluti ſpirituali indicio prodit, & quaſi vindicat. In martyribus autem, vel alijs Deo electis, vbi talia, & magis ſtupenda, & frequentiora cernuntur, cauſa referenda erit ad caput illorũ Chriſtũ, [a] qui eſt Deus viuorum & mortuorum: & in hoc mortuus eſt, & reſurrexit, vt viuorum & mortuorum dominetur: qui iurè etiam dicitur, primogenitus mortuorum. Sicut enim ſecundùm Diuinitatẽ, dicitur ſemper eſſe natus ex Deo Patre: ſic ſecundùm humanitatem (reſpectu ſacerdotij æterni, [b] iuxta ordinem Melchiſedech, quo, vulneribus cælo illatis, Patrẽ nobis ſubinde reddit propitiũ, viuus, quãuis & glorioſus) dici poteſt ſemper oblatus, & quod inde conſequitur, paſſus & mortuus. Quod & Apoſtolus in hac ipſa [c] Epiſtola innuit, quando ſcribit, quòd Abel, quamuis defunctus, tamen per hoſtiam (ſemel oblatam, magis autem ſuiipſius) etiamnũ loquatur. Præclarè [d] Clemens Alexandrinus: Quod (inquit) ſanguis ſit verbũ, Abel iuſti ſanguis ſit teſtimonium, qui Deum interpellat. Sanguis enim vocem nunquam emittit, niſi ſanguis verbũ intelligatur. Vet⁹ enim iuſtus, typus eſt noui iuſti: Et ſanguis vetus, qui interpellat, pro nouo ſanguine interpellat. Deum autem alloquitur ſanguis, qui eſt verbum, quoniam ſignificauit verbum, qui erat paſſurus. Clarius autem [e] Rupertus idem myſterium ſic expendit. Hæc terra, cùm ſit rationalis, tantò præſtantior eſt terrà inanimata & inſenſibili, quantò ſanguis huius Abel, quem ſuſcepit, aperiens os ſuum in voce exultationis & confeſsionis, meliùs clamat, quàm ſanguis illius Abel clamare potuerit: ſicut Apoſtolus idem, qui ſuprà, dicit: Sed acceſsiſtis, inquit, ad noui teſtamenti mediatorẽ Ieſum, & ſanguinis aſperſionem, multò meliùs clamantem, quâm Abel. Nam ille ſanguis clamando, vnius tantùm hominis nefariũ ſcelus accuſabat, & ſi (quod verum eſt) alium futurum annunciabat, ſoli Deo adhuc audibilis vel intelligibilis erat: hic autem, ex ore terræ fidelis, quæ ſumus nos, pro omni mundo interpellat, & vniuerſorum peccata excuſat, ipſos quoq; qui fuderunt illum, ad pœnitentiam inuitat, impœnitentibus futurum iudicium palam annunciat. Hæc ille. Eodem ſpectat illa Viſio [f] Danielis, ſic dicentis: Aſpiciebam in viſione noctis, & ecce cum nubibus cæli, quaſi filius hominis veniebat, & vſq; ad antiquũ dierum peruenit, & in conſpectu eius obtulerunt eum. Vbi de Chriſto iam glorioſo & triumphante ſermonem eſſe, verba ſequentia ſatis explicant. Huic intelligentiæ conſonat etiam ſimilis Prophetia,

Cap. XVII.

a Matth: 22. v. 32. Rom: 14. verſ. 9. Coloſ. 1. v. 18. Apoc: 1. v. 5.

b Christus ſicut vt Deus ſemper natus: ſic vt Deus ſimul & homo ſemper oblat⁹ & mortuus.

c Hebr: 11. v. 4.

d Clemens Alexand: Pædag: lib. 1. cap. 6.

e Rupertus in Geneſ. lib. 4. c. 6.

f Daniel. 7. v. 13.

[a] Zach. capit. 3. & 13. Eo ſenſu intelligendus eſt etiam S. [b] Gregorius ſic inquiens: Singulariter namq; ad abſolutionem noſtram, oblata cum lachrymis, & benignitate mentis, ſacri altaris hoſtia ſuffragatur. Quia is, qui in ſe reſurgens à mortuis, iam non moritur, adhuc per hanc, in ſuo myſterio, pro nobis iterum patitur. Nam quoties ei hoſtiam ſuæ paſsionis offerimus, toties nobis ad abſolutionem noſtram, paſsionem illius reparamus. Hæc ille. Notandum autem S. Paulum dicere, ſanguinem Chriſti, non clamare (vtiq; vindictam) ſicut ſanguinem Abelis, & aliorum martyrum Apoc. 6. [c] Sed meliùs loqui, quàm ſanguinem Abel, hoc eſt, vindictam potiùs ex peccatoribus deprecari: quod facit multò meliùs, quàm Abel, quando etiam mortalis pro crucifixoribus ſic exorabat: Pater, ignoſce illis: neſciunt enim quid faciunt. In hanc ſententiam ſic quoq; [d] Auguſtinus: Quid reuerentiùs, inquit, quid honorabiliùs dici poteſt, quàm ſub illa ara requieſcere, in qua Deo ſacrificium celebratur, in qua offeruntur hoſtiæ, in qua Dominus eſt ſacerdos, ſicut ſcriptum eſt: Tu es ſacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech. Rectè ſub [e] altario, iuſtorum animæ requieſcunt, quia ſuper altare corpus Domini offertur. Nec immeritò illic iuſti vindictam ſanguinis poſtulant, vbi etiam pro peccatoribus Chriſti ſanguis effunditur. Idem alibi [f] iſtum ſenſum ad ipſam Euchariſtiam ſic accommodat: Habet, inquit, magnam vocem Chriſti ſanguis in terra, cùm eo accepto, ab omnibus gentibus reſpondetur, Amen. Hæc eſt clara vox ſanguinis, quam ſanguis ipſe exprimit, ex ore fidelium, eodem ſanguine redemptorum. Sic Auguſtinus. Hoc eſt illud Altare aureum ante thronum Dei, à [g] Ioanne Apoſtolo viſum, ſuper quod Angeli, thuribulo aureo, deferunt orationes ſanctorum, à Deo acceptatas, non per alium vtiq;, niſi (vt ſuprà dixerat) per Ieſum Pontificem cęleſtem, qui ad dexteram Dei Patris, perpetuus pro nobis aſsidet interpellator. Quod antiquiſsimus [h] Irenæus atteſtatur his verbis: Sicut idipſum verbum (filius Dei) dedit populo præceptum faciendarũ oblationum, quamuis non indigeret eis, vt diſceret Deo ſeruire: Sic, & ideò nos quoq; offerre vult munus ad altare frequenter, ſine intermiſsione. [i] Eſt enim altare in cælis. Illuc enim preces veſtræ, & oblationes noſtræ diriguntur: & ad templum: quemadmodum Ioannes in Apocalypſi ait: Et apertum eſt templum Dei, & tabernaculum. Ecce enim, inquit, tabernaculum Dei, in quo habitabit cum hominibus. Hæc Irenæus. Iſtam exactiſsimam Chriſti Pontificis cæleſtis expiationem, poſtquam ſic explicaſſet Apoſtolus, ponit epilogũ, quòd alia, præter iſtam, redemptio non ſit ampliùs axpectanda. Sed

a Zach: 3. v. 9. & cap. 13. v. 6.

b Gregorius homel: 37. in Euang. Et lib. 4. Dialog. cap. 8.

c Apoc: 6. v. 9. 4. Eſdræ 15. v. 8.

d Auguſt: Ser: 4. de Innocentibus. Idem cõtra Fauſtum lib. 12. ca. 10.

e Apoc: 6. v. 9.

f Auguſt: contra Fauſtum lib. 12. cap. 10.

g Apoc: 8. v. 3.

h Altare eſt in cælis. Irenæus lib. 4. cõtra hæreſes ca. 43. Auguſt: hom. 50. cap. 4.

i Apoc: 6. verſ. 9. & 8. v. 3. & 11. v. 19. & 21. v. 3.

quemadmodum homini statutum est semel mori, & exinde mercedem æternam, bonam vel malam referre: sic Christi vnica ista, per vnicam etiam mortem, viua tamen, propitiatio, sufficiens esse debet, vel vtentibus illa ad vitam, vel abutentibus ad mortem sempiternã.

a Caput decimũ expenditur.

Cap. xviij.

a Postremò, Apostolus Cap. decimo, superiores suas assertiones recolligit: nimirum impossibile fuisse animaliũ sanguine redemptionẽ humanam parari, & quidem cultu, qui tantùm temporalis esset, & vmbraticus. Quod comprobat duplici authoritate scripturæ sacræ. Primò, quando attestante Spiritu sancto per Dauidem, filius Dei veniens in mundum, per carnis assumptionẽ, loquitur ad Patrẽ: b Hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: Holocaustamenta, & pro peccato, non tibi placuerunt. Tunc dixi: ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt faciam Deus voluntatem tuam. Quod Apostolus in eum sensum deriuat, ac si Christus apertiùs diceret: Quandoquidem nullum genus oblationum legalium, tibi (ô Deus Pater) ad satisfactionem pro culpa generis humani sufficiebat, corpus (eiusdem vtiq; naturæ, quæ damnatione peccati infecta erat) aptasti mihi, hoc est, mirabili vtriusq; naturæ vnione hypostatica, absq; aliquo vitij contactu sic accommodasti, vt & mediatoris officium exigeret, & morte vitam acquireret. Quod ita de me scriptum est in capite libri, hoc est: iste erat scopus legis, & prophetarũ, & ipsum nouæ legis Euangelium contestatur: me Verbum à principio, & ipsũ Deum, factum esse carnem, ad veram habitationem, seu commercium cum hominibus perficiendum. Et hoc quidem tuum beneplacitum, ego factus obediens ad mortem Crucis, lubens acceptaui, & propterea veni in mundnm. Quod instante passione satis contestat9 est Christus, quando dicebat c Venit Princeps mũdi huius, & in me non habet quicquã. Sed vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite eamus hinc, hoc est, ad locum passionis. Et quando in ipsius iam agonis initio sic exorabat: d Pater, si calix iste non potest transire à me, non mea, sed tua voluntas fiat. Quòd autem vulgata versio habet loco verborum, Corpus aptasti mihi, (aures perfecisti mihi) non à proposito est: quia sicut Incarnationis filij Dei, causa ex parte Dei est beneplacitum, & voluntas Dei, sic ex parte Mariæ erat fides, & obedientia, quando suprà assertionem Angelicã, & captũ naturæ excedentẽ, dixit, d Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum: vt propterea priùs verbum illud ęternũ, mente quàm ventre concepisse reputetur. e Huic Prophetiæ Dauidicæ correspondent & illa, quando ipsemet pro grauissimis suis delictis confugiebat ad misericordiam Dei magnam,

b Psalm: 39. v. 7. Sacrificiũ noluisti corpus autem aptasti mihi exponitur. August: de Ciuit: lib: 17. cap. 20. Euseb: Cęsar: Demonstr: Euangel: lib. 1. cap. 10. Chrysost: Quod Christ9 est Deus.

c Ioan: 14. v. 31.

d Matth: 26. v. 39.

d Lucæ 1. v. 38.

e Dauid perfecta legis nouæ expi-

ationi deprecatur. Psalm. 50. v. 2. & sequent.

nam, & multitudinem miserationum suarum, vt amplius lauaretur ab iniquitate sua. Sentiens proculdubiò, non sufficere sibi ad perfectam peccati remissionem, legales illas & vmbraticas expiationes: sed confugiendum sibi ad nouã aram misericordiæ, in redemptione Messiæ promissam, vt huius præsidio ampliùs lauaretur ab iniustitia sua, & mundaretur à peccato suo: & principaliter quidem ab illo radicali, in quo concepisset illum mater sua. Quod sequentibus verbis magis declarat, quando per delectabilem quendam auditum, hoc est fidei, lætitiam etiam salutaris seu Saluatoris sui, hoc est Messiæ incarnati, (de qua etiam a Abrahã pater sui generis & fidei gauisus esset) exposcit. Adijciens etiam, modum redemptionis istius futurum esse, per noui (vetere abrogato) sacrificij institutionem, vt superiùs explicuimus. b Hæc comprobando, repetit quoq; Apostolus suas sæpè iam dictas conclusiones: Christum obtulissè quidem seipsum modo cruento & passibili, secundùm ritum Aaron semel: eundem tamen seipsum manere sacerdotem æternum, secundùm ordinem Melchisedech: qui non ampliùs varias numero & tempore hostias, sed per velamen carnis suæ, vnicam nouam, & viuentem hostiam, pro peccatis nostris, nobis initiando (nota hoc verbum postea explicandum) in sempiternum sedet in dextera Dei, de cætero expectans (sicut Prophetia c Dauidis determinat) donec ponantur inimici eius scabellum pedum illius. Vna enim oblatione, consummauit in sempiternum sanctificatos: intellige, non vno actu, & modo oblationis, [illegible]rum Aaronico in Cruce, vt aduersarij, contra tot distinctiones et [illegible]clarationes Apostoli, impiè detorquent: sed vna oblatione, seu vna & eadem hostia suipsius, Deo Patri pro peccatis in sempiternũ oblata, vt paulò superiùs disertè scribit Apostolus: d Quod B. Augustinus, ex Magistro suo S. Ambrosio, diuinè prorsus sic expressit: Quis tam iustus & sanctus sacerdos, quàm vnicus filius Dei, qui non opus haberet per sacrificium sua purgare peccata, nec originalia, nec ex humana vita, quæ adduntur? Et quid tàm congruenter ab hominibus sumeretur, quod pro eis offerretur, quàm humana caro? Et quid tàm aptum huic immolationi, quàm caro mortalis? Et quid tàm mundum pro mundandis vitiis mortalium, quàm sine vlla contagione carnalis concupiscentiæ, caro nata in vtero, & ex carne virginali? Et quid tàm gratè offerri & suscipi posset, quàm caro sacrificij nostri, corpus effectum sacerdotis nostri? e Vt quoniam quatuor considerantur in omni sacrificio: cui offeratur: à quo offeratur: quid offeratur: pro quibus offeratur: idem vnus verusq; mediator, per sacrificium pacis reconcilians nos Deo, vnum cum illo maneret, cui

a Ioan: 8. v. 56.

Cap. XIX.

b Christus diuersi sacrificij vnica oblatione quomodo perfecit redemptionem:

c Psalm: 109. v. 8. 1. Cor: 15. v. 25.

d Christus vnus sacerdos vna oblatione, quomodo consummauit sanctificationem. August: lib. 4. de Trinit. cap. 14. Ambr: super Epistolam ad Hebr: cap. 8.

e Sacrificij omnes partes continet Christus.

 offerebat:

offerebat: vnum in se faceret, pro quibus offerebat: vnus ipse esset, qui offerebat, & quod offerebat. Sic ille. [a] Expendendum autem diligenter est verbum, ἐνεκαίνισεν, initiauit: Initiare enim est non solùm noua sacra instituere, sed magis propriè sacris aliquem imbuere. [b] Dedicatio quippe (secundùm [c] Ambrosium) dicitur initium vtendi. [d] Sic Plinius memorat Neronem Augustum, à quodam impostore, cœnis Magicis fuisse initiatum. Et apud B. Gregorium, grauem legimus querelam, quòd Iulianus Apostata, [e] impuro & nefario sanguine lauacrum extersisset, initiationi nostræ incruentæ Christi passionis illud opponens. Verissimè igitur Christus, ad sacerdotij sui æterni visibile ministerium, initiauit in vltima cœna Apostolos suos, eorumq; successores, quando dicebat: " Hoc facite in meam commemorationem, " vt suo loco explicabimus.

a Sacrificium nouæ legis quomodo initiauit Christus.
b Ambros: super hunc locum.
c Plinius lib. 30. hist: natur: cap. 2.
d Grego: Nasian: Oratione 3.

Cap. XX. Ex his, quæ hactenus dicta sunt, relinquitur nobis, propria cum aduersarijs quæstio. Dicent enim: Si Apostolus tam exactè (vt demonstratum est) descripsit sacerdotium Christi, secundùm ordinem Melchisedech, [e] cur oblationis panis & vini, vel alicuius externi ministerij seu sacrificij, de quo tota vertitur controuersia, nullam prorsus facit mentionem? Respondetur: Apostolum disputasse contra Iudæos baptizatos, hoc est, Circumcisionem, & legalia, cum Euangelio retinentes, non contra Gentiles baptizatos, quales sunt refugæ, vel filij subtractionis (vt eos paulò inferiùs [f] vocat Apostolus) hæretici: qui more Gentilium credunt, quæ vident, vel sentiunt: & sicut Iudæi duplicem aduentum Christi, sic ipsi duplex sacrificium, vel potiùs eius modum, non distinguunt. [g] Duo enim, Deus Pater, per Dauidem de sacrificio Melchisedech asseuerat: primò, quòd sit æternum: deinde quòd sit secundùm certum ritum & ordinem. Iudæis ergo sufficiebat, demonstrare sacrificium Melchisedech a Christo peractum, fuisse æternum, cui necessariò typicum ac temporale cedere debebat: Æternum autem cùm esset, requirebat quoq; hostiam æternam sibi proportionatam, quæ erat ipse Christus, agnus occisus ab origine mundi, officium istud suum, ad finem vsq; sæculorum continuaturus. [h] Translato igitur sacerdotio, legem quoq; " (qui scopus controuersiæ erat) transferri, & in nouam Euangelicam mu- " tari, consequens fuisse & necessarium. [i] Quam quidem legem nouã, si Iudæi argumentis Apostoli victi agnouissent, procul dubiò in cognoscendo quoq; nouo aliquo & externo visibili sacerdotio, simulq; sacrificio, minimè laborassent. Cùm nullus ab ipsò mundi exordio status hominũ extiterit, qui, natura ipsa duce, aliquod numen, eiusq; cultum, legem, sacrificium, & sacerdotium, non admiserit, vt inferiùs di-

e S. Paulus cur hîc reticet oblationem Christi in pane & vino.
f Hebr: 9. ver. 39.
h Sacrificiũ Christi nouum quale Hebræis ostendit Paulus.
h Hebr: 7. v. 12.
i Lex noua externa, externum requirit sacrificium & sacerdotiũ.

ùs dicetur. [a] Nam & ipsi, cum quibus nobis res est hæretici, sicut nouam legem admittunt, sic sacerdotij & sacrificij externi ritum, non prorsus excludunt, sed illud in professione fidei, inuocatione, oratione, gratiarumactione, cordis contritione, & similibus actibus collocant. Quæ, etiamsi largo modo, veluti per metaphoram, sacrificia dicantur, (vt sermone proximè sequenti copiosè comprobabimus) Tales tamen hostiæ, sunt vtriq; legi communes, temporales, ex actibus hominum fidelium emanantes, quorum ipsimet homines sacerdotes spirituales sunt: quales hostias [b] Apostolus in hac ipsa Epistola reputat, laudes diuinas, & eleemosynas. Sacrificium autem nouæ, & æternæ legi, conforme esse debet, quod etiam sit vniuersale [c] ex dono, quod optimum desursum accepimus, quod est ipse Dei filius, nobis natus, & nobis datus, qui ipse sibi, & hostia, & sacerdos est. [d] Dicendum ergo est, quòd quemadmodum interius

Cap. XXI. & obuelatum illud tabernaculum, eiusq; cultus, (vt sufficientissimè probauit Apostolus) designabat tabernaculũ ipsum cæleste, in quo Christus, tanquam æternus sacerdos, seipsum offert pro nobis hostiam viuam inuisibiliter: sic interius tabernaculum, sacerdotibus, & reliquo populo expositum, in quo quotidianæ fiebant expiationes, non inconuenienter (cùm, teste Apostolo, omnia ista sint exemplaria " verorum & futurorum bonorum) poterit nunc designare idem ip- " sum Christi sacerdotis sacrificium, sed modo externo & visibili, & quidem proprio ritu sacerdotij Melchisedech administratum. Quod vt meliùs intelligatur (imitando [d] Apostolum) sermonem istũ grandem, & interpretabilem ad dicendum, paulò altiùs prosequamur.

[f] Sciendum igitur est, quando Deus præcipiebat Moysi, vt tabernaculum & sanctuarium materiale & visibile in terra sibi prepararetur, ad exemplar illius, quod in monte & consortio siue visionis demonstratum sibi fuisset: non intelligendum est, demonstrata sibi fuisse ligna, metalla, pelles, & fabrilia instrumenta, secundùm quorum exemplar sanctuarium illud materiale & visibile construeretur: Sed Moysi [g] supra morem mortalium, Deum facie ad faciem contemplanti, demonstratum fuisse in filio Dei, agno ab origine mundi occiso, prototypon ipsum futuræ redemptionis humanæ: quod & ipse vicissim populo illi carnali, secundùm eius captum, vmbraticè, & in exemplari proponeret, donec in lege gratiæ, re ipsa & veritate exhiberetur. Hac ratione Apostolus, postquam singula & præcipua tabernaculi illius contenta enumerasset, propter similem Iudæorum incapacitatem de qua [h] initiò conquerebatur, ea non exponit: omnia tamen interpretabilia ijs, qui capere possent relinquens. Asserimus igi-

a Hæreticorũ sacrificia spiritualia & communia, nõ sufficiunt statui Euangelico.
b Hebr: 13. v. 15. & 16.
c Iacobi 1. v. 17. Isaiæ 9. vers. 6. Ioan: 3. ver. 16. & cap. 4. v. 10.
d Tabernaculi legalis vtriusque ad sacrificium nouæ legis accommodatio.
August: de verbis Domini Serm. 15. cap. 6.
Origenes in Exo: 18. homel: 9.
d Hebr: 9. v. 23. Hebr: 10. v. 1.
e Hebr: 5. v. 11.
f Tabernaculum interius seu Sancta Sãctorũ quod eiusq; cõtenta & significatio.
Exodi 25.
Hieronym. super Isai. 33.
Thom: 1. 2. quęst 102. ad art. 4.
g Exod. 33. v. 11.
h Hebr. 5. v. 12.

mus igitur, ex mente Orthodoxorum interpretum, quòd ea, quæ in tabernaculo interiori, sancta sanctorum dicto, enumerantur ab Apostolo, ad cæleste sanctuarium relata, conueniunt Christo redemptori, secundùm proprietatem eius personæ, in qua sacerdotium suum inuisibile exequitur. a Thuribulum namq; designat corpus Christi, quatenus Deo Patri offertur in odorem suauitatis: Aureum autem cùm esse additur, signat charitatem, quæ maximus erat humanæ redemptionis stimulus, iuxta illud: Fortis est, vt mors, dilectio. b Arca testamenti intra velum posita, intelligitur idem Christus, existens in tabernaculo non manufacto, sed quod Deus fixit non homo, id est, in cælo, vt ipse Apostolus exponit. Quatenus autem confecta est summo & cælesti artificio, ex lignis imputribilibus, foris & intus deaurata, intelligitur humanitas eius ex purissima virgine, operatione Spiritus S. assumpta, & propterea corruptioni peccati & mortalitatis minimè subiecta. c Porro manna, notat panem cælestem, quem seipsum Christus esse asseuerat, qui præbet perfectam in gloria refectionem & satietatem. Virga Aaron, insinuat Christi regnum crucis, & sacerdotium, in æternitate sua florentissimum, simul & fœcundissimum. d Deniq; tabulæ testamenti intra ipsam arcam, signant Christum sapientiam Dei & virtutem, qui per spiritum sanctū sponsæ suæ Ecclesiæ perpetuò assistit, ad eam erudiendam & gubernandam, scribendo legem ipsam in tabulis cordis suorum fidelium.

e Cæterùm prius & externum tabernaculum, ministerio sacerdotali & populari deputatum, quod Ecclesiam vel templum designat, dicitur habuisse primò candelabra. Quæ quatenus in Exodo describuntur fuisse septem ramorum, rectè exponi possunt septiformis gratia spiritus S. quæ per septem sacramenta tabarnaculum, quod dicitur sanctum, hoc est, Ecclesiam militantem sponsam Christi, sine ruga & macula reddit, & sanctificat. Quatenus autem eadem candelabra continebant lucernas, notant lumen fidei & ardorem charitatis, quorum vtrunq; potissimus est ad mensam Domini apparatus. f Porrò mensam Ezechiel & Malachias Propheta vocant Altare: & ipse Apostolus alio loco, quando sic scribit: Calix benedictionis, cui benedicimus, nonnè communicatio sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonnè participatio corporis Domini est? Quia vnus panis, & vnum corpus multi sumus, qui de vno pane participamus: Videte Israël secundum carnem: Nonnè qui edunt hostias, participes sunt altaris? Vbi g Apostolus calicem benedictionis vocat, præcipuè quidem, quòd inuisibili virtute Christi Pontificis cælestis, hæc sacramenta propriè benedicantur & conuertantur,

a Thuribulum aureum Orig: hom. 9. super Num.
Apoc. 3. v. 18.
Ephes. 4. v. 2.
Cant. 8: v. 6.
b Arca testamēti.
Hilarius super Psalm. 131.
Cyril. lib. 4. in Ioan. cap. 28.
Isychius sup. Leuit. 26.
Hebr. 8. v. 2.
c Manna & virga Aaron.
Ioan. 6. v. 32. & 49.
1. Cor. 10. v. 3.
Augu. Serm. 99 de Tempore.
d Tabulæ Decal.
Augu. in Exod. quæst. 116.
Greg. Nissænus de vita Moysis.
2. Cor. 3. v. 3.
e Tabernaculum anterius signat Ecclesiā visibilē.
Aug. quæst. 36. in Iudic.
Isychius super Leuit. 24.
Cyrill. lib. 4. in Ioan. cap. 28.
Candelabra.
f Mensa tabernaculi Altare.
Esech. 41. v. 22.
1. Cor. 10. v. 16.
Hieron. super Isa. 21.
g Calix in sacrificio nouæ legis, qualis.
Cap. XXII

tantur: secundariò autem, quòd eisdem hostijs sacerdotes offerentes, eadem virtute Christi ministerialiter benedicant, & eas conficiant. Hunc autem calicem, dicit esse, non participationē, sed communicationem sanguinis Christi: quia per eius oblationem, meritum mortis & passionis Christi, omnibus in vniuersum, & singulis fidelibus applicatur: a Deinde, per panis fractionem, intelligit, vsitata phrasi scripturæ, Eucharistiæ ipsius, tùm oblationem, tùm fidelibus distributionem: eò, quòd in pane, ex pluribus granis confecto, magis propriè symbolum charitatis & vnionis fidelium exprimatur. b Postea Apostolus, vsum legitimum, & participationem huius sacrificij nouæ legis, confert cum sacrificio, eiusq; vsu, primò quidem Iudæorum, deinde Gentilium: quòd illi quidem, quamùis typicas, veras tamen hostias ex altari edant: hi autem quamùis verè sacrificent, & sacrificijs participent, tamen reuerà sacrificia illa, eorumq; vsus, nihil sunt, cùm & idola ipsa, quibus offertur, nihil reputentur. Atq; inde quidem Apostolus, Idolothytorum quæstionem tunc propositam decidit, vt ibidem videre est. Nos autem, cum sacro c Concilio Tridentino, inde veritatem, tum sacrificij externi visibilis, tum eius veram & realem participationem adstruimus: maximè verò, quòd mensa illa anterioris tabernaculi, in qua perseuerabant panes propositionis, designat altare nouæ legis, eiusq; oblationem, & vsum. Sic & d Augustinus: Mensa, inquit, quam sacerdos noui testamenti exhibet, de corpore & sanguine suo est. Hæc ille. e Quod is ipse Apostolus, in eâdem Epistolâ ad Hebræos, expressius attestatur, sic scribens: Iesus Christus heri & hodie: ipse & in sæcula. Doctrinis varijs & peregrinis, nolite abduci. Optimum est enim gratia Dei stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Quibus verbis Iudæos repræhendit, quòd illi, imitantes patres suos in deserto, qui cibos carnales mannæ cælesti præponentes, puniti fuerunt, ipsi similiter eligunt potius escas carnales, diuersarum veterum oblationum, noua lege abolitarum: metuentes f cum illis Capharnaitis, ne fortè, in nouo sacrificio Euangelico, Christi carnem toties commedentes, cum sua nausea absumant. Cùm tamen Christus talis in hac oblatione proponatur, qui heri & hodie, hoc est, secundùm eundem Apostolum, g idem ipse spiritualiter quidem olim, à patribus legalibus, à nobis verò in veritate sacramentaliter, manducetur: & nunc veram quidē suam carnem in tempore assumptam, verè comedendam exhibeat: sed tamen ipse sit & in sæcula, hoc est, remanet in suâ hypostasi Deus, qui mutari, pati, vel absumi nullo modo potest, quin potius, si-

a Panis fractio quid in sacrificio.
b Sacrificij nouæ legis participatio perfectior legali & gentilica.
c Conciliū Tridentinum sessione. 22. Cap: 1.
d August. de ciuit: lib: 17. cap: 20.
e Altare seu Mēsa nouæ legis Christum æternum sumendū proponit. Hebr: 13. v. 9.
f Ioan: 6. v. 41. & 60.
g 1. Cor: 10. v. 3.

cut in vniformi doctrinâ Ecclesiæ suæ, sic in perpetua assistentia, & præsentia, in sacramento Eucharistiæ fidelibus suis assistat. [a] Hunc sensum respiciens Theophilactus, inquit: Quod ad quæstionem attinet: Postquam in multis locis offertur, mihi igitur Christi multi erunt? Nequaquam; sed vnus est vbiq;, & hîc plenus, & ibi plenus & perfectus, vnumq; corpus. Quemadmodum enim in multis locis, oblatus Christus vnum corpus est, & non multa corpora, sic & vnũ sacrificium. Nam illam hostiam offerimus, quæ tum est oblata. Illis autem alius erat, qui heri oblatus erat agnus fortassè, â victima, quæ hodie offertur, nec veluti commemoratio erat hesternæ oblationis, qui hodie offerebatur agnus: sed ipse per seipsum sacrificium perficiebat. Hæc ille. Eundem sensum, sequentia verba propriissimè ad rem nostram confirmant, quando additur: Habemus Altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt. [b] Quod enim Interpres noster vertit Altare, Græcè habetur θυσιαστήριον, hoc est, sacrificatorium. Quod & consequens contextus arguit: Iudæi namq; ex hostiis quidẽ exterioris tabernaculi edendo participabant, nequaquam autẽ ex sacrificio interioris tabernaculi. Sanguis enim animalium, ibi immolatorum, in sancta sanctorum inferebatur: corpora autem cremabantur extra castra. In cuius quoq; figure complementum, Christus, extra portam, seipsum Deo Patri holocaustum offerri voluit: corpus autem suum, verè comedendum fidelibus exposuit. Quem etiam textum, si cum priori ad Corinthios contuleris, nihil profectò est, quod clariùs ad assertionem nostram Catholicam adduci possit. Quod S. [c] Martialis vnus ex Domini discipulis, sic grauissimè attestatur: Quod, inquit, Iudæi per inuidiam immolauerunt, putantes se nomen eius â terra abolere, nos, causa salutis nostræ, in ara sanctificata proponimus, scientes hoc solo remedio nobis vitam præstandam, & mortem effugandam: hoc enim ipse Dominus noster iussit nos agere, in sui commemorationem. [d] Nam de sacrificijs idolorum, notum vobis à me factum est, quia ea maximè de causa dominabatur vobis diabolus. Et sicut communio viui Dei, est vobis vita, sic participatio mensæ simulacrorum, erat vobis æterna mors, & infirmitates, & corruptiones, & nimiæ tribulationes huius sæculi. *Hæc S. Martialis.*

[a] Christus in Eucharistia indiuisus. Teoph: in. 10. cap: ad Hæbræos ex Chrysostom.

[b] Altare nouæ legis sacrificatorium. Hebr: 13. v. 10. Lyranus & Glossa vtraque. Chrysost: Theodor. Oecumen. Theophilact. Haymo in hũc locũ.

[c] S. Martialis Epi. ad Burdegalenses.

[d] S. Martialis cũ S. Paulo eadem doctrina de uero & falso sacrificio. 1. Cor. 10. v. 18.

[e] Solent etiam aduersarij, istam authoritatem, ex oblatione Melchisedech adductam, trifariam impugnare. Primò, Gen. 14. haberi in Hebræo, & in vulgata, Melchisedechum, panem & vinum non obtulisse, sed protulisse, quod sonat ad vsum communem deprompsisse. Respõdemus: [f] Rectè & propriè scripturam exprimere, quòd

Cap. xxiij

[e] Obiectiones contra oblationẽ Melchisedech.

[f] Panem & vinũ

sicut ipse Melchisedech erga Abrahamum processerit, sic etiam munera offerenda protulerit. Idem enim verbum, pro adductione hostiæ, ad immolandum in sacrificio Abel, Gen. 4. & Iudicum ca. 6. bis vsurpatum reperitur. Secundò obijciunt, Melchisedech, cùm Abrahæ victori obuiam procederet, vocari regem, vtiq; sæculare officium eidem exhibiturum, quod erat refectio eius exercitus, ex via lassi, per panem & vinum. Nos fatemur, Melchisedechum, & in hoc figurasse Christum, quòd esset Rex Salem: Christus autem verè apparuit orbi Rex pacificus: [a] pacificans, iuxta Apostolum, omnia quæ in cælis & in terra sunt. Nec â proposito est, eum ibidem in Salem, id est Hierosolymis, â turbis fuisse proclamatum Regem: quòd eas refecisset panibus miraculosis, quod miraculum refectionis spiritualis, per Eucharistiam instituendæ, erat quidam apparatus, quando refectio illa proximè ante festũ Paschæ facta fuisse memoratur. Cæterûm, oblationem seu prolationem panis & vini, non posse referri ad officium, vel recreationem corporalem. Primò, quia prolatio illa panis & vini (vt Hebræa distinctio arguit) non refertur ad Melchisedech, quatenus erat Rex, sed quatenus erat sacerdos Dei altissimi: deinde, Abrahamum non indiguisse tunc aliquo victus subsidio, duplici ratione. Primò, quod ibidem [b] memoratur, retulisse amplissima spolia, ex victoria quatuor Regum debellatorum: seq; adeò abundantem fuisse, vt nihil præter victum militum ex illis spoliis reseruasset. Ridiculum ergo esset, in tanta rerum abundantia, eum pane & vino, quæ quotidiana refectio est, fuisse destitutum. Alia ratio est. Si fortè exercitus Abrahæ tali penuria laborasset, dicitur ibidem, Rex Sodomorũ in occursum eius procedens, qui sine dubio ex fertilissima sua terra, [c] Paradyso Dei comparata, commeatum victus subministrasset. Tertiò, si ad vsum corporalem dona Melchisedech protulisset, scriptura aliquid tale innuisset. Iam verò, prolationem panis & vini, ad solum sacerdotium & benedictionem, per Melchisedech factam, accommodat. [d] Quod verò ex Iosepho adducunt, panes & vinũ eiusmodi ad reficiendum exercitũ Abrahæ fuisse prolatum, ipsa ratio benedictionis, quæ in illo actu Melchisedechi intendebatur, suadet, refectionem eiusmodi fuisse spiritualem, per sacrificij illius (quæ vsitatissima erat) participationem. Et sic intelligi debent aliqui Doctores sacri, qui pro sua sententiâ ab aduersarijs citantur. Quartò, quòd cauillantur aduersarij, nullam ibi fieri mentionem oblationis panis & vini, sed tantùm benedictionis impensæ, & decimarum perceptionis à Melchisedech: Respondetur, inde potiùs consequi assertionem nostram. Si enim Melchisedech exercuit sacerdo-

proferre quid. Genes: 4. vers. 3. Iudicum. 6. v. 19.

[a] Colos: 1. v. 20. Cypr: Epist. 63. Hiero. Epist: 126 ad Euagrium. Matth. 21. v. 4. Iohan: 6. v. 4. 25.

[b] Gen: 14. v. 16. 22.

[c] Gene. 13. v. 10.

[d] Panis & vinum ad spiritualem refectionẽ à Melchisedech prolata. Iosephus. lib. 1. Antiquit. Iudaicarum Cap. 11.

cerdotium suum in benedictione, & decimatione, magis proprium officium eius cōsistebat in oblatione, per quam fieret illa benedictio. Siquidem teste Apostolo, [a] Omnis Pontifex constituitur, vt offerat dona & sacrificia, &c. Et alibi Christum, sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech describit, quod necessè haberet aliquid, quod offerat. Ergo & Melchisedech in typo necessê habebat quod offerret: hoc autem non erat aliud, nisi panis & vinum: quæ etiam in ipso prototypo, Christus in vltima cœna obtulerit. Ipse etiam contextus facilè dissoluit quæstionem. Abrahæ quidem ex victoria paganorum reuertenti, occurrisse primûm Regem Sodomorum, officij, vel etiam (si opus esset) refectionis, causa. Postmodum verò religionis motu, in gratiarum actionem pro tanto beneficio, processisse illi obuiam Melchisedechum, vt Deo gratiarum actionem, & Abrahæ benedictionem exhiberet, vtiq; per certam Dei laudem & inuocationem, quę propriè perficitur per sacrificium, aliquo externo ritu peractum: non vtiq; alio, quàm in pane & vino, quæ Melchisedech ad benedictionem Abrahæ dicitur protulisse, quòd esset sacerdos Dei altissimi: hoc est, referens eum, qui non amplius in typo, sed tanquam verus homo, simul & Deus, & prototypus Melchisedechi, in ipsa re & veritate, esset cæleste ipsum sacrificium perpetuò exacturus, iuxta clarissimam [b] Dauidis Prophetiam, & Apostoli expositionem: Tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech: Quibus, cùm aduersarij non acquiescant, non tantùm fidei, sed rationis & sensus defectum patiuntur.

a Hebr. 5. v. 1. Hebr. 8. vers. 3.

b Psalm. 109: v. 5. Hebr. 7. v. 17.

Cap xxiiii

[c] Redeundo igitur, vnde necessariò digressi sumus, asserimus ex superiori doctrina Apostoli: Quia sacrificium, quod Iesus Pontifex noster in cælesti tabernaculo, ipse sibi hostia existens, pro nobis inuisibiliter offert, hoc ipsum in anteriori visibili, & quasi populari Ecclesiæ militantis tabernaculo, hoc est, Ecclesia Catholica, offerunt eius ministri Apostoli, eorumq; in sacerdotio successores. Quam quidem oblationem, is ipse Dominus Iesus (vt dicit [d] Apostolus) nobis initiauit, quando in fine vitæ suæ, mortalis ipse, & visibilis, in vltima cœna instituit, propriè secundùm ordinem Melchisedech, hoc est, sub sensibilibus symbolis seu speciebus, panis & vini, carnem suam, & seipsum, quatenus ad mortem tradebatur, exhibendo, ad perpetuam, donec rediret ad iudicium, mortis suæ commemorationem seu repræsentationē: quando nimirum dicebat: Hoc [e] (quotiescuuq; manducabitis, vel bibetis) facite in meam commemorationem. Et hac ratione, in persona Christi, verè exhibitum est sacerdotium Melchisedech, quando & ipse existens æternus, perpetuum

c Conclusiua assertio de sacerdotio Christi, eiusq; Ministrorum.

d Hebr: 10 v. 20.

e Lucæ. 22. v. 19. 1. Cor. 11. v. 25.

quoq;

quoq; & verè propitiatorium sacrificium, in cęlis pro nobis peragit: externo autem & visibili modo, in lege quoq; externa & sensibili, illud ipsum initiatum, seu inchoatum, ac institutum, proprio ritu seu ordine Melchisedech, sub speciebus panis & vini, per sacerdotes visibiles, tanquam suos ministros, ad finem vsq; mundi continuat: vt (secundùm eundem [a] Apostolum) magnus ac immortalis Pastor, in sanguine testamenti sui æterni, oues suas iugiter refoueret. Sed quod hactenus diximus: confirmet B. [b] Ambrosius sic scribens: Primùm igitur vmbra præcessit: secuta est imago: erit veritas. Vmbra in lege, imago in Euangelio, veritas in cælestibus. Vmbra Euangelij, & Ecclesiæ congregationis, in lege: imago futuræ veritatis, in Euangelio: veritas in iudicio Dei. Ergo, quæ nunc celebrantur in Ecclesia, eorum vmbra erat in sermonibus Prophetarum: vmbra, in diluuio, vmbra in rubro mari, quando baptizati sunt patres nostri in nube & in mari. Vmbra in petra, quæ aquam fluxit, & populum sequebatur. Nonnè illud in vmbra erat sacrosancti huius mysterij sacramentum? [c] Nonnè vmbra erat aqua de petra, quasi sanguis ex Christo, quæ fugientes se populos sequebatur, vt biberent, & non sitirent, redimerentur, & non perirent? Sed iam discessit vmbra, noctis & caliginis Iudæorum, dies appropinquauit Ecclesiæ. Videmus nunc per imaginem, bona: & tenemus imaginis bona. [d] Vidimus Principem sacerdotum ad nos venientem, vidimus & audiuimus offerentem pro nobis sanguinem suum: sequamur, vt possumus, sacerdotes, vt offeramus, pro populo sacrificium: & si infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio: quia & si nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur. Imò ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium quod offertur. Et ipse quidem nobis apud Patrem aduocatus adsistit: Sed nunc eum non videmus: tunc videbimus, cùm imago transierit, veritas venerit, tunc iam non per speculum, sed facie ad faciem, ea, quæ sunt perfecta, videbuntur. Ascende ergo homo in cælum, & videbis illa, quorum vmbra hîc erat vel imago. Videbis non ex parte, non in ænigmate, sed in consummatione, non in velamine, sed in luce. Videbis verum illum, & æternum, atq; perpetuum sacerdotem, cuius hîc imagines videbas, Petrum, Paulum, Ioannem, Iacobum, Matthæum, Thomam. Videbis perfectum hominem, iam non in imagine, sed in veritate. Qualis enim cælestis, tales & cælestes. Hucusq; Ambrosius.

a Hebr. 13. v. 20.

b Sacrificiū legale & Euangelicū terminatur cælesti. Ambr. in Psal. 38.

c Aqua de petra typus passionis Christi. 1. Cor. 10. ve. 1. & seq. Exodi. 17. vers. 5. 1. Cor. 13 v. 23.

d Sacerdotium Christi in terra repręsentatur.

[e] Manet etiam in hac mensa, panum propositionis, indeficiens apparatus: quando tum, propter filij Dei in humanitate adorationem,

e Mensa propositionis figura asseruationis Eucharistiæ.

Hebr. 9. vers. 2.
Hebr. 1. Vers. 6.

Angelis etiam præceptam, â fidelibus, secundùm Psalmistam, continuandam, tum propter vsus & necessitates populi Christiani, Eucharistia sacra in recentibus speciebus, in Ecclesiis conseruatur & custoditur. Hactenus doctrina solius Apostoli Pauli, de nouo ac æterno nouæ legis sacerdotio & sacrificio: cui, antequam alias, ex reliqua scriptura sacra, & perpetua praxi Apostolorum & Ecclesiæ, probationes adiiciamus, in decursu præsentis Sermonis, placuit pro altera Sermonis parte, ea, quæ de duplici tabernaculo veteris legis Allegoricè, & Anagoricè dicta sunt, tropologico quoq; sensu antiquissimi Origenis explicare.

Pars secunda: Ex Origenis in Cap. Exo. XVIII. Homilia IX.

Descriptio duplicis tabernaculi legalis.

Cap. XXV.

FIunt præterea quædam velaminibus distincta, quæ appellantur Sancta, & alia nihilominus secundo dirempta velamine, quæ dicuntur Sancta Sanctorum. Collocatur intrinsecus arca testamenti, supra quam Cherubin extensis alis, seq; inuicem contingentibus statuuntur, ibiq; ex auro, velut basis, eis quædam collocatur, ac sedes, quod appellatur Propitiatorium: sed & altare aureum incensi. Tum præterea in exteriori loco candelabrum ponitur aureum, in parte Austri, vt respiciat ad Aquilonem. In parte verò Aquilonis, mensa collocatur, & propositio panum super eam. Nec non & altare holocaustorum, iuxta velamen interius ponitur: Sed quid ego de his reuoluo singula? vix ad hæc tantum enarranda sufficimus, vix nobis ipsa rerum materialium forma adduci ante oculos potest, & quomodo quis latentia in his mysteria expedire sufficiet? Verumtamen causa, pro qua fieri deberet tabernaculum, in superioribus inuenitur prædicta, dicente Domino ad Moysen. [b] Facietis, inquit, mihi sanctificationem, & inde videbor vobis. Vult ergo Deus, vt faciamus ei sanctificationem, &c. Et postquam singula mysticè explicasset, addit: [c] Potest etiam vnusquisq; nostrum in semetipso constituere tabernaculum Deo. Si enim (vt quidam ante nos quoq; dixerunt) tabernaculum hoc totius mundi tenet figuram, mundi autem etiam singuli quiq; habere imaginem possunt, cur non & tabernaculi vnusquisq; in semetipso formam posit explere? [d] Has ergo debet columnas sibi aptare virtutum, columnas argenteas, id est, patientiam rationabilem. [e] Potest enim esse quidem in homine, quæ videatur patientia, sed quæ rationabilis non sit. [f] Nam, & qui non sentit iniuriam, & propterea non reddit, patiens videtur, sed non est

b Exod. 25. v. 8.

c Tabernaculi externi applicatio moralis.

d Columnæ argenteæ designãt virtutes.

e Patiẽtia rationabilis Christiana.

non est rationabilis ista patientia. Iste ergo habet quidem columnas, sed non sunt argentatæ. Qui verò propter verbum Dei patitur, & fortiter fert, iste columnis argenteis decoratus est, & munitus. [a] Potest in se & atria distendere, cùm dilatauerit cor suum, secundùm Apostoli vocem, dicentis ad Corinthios: Dilatamini & vos, [b] Potest se & serris munire, cùm se vnanimitate dilectionis adstrinxerit. [c] Potest super argenteas bases stare, cùm super stabilitatem verbi Dei, verbi Prophetici & Apostolici collocatur. [d] Potest habere in columna deauratum caput, si caput aureum, sit ei fides Christi. Omnis namq; viri caput Christus est. [e] Decem verò atria, potest in semetipso distendere, cùm non in vno tantùm verbo legis dilatatur, neq; duobus, aut tribus, sed in toto decalogo legis spiritualis intelligentiæ, dilatare amplitudinem potest, aut fructum spiritus, gaudium, pacem, patientiam, benignitatem, bonitatem, modestiam, fidem, continentiam, adiecta!, quæ [f] est mater omnium, charitate, protulerit. Habeat adhuc in se anima ista, quæ non dederit [g] somnum oculis suis, nec palpebris suis dormitationem, nec requiem temporibus suis, donec inueniat locum Domino tabernaculum Deo Iacob: habeat, inquam, in se defixum [h] & altare, in quo orationum hostias, & misericordiæ victimas offerat Deo: in quo, continentiæ cultro, superbiam quasi taurum immolet, iracundiam quasi arietem iugulet, luxuriam, omnemq; libidinem, tanquam hircos & hædos litet. [i] Sciat tamen, ex his etiam sacerdotibus, separare dextrum brachium, & pectusculum, & maxillas, id est, opera bona, & opera dextra: nam sinistrum nihil reseruet. Pectusculum quoq; integrum, quod est cor rectum, & mens Deo sacrata, & maxillas ad verbum Dei loquendum. [k] Sciat sibi in sanctis etiam candelabrum luminis collocandum, vt sint ei lucernæ semper ardentes, & lumbi succincti, & ipse tanquam seruus, qui expectat dominum suum redire de nuptiis. De his enim lucernis, & Dominus dicebat: Lucerna corporis tui, est oculus tuus. Sed istud candelabrum lucernarum, in Austro collocet, vt ad Aquilonem respiciat. Accenso etenim lumine, id est, vigilanti corde respicere semper debet ad [l] Aquilonem, & obseruare eum, qui ab Aquilone est. Sicut & Propheta videre se dicit succensum lebetem, vel ollam, & faciem eius à facie Aquilonis. Ab Aquilone enim accenduntur mala vniuersæ terræ: vigilans ergo, & sollicitus, & ardens, intueatur semper astutias diaboli, & semper aspiciat, vnde sit ventura tentatio, vnde hostis irruat, vnde inimicus obrepat. Dicit enim [m] Petrus Apostolus: Quia aduersarius vester diabolus, sicut leo rugiens, circuit, quærens quem transuoret. [n] Mensa quo-

a Atrium. 2. Cor. 6. vers. 13.

b Serræ.

c Bases argenteę

d Columnæ Caput deauratum. 1 Cor. 11. vers. 3.

e Decẽ atria Decalogus aut fructus Spiritus.

Cap. XXVI.

f Charitas mater virtutum.

g Psalm. 131. v. 3.

h Altare cordis in quo virtutes offerantur, vitia amputentur.

i Discretio inter virtutes & vitia.

k Candelabrum spirituale. Lucæ. 12. vers. 35.

l Ab Aquilone tentationes prodeunt. Ierem. 1. vers. 14.

m 1. Petr. 5. v. 8.

sa quoq; propositionis, habens duodecim panes, in parte collocetur Aquilonis, respiciens ad Austrū. Panes isti, Apostolicus ei tâm numero, quàm virtute, sit sermo, quo indesinenter vtimur quotidie: namq; hos ante Dominum iubetur apponere. Rursum respiciat ad Austrum, vnde Dominus venit. Dominus enim ex [a] Theman veniet, sicut scriptum est, quod est de Austro. [b] Habeat in penetralibus pectoris sui etiam altare incensi, vt ipse dicat, quia Christi bonus odor sumus. [c] Habeat & arcam testamenti, in qua sint tabulæ legis, vt in lege Dei meditetur die ac nocte: & memoria eius, arca & bibliotheca efficiatur librorum Dei. Quia & [d] Propheta beatos dicit eos, qui memoria tenent mandata eius, vt faciant ea. [e] Sit intra ipsum vrna mannæ reposita, intellectus verbi Dei subtilis. & dulcis. Sit & virga Aaron intra eum, doctrina sacerdotalis, & florida seueritas disciplinæ. [f] Supra omnem verò gloriam, sit ei pontificalis ornatus. Cap. xxvii. Potest enim intra se agere pontificatum, pars illa, quæ in eo est preciosissima omnium, quod quidam principale [g] cordis appellant: alij rationalem sensum, aut intellectualem substantiam, vel quocunq; modo appellari potest in nobis, portio nostri illa, per quam capaces esse possumus Dei. Ista ergo pars, in nobis, velut quidam Pontifex, exornetur indumentis & monilibus preciosis, ac [h] podere bysino. Indumenti hoc genus est, quod vsq; ad pedes deducitur, totum contegens corpus. In quo designatur, vt primò omnium totus sit castitate vestitus. Accipiat postmodum & [i] humerale gemmatum, in quo fulgor operum collocatur, vt videntes homines opera vestra bona, magnificent patrem vestrum, qui in cælis est. Accipiat & [k] Logium, quod Rationale dici potest, pectori superpositum, quaterno lapidum ordine distinctum. Sed & [l] aurea lamina in fronte resplendeat, quod Petalum appellatur, in quibus vtrisq; veritas & manifestatio dicitur collocata. [m] Ego in his, quę in pectore locari dicuntur, sermonem Euangelicum sentio, qui quadruplicato ordine veritatem fidei, nobis, & manifestationem Trinitatis, exponit, cuncta referens ad caput, ad vnius scilicet Dei naturam. In his est ergo omnis veritas, & omnis manifestatio veritatis. Igitur, si rectè vis pontificatum gerere Deo, Euangelicus sermo, & Trinitatis fides, semper tibi habeatur in pectore. [n] Cui conuenit etiam Apostolicus sermo, tâm virtute, quàm numero, tantùm vt nomen Dei semper habeatur in capite, & ad vnum Deum cuncta referantur. [o] Habeat etiam in interioribus Pontifex partibus operimenta sua, habeat pudenda contecta, vt corpore, & spiritu sanctus sit, & cogitationibus, & operibus purus sit. [p] Habeat etiam tintinnabula, vt ingrediens, inquit, sancta, det so-

[n] Mensa propositionis cum duodecim panibus.
[a] Abacuc 3. v. 2.
[b] Altare incensi. 2. Cor. 2. v. 14.
[c] Arca cum tabulis testamenti. Psal. 1. v. 2.
[d] Psal. 102. v. 18.
[e] Manna, & virga Aaron.
[f] Pontificalis vestitus moraliter applicatus.
[g] Ratio & voluntas per Pontificē designatur.
[h] Poderis bysini mysterium, & quid sit.
[i] Humerale. Matth. 5. v. 17.
[k] Logium vel Rationale.
[l] Aurea lamina in fronte.
[m] Trinitatis & prædicationis Euangelicæ mysterium.
[n] Ad vnum Deum cuncta referenda.
[o] Femoralia.
[p] Tintinnabula.

det sonitum, & non intret cum silentio. Et hæc tintinnabula, quæ semper sonare debent, [a] in extremo vestimenti sunt posita: idcirco credo, vt de extremis temporibus, & fine mundi, nunquam sileas, sed inde semper sones, inde disputes, & loquaris, secundùm eum qui dixit: Memor esto nouissimorū tuorum, & non peccabis. Ad hunc ergo modum, homo noster interior, Deo Pontifex adornetur, vt introire possit, non solùm in Sancta, sed in Sancta Sanctorum: vt possit adire Propitiatorium, vbi sunt Cherubin, & inde appareat ei Deus. [b] Sancta possunt esse ea, quæ in præsenti sæculo habere sancta conuersatio potest: Sancta verò Sanctorum, in quæ semel tantummodò intratur, ad cælum esse transitum, vbi est [c] Propitiatorium, & Cherubin, vbi & mundis corde apparere poterit Deus, vel quia Dominus dicit: Ecce regnum Dei intra vos est. Hæc interim, quantum ad præsens, in transcursu occurrere sensibus nostris potuit, quātumq; moderari auribus potuimus auditorum, de tabernaculo dicta sint, vt vnusquisq; nostrum, studeat facere intra se tabernaculū Deo. [d] Non enim frustrà de Patribus refertur, quia in tabernaculis habitauerunt. Et ego sic intelligo, Abraham habitasse in tabernaculis, & Isaac, & Iacob. Construxerunt namq; isti intra se tabernaculū Deo, qui se tantis ac talibus virtutum splendoribus adornauerunt. Refulgebat namq; in eis insigne regium purpura, propter quod dicebatur ad Abraham à filijs Heth: [e] Adeò rex in nobis tu es. Splendebat & coccus, propterea enim ad iugulandum duxit Deo vnicum, & propterea dextram illius Angelus tenuit. Splendebat hyacinthus, cùm cælum semper intuens, cæli Dominum sequebatur. Sed & in cæteris similiter ornabatur. [f] Ego sic intelligo, & diem festum tabernaculorum, qui mandatur in lege, vt exeat populus certa die anni, & in tabernaculis habitet, [g] habens ramos palmarum, & frondes salicis ac populi, & ramos arboris frondosæ. Palma, victoriæ signum est illius belli, quod inter se caro & spiritus gerit. Arbor autem, populus & salix, tàm virtute, quàm nomine, virgulta sunt castitatis. [h] Quæ, si integre conseruens, habere potes & nemorosæ frondentis arboris ramos, quæ est æterna & beata vita, cùm te Dominus in loco viridi [i] collocauerit, super aquam refectionis.

Per Christum Iesum Dominum nostrū, cui est gloria, & imperium, in sæcula sæculorum, Amen.

[a] Nouissimorum memoria & prædicatio. Eccli: 7. v. 40.
[b] Sāctā intelligitur Ecclesia militans. Sancta Sanctorū Ecclesia triumphans.
[c] Propitiatoriū. Lucæ 17. v. 21.
[d] Sancti ab initio habebant in se tabernaculum Dei & regiū fulgorem nobis imitanda.
[e] Genes: 23. v. 6.
[f] Scœnopeia Christianorum.
[g] Rami arborum quo mysterio deferendi.
[h] Epilogus.
[i] Psalm: 22. v. 2.

Sermo septimus.

DE SACRIFICIO SPIRITVALI, seu interno.

Hæretici circa Eucharistiā & sacrificium, vel nimis carnales, vel phantastici.
Iudæ 1. v. 10.

Cap. 1.

QVod olim de hæreticis pronuntiauit S Thadæus Apostolus, quia, quæ quidē ignorant, blasphemant: quæcunq; autem naturaliter, tanquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur: hoc ipsum in articulo sacrificij nouæ legis committunt. Quando enim, nos Catholici, verba Christi, Hoc est corpus meum, &c. accipimus vt sonant: credentes ipsi veritati loquenti, quòd illud, quod erat panis, & vinū, eo iubente & attestante, mutata, non ampliùs sunt, quæ sensu capiuntur, elemēta, sed sunt corpus Christi: illi reuocant, vel potiùs retorquent, ad spiritum: alij quidem corpus Christi in corpore, vel sub corpore, vel cum corpore panis, non solùm contra fidem, sed contra omnem rationem statuentes: alij corpus quoddam non animale, sed potiùs spirituale, sicut omnibus locis, sic etiam pani & vino sumendo assignantes: alij deniq; omnia, quæ Christus in cœna gessisset, ad tropum, & spiritualem intelligentiam, extrema impietate retorquentes. Omnes autem in hoc conueniunt, vt tanquam bruta animalia, pani & vino inhærentes, Christum in Eucharistia imaginariè tantùm constituant. Deinde in ipso nouæ legis, quo Eucharistia conficitur, sacrificio, quando Ecclesia Catholica credit [b] attestationi & iuramento diuino, Christum esse sacerdotem æternum, secundùm ordinem Melchisedech: eius autem exercitium, nullibi quàm in vltima cœna, in pane & vino fuisse exhibitū, & Apostolis relictum: Isti rursus, quæcunq; ignorant, vel brutali sensu non capiunt, blasphemantes, negant Christianos, qui non carne, sed spiritu renati essent, & spiritualia bona habeant promissa, aliquid externum & visibile, cum Iudæis & Gentilibus, habere ad offerendum: sed Deum, qui spiritus est, & in spiritu adorari vult, interna mentium nostrarum sacrificia, à nobis requirere. Et sic propter ignorantiam, vel potiùs peruersitatem, & malitiam, quod in summo nouæ legis sacrificio adorare debebant, impiè proscindunt, & blasphemant. [d] Quamuis igitur, in isto nostro de Sacrificio tractatu, sæpiùs differentiam Missæ, tanquā externi & proprij nouæ legis sacrificij, ab interno ostendamus: tamen, vt Catholici, & ipsi hæretici, si velint resipiscere, sanctorum Doctorū documenta, ea de re in promptu habeant, eorum testimonia præsenti sermone, Deo iuuante, proponemus.

b Psalm: 109. v. 6.
Hebr: 7. v. 17.

Ioan 4. v. 24.

d Propositio sermonis.

Ex Chrysostomo in Psalmum XCV.

Cap. II.

Sacrificium Eucharistiæ & laudis coniuncta.
Malach: 1. v. 10.

HÆc prædixit Deus per Prophetam, nam & Ecclesiasticam exprimens sinceritatem, & alterius populi ingratitudinē traducens, ad illos loquitur: Non est mea voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, nec accipiam hostias de manibus vestris: quoniam ab exortu solis, vsq; ad occasum, nomen meum glorificatum est inter gentes, & in omni loco sacrificium offertur nomini meo, & sacrificium purum. Vide, quàm luculenter, quamq; dilucidè, mysticam interpretatus est mensam, quæ est incruenta hostia. Thymiama verò, purum appellat, sacras preces, quæ post hostiam offeruntur: hic enim suffitus Deum refocillat, non is, qui à terrenis radicibus sumitur, sed qui à puro corde exhalatur. [b] Dirigatur igitur oratio mea, tanquam incensum in conspectu tuo. Vides, vt vbiq; locorum concessum est angelicum illud sacrificium inclarescere? vides, nullis finibus circumscriptum, neq; altare, neq; canticum? In omni loco thymiama offertur nomini meo. [c] Est igitur hostia pura, prima quidem mystica mensa, cæleste, summéq; venerandum sacrificium. Est autem & in nobis varia sacrificiorū differentia. Posteaquam enim lex, in veteri testamento, multas habuit hostias, aliam pro peccatis, aliam, quæ dicta est holocaustoma, aliam vocatā laudis, aliam salutaris, aliam pro leprosis mūdandis, breuiter alias, & multas, & varias, pro his, qui innumeris expiationibus censebantur, omninò magnus erat, & modo carens, numerus sacrificiorum in lege: quæ omnia, noua gratia superueniens, vno complectitur sacrificio, vnam ac veram statuens hostiam. [d] Habemus autem & nos, in nobis ipsis, varias immolationes, non quæ iuxta legem incedunt, sed quæ decent Euangelicam gratiam. Visné has cognoscere victimas, quas habet Ecclesia, quum sine sanguine, sine fumo, sine altari, cæterisq; ceremoniis, munus Euangelicum sursum ascendit ad Deum, quodq; sit sacrificium mundum & immaculatum? Audito sanctam scripturam, tibi palam exponentem hanc differentiam, ac varietatē.

b Psalm: 140. v. 2.

c Vnicum nouæ legis sacrificium plurima legalia compleuit.

d Sub vnico proprio nouæ legis sacrificio multa Spiritualia.

Cap. III.

I.
e Sacrificiū oblationis Christi.
Ephes. 5. v. 2.

Est igitur primum [e] sacrificium, quod antè dixi, spirituale illud ac mysticum donum, de quo Paulus ait: Imitatores estote Dei, tanquam filij dilecti, & ambulate in dilectione, quemadmodū & Christus dilexit nos, tradiditq; seipsum pro nobis Deo sacrificium, & oblatio-

blationem, in odorem suauitatis. Alterum [c] sacrificium est marty- "
rum: & quę testatur hoc scriptura. Audi Paulum: Obsecro vos fra- "
tres, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuam, sanctam, gratam "
II. Deo. Habes primam hostiam, quæ dicitur salutaris, habes secundam
a Sacrificium martyum. martyrum, [a] tertiam precationis: Dirigatur deprecatio mea, tan- "
Rom: 12. v. 1. quam incensum in conspectu tuo, sublatio manuum mearum, sacri- "
III. ficium vespertinum. [b] Quarta est, quæ offertur laude, hoc est per "
b Sacrificium hymnos: Sacrifica Deo sacrificium laudis. Quinta est, per iustitiam: "
orationis Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ. Sexta offertur per eleemosynā: "
Psalm: 140. v. 2. Sacrificium, inquit, mundum, & immaculatum, visitare pauperes, & "
IIII. V. VI. Sacrificiũ laudis. orphanos, in afflictione ipsorum. Septima fit in iubilo. Iubilum au-
Psalm: 47. v. 14. tem est, victorialis in bello applausus. Nam aliud est ololygmos, hoc
Sacrificium iustitiæ. est, clamor: aliud alalagmos, hoc est, iubilatio. Quum post victori-
Psalm: 50. v. 21. am in bello milites vociferantur, ea est iubilatio, victoriæ signum,
Iacob: 1. v. 27. eoq; Propheta eos, qui conspecturi erant Christi victoriam, hymnum "
VII. vociferantes aduersus hostes, beatos appellat dicens: [c] Beatus po- "
Sacrificium Iubilationis. pulus, qui scit iubilationem. Iubilatio igitur est, victorialis in bello
c Psalm: 88. v. 16. plausus. Posteaquam ergo Seruator victoriam tulit, deuictis omni- "
d Ioan: 16. v. 33. bus inimicis, dicens: [d] Confidite, ego vici mundum: hymnū nunc
offerentes, victori perficimus iubilationem, quam Propheta beatam "
e Psalm: 26. v. 6. vocat, dicens: [e] Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius, sacrificiū "
VIII. laudis, & iubilationis. Est & [f] octauum quoddam sacrificium Deo,
f Sacrificium cōtritionis. spiritus contritus. Cor contritum, & humiliatum, Deus non despi- "
Psalm: 50. v. 19. cies. Vides, quales hostiæ à nobis tractentur. Est & aliud [g] nonum "
IX. sacrificium, quod peragitur per Euangelij prædicationem: is est ser-
g Sacrificiū prædicationis Euangelicæ. mo doctrinæ, de qua Paulus Apostolus ait: Administrantes Euange- "
lium Dei, vt fiat oblatio gentium accepta, & sanctificata in spiritu "
sancto. Vides, quàm declarauit etiam Euangelij prædicationem of-
h Recapitulatio decem Sacrificiorum nouæ legis. ferri Deo? [h] Habes igitur primum sacrificium illud salutare donū,
secundum martyrum, tertium deprecationis, quartum iubilationis,
quintum iustitiæ, sextum eleemosynæ, septimum laudis, octauum
compunctionis, nonum humilitatis, decimum prædicationis: tam-
etsi quiddam prætermisi, quum animo nouem enumerarim, putaui
i Eleemosinæ sacrificium. me tradidisse decem. [i] Quodnam igitur sacrificij genus præter-
missum est? Est decimum sacrificium fructificationis, de quo lo-
k Philip: 4. v. 18. quitur Paulus: [k] Accepi, quæ à vobis missa sunt per Epaphroditū, "
sacrificium acceptabile, in odorem suauitatis. Vides beneficentiam "
in sanctos, à Paulo vocari sacrificium.

Augustinus de Ciuitate Dei, lib. 10 cap. 6.

PRoinde verum sacrificium est omne opus, quod agi- Cap: IIII

tur, vt sancta societate inhæreamus Deo, [a] relatum scilicet ad illū fi- a Sacrificiū in genere omnis virtus quæ ducit ad Deum.
nem boni, quo veraciter beati esse possimus: [b] Vnde, & ipsa mise-
ricordia, qua homini subuenitur, si propter Deum non fit, non est
sacrificium. Etsi enim ab homine fit, vel offertur: tamen sacrificium b Misericordia quale sacrificiū, & ipse homo.
res diuina est: ita, vt hoc quoq; vocabulo, id Latini veteres appella-
uerint. Vnde ipse homo, Dei nomini consecratus, & Deo deuotus, in-
quantum mundo moritur, vt Deo viuat, sacrificium est. Nam & hoc
ad misericordiam pertinet, quam quisq; in seipsum facit. Propterea
" scriptū est: [c] Miserere animæ tuæ, placens Deo. Corpus etiam no- c Eccli: 30. v. 24.
" strū, cùm per temperantiam castigamus, si hoc, quemadmodum de-
bemus, propter Deum facimus, vt non exhibeamus membra nostra
arma iniquitatis peccato, sed arma iustitiæ Deo, sacrificium est. Ad
" quod exhortans Apostolus ait: [d] Obsecro itáque vos, fratres, per mi- d Rom. 12. v. 1.
" sericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuam, san-
" ctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Si ergo cor-
" pus, quo inferiore, tanquam famulo, vel tanquā instrumento, vtitur
anima, cùm eius bonus & rectus vsus ad Deum refertur, sacrificium
est: quantò magis anima ipsa, cùm se refert ad Deum, vt igne amo-
ris eius accensa, formam concupiscentiæ secularis amittat, eiq; tan-
quā incommutabili formæ subdita, reformetur: hinc ei placens, quòd
" ex eius pulchritudine acceperit, fit sacrificium? Quod idem Apostolus
" consequenter adiungens: [e] Et nolite, inquit, cōformari huic seculo: e Rom: 12. v. 2.
" Sed reformamini in nouitate mentis vestræ, ad probandum, quæ sit
Cap. V. voluntas Dei, quod bonum & beneplacitum, & perfectum.

Cùm igitur vera sacrificia opera sint misericordiæ, siue in nosip-
sos, siue in proximos, quæ referuntur ad Deum: opera verò miseri-
cordiæ, non ob aliud fiant, nisi vt à miseria liberemur, ac per hoc vt
" beati simus: quod non fit, nisi bono illo, de quo dictum est: Mihi autē
adhærere Deo. [f] bonū est: profectò efficitur, vt tota ipsa redempta f Sacrificium offert Christus sui tāquā capitis, & Ecclesiæ vt Corporis sui.
ciuitas, hoc est, congregatio, societasq; sanctorum, vniuersale sacri-
ficium offeratur Deo, per sacerdotem magnum, qui etiam seipsum
obtulit in passione pro nobis, vt tanti capitis corpus essemus, secundū
formam serui. Hanc enim obtulit: in hac oblatus est, quia secundùm
hanc mediator est: in hac sacerdos, in hac sacrificium est. Cùm itaq;
nos hortatus esset Apostolus, vt exhibeamus corpora nostra hostiam
viuam, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium nostrum,
& non conformemur huic seculo, sed reformemur in nouitate mē-
tis nostræ: ad probandum quæ sit voluntas Dei, quod bonum, & be-
neplacitum, & perfectum, quod totum sacrificium ipsi nos sumus:
" Dico enim, inquit, per gratiam Dei, quæ data est mihi, omnibus qui

sunt in vobis, non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad temperantiā: sicut vnicuiq; Deus partitus est fidei mensurā. [a] Sicut enim in vno corpore, multa membra habemus, omnia autem membra non eosdem actus habent: ita multi vnū corpus sumus in Christo: singuli autem, alter alterius membra, habentes dona diuersa, secundùm gratiam, quæ data est nobis. Hoc est sacrificium Christianorum, [b] multi vnum corpus sumus in Christo: quod etiam sacramento altaris, fidelibus noto, frequentat Ecclesia, vbi eidem demonstratur, quod in ea oblatione, quam offert, ipsa offeratur.

a Sacrificium verum Eucharistiæ sacrificij mystici per charitatem, Symbolum.

b 1. Cor: 10. v. 17.

Ex Chrysologi sermone CVIII. & CIX.

Cap. VI.

FRatres. Obsecro vos, per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra, hostiam viuam, sanctam, placentem Deo, rationabile obsequium vestrum. [c] O inauditum Christiani pontificatus officium, quando homo sibipse est & hostia, & sacerdos, quando homo non extrinsecus, quod Deo est immolaturus, inquirit: quando homo secum, & in se, & quod pro se est, Deo sacrificaturus apportat: quando & eadem manet hostia, idem permanet & sacerdos: quando hostia mactatur, & viuit, sacerdos nescit occidere, qui litabit. Mirum sacrificium, vbi corpus sine corpore, sine sanguine sanguis offertur. Obsecro, inquit, vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiā viuam. Fratres, hoc sacrificium Christi descendit ex forma, qui corpus suum pro vita seculi vitaliter immolauit: & verè corpus suum fecit hostiam viuam, quia viuit occisus. In tali ergo victima mors expenditur, hostia permanet, viuit hostia, mors punitur. [d] Hinc martyres, morte nascuntur, fine inchoant, occisione viuunt, & in cælis lucent, qui in terris putabantur extincti. Obsecro, inquit, vos fratres, per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra, hostiam viuam, sanctam. Hoc est illud, quod Propheta cecinit: [e] Sacrificium, & oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi. [f] Esto homo, esto & Deo sacrificium, & sacerdos: non amittas, quod tibi diuina dedit & concessit auctoritas: induere sanctitatis stolam, præcingere baltheum castitatis, sit in velamento capitis tui Christus: Crux, in frontis tui munimine perseueret, pectori tuo appone diuinæ scientiæ sacramentū, in odorem thymiama semper orationis accende, arripe gladiū spiritus, altare cor tuum pone: & sic corpus tuum admoue Dei securus ad victimam: Deus fidem, non mortem quærit: votum, non sanguinem sitit: placatur voluntate, non nece. Hoc probat Deus, ad hostiam

Rom: 12. v. 1.

c Christi sacrificiū mortis simul & vitæ particeps hostias spirituales hominū reddit similes.

d Martyres mortui viuunt.

e Psalm: 39. v. 7.

f Sacerdotium spirituale.

hostiā [a] Abrahæ sancti filium cùm poposcit. Nam, quid aliud Abraham, quàm corpus suū, immolabat in filio? Quid aliud Deus, quàm fidem requirebat in patre, qui filium sicut offerri iussit, sic non permisit occidi? Tali ergo homo confirmatus exemplo, offer corpus tuum: & non solùm macta, sed etiam seca per omnia virtutū membra. Quia toties tibi vitiorum artes moriuntur, quoties à te Deo viscera fuerint immolata virtutum. Offer fidem, vt perfidia sit punita: immola ieiunium, vt voracitas cesset: sacrifica castitatem, vt moriatur libido: impone pietatem, vt deponatur impietas: inuita misericordiam, vt auaritia deleatur, & vt consumatur stultitia, semper sanctitatem conuenit immolare: sic fiet corpus tuum tua hostia, si nullo peccati iaculo fuerit sauciata. Viuit corpus tuum homo, viuit, quoties à te Deo virtutum vita vitiorū mortibus immolatur. [b] Non potest mori, qui vitali gladio meretur occidi. Ipse autem Deus noster, qui est via, veritas, & vita, & à morte nos liberet, & perducat ad vitam.

a Abraham corpus suum in filio immolauit. Gen: 22.

b Mors iustorū vita est.

Cap. VII.

[c] Obsecro, inquit, vos, per misericordiam Dei vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuam. Nunquid Apostolus sic dicendo, sola corpora digna diuinis hostiis, probat? & animas, velut reprobas, aut tacet, aut præterit, aut relinquit? [d] Nonné anima de cælo est, corpus è terra? hoc regitur, regit illa? illa dominatur, hoc seruit? hoc viuit, viuificat illa? illa manet, hoc deficit? hoc ætates patitur, illa nescit? & ad extremum mors, quæ tantùm dominatur in corpus, nec anima præsente contingit? Et quid est, quòd tacetur anima, & solùm corpus ad Dei hostiam sic vocatur? Fratres, hîc Apostolus honorat corpus, non minorat animā. Nam corpus, quòd capiunt peccata, quod delicta vinciunt, quòd deprimūt crimina, quòd vitia corrumpunt, quòd deiiciunt passiones: hoc Apostolus cupit soluere, liberare studet, laborat attollere, expirare contendit, vt corpus ad originem animæ conscendat, non anima descendat corporis ad naturam: & corpus animam comitetur ad cælum, non anima corpus sequatur ad terram. Audi scripturam dicentem, anima qualibus & quantis corporis aggrauetur. [e] Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam: & deprimit terrena cogitatio sensum multa cogitantem. Ergo non deponit animam, sed corpus Apostolus vult leuari: & animam, & corpus, id est, hominem totum ad hostiam sanctam, ad placitum Deo sacrificium, vult venire. Quòd autem & anima sit Dei sacrificium, Psalmita declarat, dicens: [f] Sacrificium Deo, spiritus contribulatus. Vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuam, sanctam, placentem Deo. Quia non homo ex eo, quòd viuit, placet, sed placet ex eo, quòd benè viuit: nec ex eo fit homo hostia, si se Deo offerat:

c Rom: 12.

d Anima potior hominis portio, quomodo Deo cum corpore offerenda.

e Sapient: 9. v. 15.

f Psalm: 50. v. 19.

offerat: sed si sanctè offerat Deo. Quantum enim immaculata victima placat Deum, tantum Deum victima, si maculata fuerit, exacerbat. Audi dicentem Deum: a Non offeras mihi claudum, non luscum, non mortis contagine pollutum, sed maturum sine macula. Hinc est, quod Apostolus viuam Deo petit hostiam. b Probat hoc Cain, qui, cùm Deo parua, à quo totum perceperat, ingratus Pontifex, sic diuisit, vt, quod erat pessimũ, hoc adoleret altari, quod erat optimum, in suam reseruaret offensam: deniq; cum sua, suo malè, cùm partitur auctore, se, suosq; posteros, & à vita, & ab humano genere perdiuisit. Ergo Abel sequamur ad præmiũ, non Cain comitemur ad pœnam. Abel, agnum portans ad Dei sacrificium, sicut agnus assumitur: Cain, gestans sibi stipulam, fomentum sibi per quod exureretur, inuenit.

a Deut: 15. v. 22. Malach: 1. v. 8.

b Oblatio Deo accepta vel reproba exemplo Abel & Caim. Gen: 4.

Cap. VIII.

c Vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuam, sanctam, placentem Deo, rationabile obsequium vestrum. Quantum placat obsequium, quod ratione subnixum est, tantum, quod rationem non habet, exacerbat. Rationabile obsequium, quod non præsumptione turbatur, non temeritate confunditur, non violatur illicitis, non simulatione fucatur. Ad obsequiũ Regis, militaris statio contremiscit: humana dominatio, exigit sollicitam seruitutem: ad arbitrium iubentis, timor obedientis inuigilat: quia & cauta deuotio, præmiũ iustæ remunerationis acquirit, & temeritatis pœnam, præsumptrix seruitus non euadit. Quis non vocatus ad aulæ regalis se proripit seruitutem? Quis sine titulo militem se ausus est profiteri? Quis sine dignitatis infulis, nomen dignitatis inuadit? Et si hæc penes homines solicita, cautaq; sunt, si ratione constant, si conualescunt ordine, si tremore seruantur: quantò penes Deũ magis cauta est deuotio, magis tremenda seruitus, magis solicitus cultus, vt diuinũ ratione præstet obsequium? d Rationale, inquit, obsequium vestrum. Obsequium ratione calens, feruor est: furor est, quod ratione nõ frænatur. Hinc Iudaicus populus, Deum, dum sibi præter rationem quærit, Deum, cui cum ratione seruiebat, amisit. e Hinc filij Aaron, dum rationis sunt immemores, dum præsumunt terrenos ignes diuinis ignibus odmouere, flammam sacrificij salutaris in pęnale sibi incendiũ commutârunt. f Hinc Saul, tremens regali vertice, dum putat sibi & de sacerdotio quid licere, regnum, quod acceperat, altaris, temerator amisit. Hinc Iudæus, dum legem sine legis ratione excolit, legis interemit auctorem. Hinc gentilis, dum Deorum populis, & Deorum monstris, nescius rationis obsequitur, ad Dei, qui vnus & verus est, peruenire non meruit seruitutem. Hinc Arrius, patri se putat obsequi,

c Rationabile obsequium Deo placens quod. Rom. 15. v. 1.

d Exẽpla irrationabilis obsequij Deo. Exodi 32.

e Leuit: 10.

f 1. Regnm 15.

qui, filium blasphemando: & dum filio dat initium, patri finem miserandus imponit. Hinc Photinus, dum coæternum patri filium negat, pater, vt pater non semper fuerit eloborat. Hinc omnes hæreses, dum feruntur ad diuinitatis iniuriam, dum Trinitatis mentiuntur vocabulis, blasphemiis obsequuntur. a Nos autem fratres, & corpora nostra aptemus in viuam Dei hostiam, & obsequium nostrum rationabile procuremus, vt sit fides vera, pura conscientia, mens sobria, spes firma, cor mundum, caro casta, sanctus sensus, pius animus, tuta ratio, casta charitas, larga misericordia, vita sancta, verecundus habitus, &, ad omne Christi obsequium, humilitas, nostrum semper comitetur incessum. Quod nobis præstare dignetur Deus, in Trinitate indiuisa, perpetuò benedictus, Amen.

a Conclusio exhortatoria ad oblationem spiritualẽ fructuosam

Sermo octauus.

DE SACRIFICIO NOVÆ LEGIS: ex testimoniis Patriarcharum, legalibus, typicis, & Propheticis.

Cap. I.

SVmmum illum fidei Patriarcham Abrahamum, desiderasse diem Messiæ saluatoris, eamq; demum conspexisse, ipsemet Dominus attestatur: diem vtiq; non qua, secundùm Apostolum, existit in sæculo Deus super omnia benedictus: sed qua hodie & heri, hoc est, in tempore, secundùm carnem, fuerit natus: diem, inquam, non in qua in vnitate paternæ essentiæ Deus est inconspicuus, quem nemo hominum vidit, sed nec videre potest: sed secundùm quam ipse, Verbum, & vnigenitus in sinu Patris caro factus, nobis apparuit, & arcana cælestia reuelauit. c Ideóq; dies ista, reputanda est pro tota vita Saluatoris nostri, quam in terris exegisset, & pro omnibus, quæcunq; in opere humanæ redemptionis præstitisset. Quæ, etsi Abrahamo fuissent diuinitùs intimata in varijs præsignationibus: maximè tamen, & singulariter, præcipua reparationis nostræ mysteria, consignata sunt in illa apparitione, quæ describitur d Gen. cap. 18. Ibi namq; ipse locus apparitionis decliuior, insinuat filij Dei in formam serui futuram exinanitionem: tempus autem meridiei, calore feruentis, nota est nouæ legis, claritatem simul, & feruorem charitatis exhibentis. Tres personæ, sub vnius Domini denominatione, præseferuut tres personas Diuinitatis, sub vna,

b Abraham vidit diẽ Christi, eiusq; redẽptionis mysteria. Ioan 8. v. 56. Rom: 9. v. 5. Hebr: 13. v. 8. 1. Timoth: 6. v. 16. Ioan: 1. v. 18. Irenæus lib: 4. Cap: 12. & deinceps.

c Incarnatio & vita Christi dies reputatur. Ambrosius in Psalm: 43.

d Apparitio filij Dei ad conuallẽ Mambre, præcipua redemptionis mysteria exprimens. Gen: 18.

vna & indiuisa essentia: simul etiam tres naturas in Christo, Diuinitatem, carnem ex virgine sumptam, & animam rationalem, in vnica diuinitatis persona. [a] Porrò inuitatio Abrahæ præoccupans, & sollicita, denotat desideria Patriarcharum, quorũ oculi ab initio promissionis diuinitùs factæ, desiderabant videre filium Dei incarnatũ, vt [b] Simeon, & ipse Dominus attestatur. Iam verò, exceptio tantorum hospitum, inchoata à pedum ablutione, respondet professioni fidei, quæ fit per baptismum, qui est ianua salutis. Subsequuntur mysteria Incarnationis, & per eam adipiscendæ benedictionis, in promissionibus ipsi Abrahæ, & Saræ vxori eius, factis, quæ nos [c] alibi suo loco explicuimus. [d] Finitur autem apparitio illa, vltima bonorum vel malorum retributione: quando Abrahæ quidem fides, beneuolentia, & hospitalitas, summam remunerationem, Sodomitarum autem, & Gomorrhæorum iniquitas, & finalis impœnitentia, extremam pœnam, & damnationem sortitur.

a Typus Incarnationis & aduentus Christi.

b Lucæ 2. v. 30. Lucæ 10. v. 24.

c In prima parte Christologiæ sermone 8. & 14.

d Typus extremi iudicij.

Cap. II.

[e] Præcipuè autem, & singulariter, ad propositum nostrũ, in illa apparitione, præsignatum est sacrificij, cruenti simul & incruenti, nouæ legis mysterium. Inuitantur enim illi cælestes hospites, & vltrò subeunt, ad requiem, sub certa arbore comparandam, quæ est crucis Dominicæ symbolum: [f] per arborem quoq; illam, cælos attingentem, quam visione exceperat Nabuchodonozor, præsignatum, in qua, & sub qua, omnia animantia, sedem & quietem suam inuenirent. In hac enim filius hominis [g] à terra exaltatus, omnia traxit ad seipsum: & per eam, requiem verã, antiquis Patribus in typo promissam, in terra viuẽtium, verè fidelibus suis præparauit, vt in sexto Sermone ostendimus. Iam verò, eius exceptionis & requiei, duo præcipua memorantur condimenta. [h] Primum quidem, tria sata farinæ commixta, & in panes subcinericios redacta: quæ competenti mysterio, designant sacrificium proprium Christi incruentũ, per quod ille, tanquam sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, reliquit nobis sumendum corpus suum, ex triplici natura (vt modò diximus) quasi tribus satis farinæ, hypostaticè coniunctũ, & per Mariam, quæ verè est Sara, siue Domina, ad eiusmodi salutare epulum subministratum. [i] Rursus autem vitulus tenerrimus, & ex gregibus optimus, per ipsum Abrahamum mactatus, & mensæ eidem appositus, denotat eundem filium Dei, speciosum formâ præ filijs hominum, cui tamen Deus pater non pepercit, quin illum daret, & morti traderet, vt more serpentis, in ligno exaltatus, â serpente infernali ictos, ad sanitatem, & vitam reuocaret: & sic sacerdotio Aaronico, per sanguinem, non amplius animalium, sed suum, qui Deus est, proprium, finito,

e Typus sacrificij nouæ legis cruenti simul & incruenti.

f Dan: 4. v. 7.

g Ioan 12. v. 32. Heb: 4. v. 6.

h Panes subcinericij ex satis farinæ tribus signãt Eucharistiam. Gen: 18. v. 6.

i Vitulus occisus denotabat Sacrificium Christi cruentum. Gen: 18. v. 7. Psalm: 44. v. 3. Ioan: 3. v. 14.

finito & consummato, sacerdotium incruentum, perpetuum, sibiq; proprium, ad finem redemptionis humanæ exequeretur. [a] Quod & quidem sacerdotium, quamuìs superiori Sermone, ex doctrina solius Pauli Apostoli, plusquã digito demonstrauerimus: ne tamen putent aduersarij, eiusq; oppugnatores, Ecclesiam Catholicam, alijs etiam pluribus testimonijs sacris in hoc destitui: in præsenti Sermone proposui, prout spiritus diuinus [b] suggerere voluerit, hoc ipsum nouæ legis sacrificium, eiusq; mysteria, & doctrinas necessarias, elucidare. In prima quidem parte, testimonijs ex lege naturę, & Mosaica: in secunda verò, ex vaticinijs Prophetarum. Vos interim auditores, sicut corda, sic aures sursum habeatis, ad tanta mysteria condigna deuotione & fructu capienda.

a Argumentum & partitio Sermonis.

b 1. Cor: 12. v. 11.

Prima pars.

Cap. III.

HOmini prædito ratione (quæ vtiq; portio est sui creatoris) innatum est, Deum nosse, & quod exinde consequitur, illum mente, & externo aliquo ritu, colere. Omittamus eius rei plura sacra & gentilica testimonia. Ad vtrunq; enim horum sufficiet solius S. Pauli doctrina: qui inter Atheniensium simulachra, inueniens Aram ignoto Deo inscriptam, edocet illos, Deum verum, quem colerent, non posse esse ignotum: cùm natura [c] idoli est, vt nihil sit, (quemadmodum alibi scribit) Deus autem propriè est ipsum ens: ideóq; creaturæ rationali, etiam secundùm ipsorum Poëtam, veluti ingeneratum est; vt sicut cognitionem, sic cultum quoq; externum, qui potissimus fit in altari per sacrificium, ipsi propriè deferre debeant. Confirmatur idipsum [d] eiusdem Apostoli, eiusq; socij Barnabæ, exemplo: Quibus, cùm propter miraculum, diuinitùs exhibitũ, sacerdos cum populo Lystris habitante, coronas & taurum sacrificare vellẽt, eiusmodi cultum à se, qui homines essent, ad Deum verũ & viuum conuerterunt. [e] Sed & Angelus, personam Dei gerens, idipsum fecisse legitur: sic Manue, eiusq; vxori, sibi hædum sacrificare volenti, respondens: Si me cogis, non comedam panes tuos: si autem vis holocaustum facere, offer illud Domino. [f] In eandẽ sententiam, S. Martialis, vnus ex septuaginta duobus discipulis Domini, sic scribit ad Burdegalenses: Dum altaria Dæmonum in puluerẽ redigerentur, Aram ignoti Dei, ad cõsecrationem reseruari iussimus: Qua, dedicata in nomine Domini Dei Israel, & ipsius testis Stephani, qui pro eo â Iudæis passus est, non hominis cultum, sed Dei, in ea (nota hîc sacrificij vetustatem) frequentatis, Stephanus enim non

Ad Dei notitiam & cultum homo naturaliter propensus.

Actor: 17. v. 23. 1. Cor: 8. v. 4. Exodi 3. v. 14.

c 1. Cor: 8. v. 4.

d Actorũ 14. v. 11.

e Iudicũ 13. v. 16.

f Ara ignoti Dei vero Deo in memoriã S. Stephani reconciliata. Mart. Epist: ad Burdegalen: Cap. 3.

Deus,

Deus, sed amicus Dei fuit,(hîc etiam,& in sequentibus nota, Christū esse Deum) qui pro testimonio eius, animā suam posuit: cuius (Christi Dei) sanguine, ipsa mensa (id est altare, de quo suprà dixerat, à participatione sacrificij sic dicta) est decorata. Quia suo sanguine, Iesus Christus, comprobatus est esse Deus: & qui crediderit, ornamenta fidei maiora perceperit. [a] (Per quæ vltima verba, puto S. Martialem significare voluisse, sanctorum virorum, ardentissima fide offerentiū, circa altare visiones ipsius præsentiæ Christi, citra, vel suprâ, velamina specierum Eucharistiæ: de quibus quoq; Dionysius Areopagita attestatur.) Sacrificium enim Deo creatori offertur, non homini, neq; angelo. Hucusq; Martialis. [b] Similiter Augustinus, cū illi Faustus, vel potius infaustus hereticus, obijceret: Nos Christianos vertisse idola in Martyres, quos votis (dicebat ille) similibus colitis: defunctorum verò vmbras vino placatis, & dapibus: sic respondet: Populus Christianus, memorias Martyrum, religiosa solennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, atq; orationibus adiuuetur. Ita tamen, vt nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum sacrificemus: quamuis in memorias Martyrum cōstituamus altaria. Quis enim Antistitum, in locis sanctorū corporum assistens altari, aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? (nota, etiam coætaneos sanctos mortuos fuisse tunc inuocatos) sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronauit, apud memorias eorum, quos coronauit: vt ex ipsorum locorum admonitione, maior affectus exurgat ad acuendam charitatem, & in illos, quos imitari possumus, & in illum, quo adiuuante possumus. Deinde Augustinus, postquam distinxisset cultum eiusmodi reddi, sanctis quidem maximè iam gloriosis, ex charitate & reuerentia, Deo autem ipsi, ex ipsa seruitute seu latria, idemq; exemplis sacris (quorum vnū [c] quoq; nos suprà adduximus) declarasset, sic demum concludit. Sed quid agam? & tantæ cœcitati hæreticorum, quando demonstrabo, quam vim habeat, quod in Psalmis canitur: [d] Sacrificiū laudis glo- "
rificabit me, & illic via est, vbi ostendam illi salutare meum: vbi Au- "
gustinus, per salutare Dei intelligit Christū, veræq; eius carnis, oblationem & participationē: quod exponunt verba immediatè sequentia. Quæ, antequam citabo, inseram similem sententiam ex eodem [e] Psalmo, in hæc verba: Congregate illi sanctos eius, qui ordinant "
testamentum eius super sacrificia. Sensus enim est: eos, qui in extre- "
mo iudicio erunt beatificandi, characterem ferre, culturam incruenti ac iugis sacrificij, propter quod tollendum, maximam quoq; ab Antichristo persecutionem patientur. Sequuntur iam verba reliqua Augusti-

a Sacrificantiū olim ad Altare visiones.
Dionys: Eccle. Hierarch. cap: 3. Et Epist: 23. ad Bonifacium de Carpi exemplo.
b Sacrificiū quomodo Deo offertur ad memorias Martyrum.
August: con: Faustū lib: 20. cap: 2. & con: aduersarium lib: 1. Cap. 18.
Cap. IIII.
c Iudicū 13. v. 16.
d Iugis Sacrificij quantus cultus Psalm: 49. v. 23.
e Psalm. 49. v. 5.

Augustini: [a] Huius sacrificij caro & sanguis, ante aduentum Christi, per victimas similitudinum promittebatur: in passione Christi, per ipsam veritatem reddebatur: post ascensum Christi, per sacramentum memoriæ celebratur. Istam Augustini distinctionem nos insequentes: (veritatem ac memoriam oblationis Christi, explicationi historiæ passionis Christi, ad crastinum diem Parasceues reseruando) nunc duo reliqua prosequamur. Et primò quidē, exempla typica, & alias præsignationes, vnici istius & veri sacrificij ([b] quod, teste eodē Augustino, omnia reliqua superiora expleuit, & conclusit) ab initio mundi præmittemus: deinde comprobationē ipsam, apertioribus veteris paginæ sacræ testimonijs, Deo duce prosequemur.

Cap: V. Principiò autem, maximè probabile esse videtur, primos parentes nostros, qui principaliter ad notitiam, & cultum veri Dei, conditi essent, sacrificio etiam externo, quo eundem cultum profiterentur, non fuisse destitutos. [c] In statu namq; innocentiæ, congruebat eis, ex optimis illis Paradysi fructibus, sacrificium gratiarum actionis & laudis: in statu autem peccati, necessariò superuenit sacrificium propitiationis, quod respiceret illam promissionem: [d] Mulier,
" vel semen mulieris, conteret caput serpentis. Quæ sententia, vel sal-
" tem opinio, probabilis, colligi potest: primò quidem ex testimonio Clementis Romani, Cyrilli, & Epiphanij, qui asserunt, Adamum, edocuisse posteres suos, Deo sacrificium offerre, in protestationem fidei, futuræ liberationis, per semen mulieris promissæ. Consentiunt & antiquissimi Hebræorum, talia sacrificia offerenda, posteros ab Adamo accepisse. [e] Addit Athanasius, ipsum Abelem, prout à patre didicerat, de primogenitis Deo obtulisse. Quod ergo Adam filios edocuit, quidni ipse facto præmisisset? Ex hac opinione, solui potest
" illa quæstio perplexa, de pelliceis tunicis, quas Adamo, & Euæ Do-
" minum fecisse, scriptura apertissimè testatur. Non enim erat necesse,
" (quod Origenem ad duram allegoriam pertraxit, si Epiphanio credi-
" mus) vt Deus, vicem quasi coriarij gerens, pelles, sicut cęlum ipsum, in vestes extenderet. [f] Sed sufficiebat, vt creator, sicut antehac, ante lapsum, ingesserat Adamo, sacrosanctæ Trinitatis, atq; Incarnationis mysteria: sic etiam post lapsum, suggesserit futuri sacrificij, per semen mulieris promissum, proprio sanguine exigendi typum, in mactandis, & offerendis animalibus: ex quibus pelles reliquas, siue similis instinctus creatoris, siue necessitas ipsa naturalis, in vestitum deposceret. Et sic verba præscripta, de quibus magna est concertatio, fortassè non inconuenienter exponerentur: quòd primi homines, talem quidem instinctum, vestitus animalium, à Deo accepissent in Paradyso,

a Sacrificiū legale cruentū & incruentū, quomodo differunt.
b Sacrificiū Christi omnia procedentia compleuit & conclusit.
August. de Ciuit. lib: 10. Cap. 20. Et lib: 20. Cap. 20. Idem con: aduersarium legis lib: 1. Cap. 18.
c Primorum hominum in Paradiso Sacrificium.
d Genes: 3. v. 15.
Clemens lib. 1. Recognit.
Cyrill. Alex. lib. 4. in Iulianum.
Reuclinus lib: Cabalæ.
Epiphanius. initio Panarij.
e Anathas: Epist: de nicœna Synodo. Et in verba. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.
f Tunicæ pelliceæ primorū parentum vnde. Gen: 3. v. 21.
Origenes in expositione huius loci teste Epiphanio in Ancoratu.
Adam mysteriorum capax.
Athanas. initio libri cōtra hæreses.

a Thom: 2. 2æ. quæst. 2. art: 7. — *b Gen. 1. v. 24.* — *c Gen. 3. v. 22, Psalm: 48. v, 13. 21.* — *d Adam sacrificium, sicut Dauid templū perficiendū reliquit. 1. Paralip: 22. v. 8*

Paradyso, sed eum tunc postmodum, [a] in opus & vsum reducerent, quando fuissent expulsi in inferiorem terram, in qua (non certè in Paradyso) animaliū [b] species (non arcta indiuidua) à creatore fuissent constitutæ, quæ tùm sacrificij, tùm ipsius vestitus vsum subministrarent. Qualem certè anticipationem, & expositionem, confirmat subsequens illa irrisio Creatoris, sic dicentis: [c] Ecce Adā, quasi vnus ex nobis, sciens bonum & malum, &c. Quod etiam intelligit Psalmista dicens: Homo, cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumētis insipientibus, & similis factus est illis. [d] Quemadmodum igitur Dauid, homicidijs pollutus, præparauit quidem templi necessaria, sed edicto diuino, ipsam exædificationem, Salomoni filio pacifico reliquit perficiendam. Ad eundem modum Adam, accepit quidem diuinitùs sacrificandi modum: sed quòd per præuaricationem, totam suam posteritatem, priùs etiam quàm nascerentur, originali culpa peremisset, exercitium & frequentationem eiusmodi sacrificij, primæ posteritati reliquit.

Cap. VI. — *e Oblatio Adæ suæq; posteritatis ex quibus debebatur. Gen: 4. v. 3.* — *f Genes: 1. V. 30.* — *g Ouile genus cur ad sacrificia frequentius.*

Iam igitur mysteria Caimi, & Abelis, expendamus, & primò quidem ex parte materiæ, seu rerum oblatarum. [e] Cùm enim sacrificium, ex optimis, quæ Deus concessisset, ipsi debeatur: conueniens esse videtur, Adam, siquidem in innocentia permansisset cum sua posteritate, oblaturum fortè fuisse ex optimo fructu Paradysi, qui erat ex ligno vitæ, antequam illo ad seruandam immortalitatem vesceretur. Sed quia pulsus ex Paradyso, addictus est glebæ terrestri, & quidem maledictæ: meritò, ad consequendam terræ istius promissam benedictionem, offerre per suam posteritatem debuit, quę optima eadem ex terra producerentur. Rursus verò, quia per terræ incolatum, [f] acceperat Adam, suaq; posteritas animalium, non solùm dominium, vt in creatione, sed etiam possessionem, & vsum: æquum erat, vt ex illorum quoq; primitijs, creatorem suum veneraretur. [g] Ex varietate autem illorum animalium, delectum quoq; erat ad eiusmodi cultum ouile genus: quia nō solùm vestitu, vt dictum est, sed etiam statu, referebat conditionem hominis, naturâm quidem mansueti, & innocentis, sed peruersitate Diaboli, ad æternam perditionem dispersi, nisi ei, per cęlestem Pastorem, qui vicissim ex ligno dispersum gregem reuocaret, prouideretur.

h Abelis eiusq; sacrificij ad Christū comparatio. — *i Hebr: 7. v 26.*

[h] Cuius propterea typum gessit Abel: qui, quamùis ex radice, recens peccato inquinata, prodiens, tamen primus iustus & innocēs, propriè præsignat Christū, pastorem, & pontificem cælestem: quamùis ex genere peccatorum, [i] tamen iustum, sanctum, impollutum, & à peccatoribus segregatum, qui perditas oues suas, proprio sanguine vindicatas, & proprio corpore saginatas, ad æternum ouile perduce-

a Eccli. 47. v. 2. — *b Psalm. 44. v. 3.* — *c Abelis & Caimi oblatio quàm & in quo diuersa.*

perduceret, & congregaret. Ideò commendatio hostiæ Abel, peroptimè correspondet hostiæ Christi. Obtulit enim Abel de primogenitis, Christus etiam erat primogenitus, insuper etiam vnigenitus Dei Patris, & Mariæ virginis matris. Abel obtulit ex adipibus gregis sui: Christus autem magis [a] quàm pater suus, secundùm carnē, Dauid, quasi adeps separatus à carne: sic ille separatus, non solùm à filijs Israel, sed, teste ipsomet Dauid, [b] à filijs hominum, super illos apparens forma speciosus. Deinde hostia Abel, præsignabat hostiam Christi, in comparatione ad oblationem [c] Caimi repudiatā. Quantum enim ad literam, hostia Caim intelligitur habuisse defectum, primò, respectu materiæ. Cùm enim Caim non memoratur ex optimis, sicut Abel, munera Deo obtulisse: non ineptè conijcitur, deteriora cultui superno, seruatis melioribus, obtrusisse. Deinde, in ipsa forma, seu intentione offerendi. Obtulit enim Caim Deo, suæ agriculturæ pensum seu incensum, sed non interiorem cordis, quem Deus magis requireret, sensum vel affectū. Quod indicat ipsa repræhensio Domini, sic dicentis: [d] Nonné, si benè egeris, recipies: sin autē malè, nonné statim foris peccatum tuum aderit? His enim verbis, videtur Dominus requirere à Caimo, non solùm virtutem, sed etiam actum bonum virtutis, vt quod est bonum, benè etiam faceret.

d Caim benè offerens quomodo male diuisit. Gen. 4. v. 6. — *e Iustinus Martyr in quæst: respōs: Cap. 119. Irenæus lib. 4. Cap. 39. Cyprianus serm. 6. de Oratione Dominica. Ambr. serm. 9. de Caim & Abel Cap. 6. Cyrill: Alex. lib. 2. in Genesim. Chrysost: homel. 18. in Genesim. Iudicum 6. v. 21. 3. Regum 18. v. 24. & 39. Glossa ordinaria ex Hieronymo & Theodoreto in hunc locum: Psalm. 147. vers. 3. Ambros. lib 2. de Caim & Abel Cap. 5.* — *f Gen: 4. ve. 7.*

[e] Cui sensui, secundùm antiquos Doctores, aptari potest alia septuaginta Interpretum versio, quæ dicit: Nonne, si rectè offeras, non rectè autem diuidas, peccasti? Rectè siquidem Caim offerebat, quia ex substantia sua, & vero Deo: sed non rectè diuidebat, quia fortè non de primogenitis, & adipibus frumenti, (vt loquitur Psalmista) neq; pleno & resignato in Deum affectu, vt faciebat frater suus. Ideóq; cùm hostiam fraternam acceptari, (fortasse ignis cælestis accensione, vt alia scripturæ exempla testantur) suum autem reprobari, cerneret, nō correxit errorem & vitium, pœnitentia, quam Dominus suggerebat, sed superbiâ quidem, & præsumptione in Deum, in fratrem verò odio lethali exarsit. Ideò à cordium scrutatore, qui non vult mortem peccatoris, sed potiùs vt conuertatur & viuat, sic corripitur: [f] Sub te sit appetitus tuus, & tu dominaberis illius: vel, (vt Græca habet versio) Quiesce, ad te conuersio eius, & tu dominaberis illius. His verbis enim Deus compellat conscientiam, seu syntheresim Caimi, vt quæ ipsa recta ex ratione dictaret, affectu & concupiscentia bestiali potiùs quàm humana, non deprauaretur: Quasi clariùs diceret: Recollige te ex primo motu, & resipisce ex culpa concepta, ne illam, in opus indurationis quidem erga Deum, & cædis conceptæ in fratrē, reducas.

Cap: VII.

E conuerso, hostia Abel erat Deo accepta ex sequentibus

tibus rationibus. Prima: quia, secundùm Apostolū, [a] erat plurima, hoc est, quoad materiam abundans, & ex optimis electa. Deinde, quòd (vt addit Apostolus) offerebatur fide: Caimi autē oblatio, sine fide formata, iudicio eiusdem Apostoli, erat potius peccatum. Obtulit autem Abel fide, de qua ibi loquitur Apostolus iustificante, quæ erat in venturum Messiam. Primò enim obtulit Deo cor, & affectum suum in spirituale holocaustum: deinde, oblationem illam externā, simul & internam, referebat ad promissionem venturi seminis muliebris, quod contriturum esset caput serpentis. [b] Quod Rupertus piè simul & eleganter sic expressit: Caim cor suum retinuit sibi, & fructus terræ obtulit Deo. Abel autem, primò cor suum, deinde rem suam offerendo, plurimam hostiam per fidem obtulit: credendo scilicet futurum esse, [c] vt versaretur, seu remoueretur gladius ille, quē colocauerat Dominus ante Paradysum, ad custodiendam viam ligni vitæ: credendo, inquam, futurum esse semen illud mulieris, quod contereret caput antiqui serpentis. [d] Hac fide emeritū, non dubitandum est Prophetiæ quoq; spiritum accepisse, & illud semen mulieris, inter quod Deum audierat posuisse inimicitias, & inter semen serpentis, sciret non tantùm fore semen mulieris, sed & filium Dei, qui verus agnus Dei per suam innocentiam, serpentis conculcaret malitiā, & per suum sanguinem, flammeum gladium restingueret. Hæc Rupertus. [e] Et sic oblatio illa continere poterat, sacrificium gratiarum actorium, & laudis, pro tanto liberationis adhuc absconditæ sacramento: Deinde propitiatorium, vt ad exemplar profusi sanguinis animalium, profusione sanguinis filij Dei redemptio consignata, adueniente temporis plenitudine, ad effectum deduceretur. Sed nec tertia sacrificij intentio, ab illo statu hominis, erat aliena, vt nimirum à malis quidem præseruarentur, vel liberarentur ipsi offerentes, bonis verò donarentur, vel in eis conseruarentur. Insuper Abel, non solùm munera sua, & cor suum, sed etiam corpus & animam, hoc est, seipsum per proprium sanguinem, Deo obtulit holocaustum, vt expressior figura sacrificij Christi, in proprio sanguine euaderet. Qua de re sic [f] Cyprianus: Abel pacificus, & iustus, dum Domino sacrificat innocenter, docuit & cæteros, quando ad altare munus offerunt, sic venire cum timore Dei, cum simplici corde, cum lege iustitiæ, cum concordiæ pace. Meritò ille, dum in sacrificio talis esset, postmodum sacrificium Deo factus: vt Martyrum primus ostendēs, initiaret, & sanguinis sui gloria Dominicam passionem, qui & iustitiam habuerat, & pacem. Hæc ille. [g] Inde etiam Doctores sacri, trahunt allegoriam congruentem: quòd, sicut Abel iustus, à maiore fratre,

[a] Hostia Abel cur Deo accepta. Hebr: 11. v. 3 Rom: 14. v. 23.

[b] Rupertus lib. 4. in Genesim Cap. 2.

[c] Genēsis 3. v 24.

[d] Abel per spiritum, incarnationis & redemptionis conscius.

[e] Abel sacrificiū triplex, & seipsum obtulit.

[f] Cyprianus serm. 6. de Oratione Dominica. Tertull. con: Iudeos Cap. 5.

[g] Martyriū Abel typus passionis Christi. Augu. con. Faustum lib. 12. Cap. 9. & 10.

Cap. VIII.

fratre, sed reprobo, foras euocatus: sic Christus, qui peccatum non fecit, sed hominum peccata sustulit, à populo priùs quidem electo, sed postmodum reprobato, extra portam eductus, occisus est. Credibile autem est, vtrumq; fratrem, non simul, sed successiuè obtulisse: ita, vt in oblatione sua reiecta, Caim vultu (vt ait Dominus) ad iracundiam concideret, demum verò in oblatione Abel, cælitus acceptata, animum furentem in fratris necem detorqueret. Quæ consideratio, neq; à Christi prototypo aliena est. Siquidem & ipse, tum propter charitatis ardorem, quoàd ipsam passionem (vt [a] ipse dicebat) vrgebatur, tum propter fraudulentam Iudæ, ex buccella illius participationem, passionis, quam in cruce propriè exegisset, agonem, in ipsa Cœna inchoasset: & (vt [b] loquuntur antiqui Doctores) pro ineffabili sacrificij modo, præoccupauit violentum impetum, & præueniendo mortem suam, in sacramento passus, quæ noluit in morte, in ipsa Cœna mysticè seipsum occiderit. Deniq;, quòd oblatio Caim reiecta, Abelis verò sanctificata fuerit, vltima ratio occurrit: quia Caim obtulerat ex frugibus terræ maledictæ, spinas & tribulos peccati generante: expectanda ergo erat [c] promissa temporis plenitudo, in qua, secundùm Psalmistam, [d] benediceret Dominus terram suam, hoc est, præuisam illam fœminam, & data benignitate gratiæ, Dominus de cælo prospiceret, & misericordia, & veritate, per Incarnationem sibi obuiante, terra daret fructum suum, illum nimirū, ex vtero Mariæ benedictum, per quem auerteretur captiuitas Iacob, & remitteretur iniquitas plebis suæ: [e] atq; ex tali germinatione cęlesti simul & terrena, exoriretur hominibus panis de cælo verus & viuus, super quem (iuxtà [f] Ieremiæ vaticiniū) immissum lignū crucis, vtramq; istam oblationem cruentam nimirum Abelis, & incruentam Caimi, veluti conciliaret, & ad vnam redemptionem cōiungeret: & oblatio ex terræ fructu, quamùis ordine & conditione offerentis prior, non nisi ex subsequenti cruenta vigorem acciperet. Quod etiam intellexit [g] S. Ambrosius, sic scribens: Sciuit etiam Abel diuidere, qui ex primitiuis ouium obtulit sacrificium: docens, nō terræ munera placitura Deo, quæ degenerauerant in peccatores: sed ea, in quibus diuini gratia mysterij refulgeret. Hæc ille. Sed talibus mysterijs, altiùs quàm vnquā legissemus defossis, ne fortè pusillo captu nostro obruamur, ad reliqua planiora exēpla nos reuocemus.

Cap: IX.

[h] Igitur ex his, quæ dicta sunt, nemo dubitauerit, reliquam Adæ posteritatem, exemplo maiorum suorum, similibus sacrificijs Deum coluisse. Inter quos, ex primis illis, & antiquissimis, Clemens Romanus, in formula Apostolica consecrationis Episcoporum recenset, A-

Ambros. lib. 1. de Caim & Abel. Cap. 1. Heb. 13. vers. 12.

[a] Lucæ. 12. V. 50.

[b] Gregorius Nissæni oratione de resurrect. Chry: Thom. 24. in Cor. 10. Hesichius li. 2. in Leuiticum Cap. 8. Greg. hom. 7 in Euangelia. Leo. 1. Serm. 7. de passione.

Gen: 3. vers. 17. [c] Galat. 4. vers. 4. [d] Psalm: 54. v. 1.

[e] Sacrificiū cruentum debebat pręcedere incruentum.

[f] Ierem. 11. v. 19.

[g] Ambr: initio lib. de Incarnationis Dominicæ sacramento.

[h] Sacrificia futuris mysterijs refer ta offerebat Adæ posteritas. Clem. lib. 8. Constit: Apost: Cap. 3. Epiphanius initio Panarij.

bel, Seth, Enos, Enoch, Noë, Melchisedech, & Iob: ex posterioribus verò Abrahamum, Moysen, Aaronem, Eleazarum, Phineem, & Samuelē. De sacerdotio & sacrificio Melchisedech, Moysis, & Aaronis, suprà in Sermone sexto, de Abelis verò hucusq; dictū est: reliqua igitur prosequamur. [a] Inprimis autē obseruatione dignū est, oblationē, ex fructu terræ, in posteritate Caim delituisse, vsq; ad Melchisedech, in quo, futurū Christi æternum sacerdotium, in typo consignaretur: hostias verò animalium, etiam cruentas, in reliqua posteritate Adæ resedisse. Tale enim sacrificium, à parente, & occiso fratre, veluti per manus traditū, Seth exercuisse, dubium esse non debet: contestante idipsum Eua matre, natiuitatem Seth, elogio antiquis consueto, sic excipiente: [b] Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit » Caim. Attestatur etiam Suidas, eum tantæ sanctitatis extitisse, vt sicut postea Moyses [c] Deus Pharaōnis, sic ille Deus appellari meruerit: » adeò, vt eius quoq; immediata posteritas, reputaretur in numero [d] filiorum Dei, qui postmodum filiis Caim carnaliter commiscerentur. [e] Idipsum de Enos, ipse sacer contextus attestatur dicens: Ipse » cœpit inuocare nomen Domini: Cuius inuocationis ritus, sine dubio potissimus erat oblatio, seu sacrificiū, tanquam cultus Latriæ, Deo proprius. Eum igitur cultum, quomodo Caim & Abel, & fortassè ipse primus parens Adam, habebat domesticum, & priuatum: consentaneum est, quòd Enos publico & solenni aliquo ritu exegerit, & ad alios in populo Dei transmiserit: vberiori etiam aliqua suprà suos maiores mysterij reuelatione. Quod innuit Glossa huius loci Interlinearis, quæ super verba ista (Cœpit inuocare nomen Domini) annotat: Confitens Deum conditorem, & vitæ reparatorem. Ordinaria verò Glossa insuper addit: Enos, id est, homo, cœpit inuocare nomen Domini: quia per mortem Christi, quam significauit Abel, & per resurrectionem, quam significat Seth, fit homo confitens Dñum conditorem, & vitæ perditæ recuperatorem. Hæc ibi. [f] Porrò de sacrificio Henoch, etsi nihil exprimat Scriptura: tamen quando ponit effectum, causam præsupponere intelligitur. Cùm enim Abrahæ dictum fuerit: Ambula coram me, & esto perfectus: è conuerso, communiter in Scriptura, hominibus à Deo electis, & ipsis etiam Apostolis, sequela Dei demandetur: Enoch autem dicitur ambulasse cum Deo: colligitur exinde, ipsum singulari quadam complacentia & familiaritate Deo adhæsisse. In hunc sensum exponit [g] Ecclesiasticus, & versio septuaginta Interpretum, Enoch Deo placuisse. Deinde, quod vulgata versio habet: Tulit eum Deus, eadem, quas diximus, lectiones vtuntur voce, transtulit, vel translatus est. Ex quibus

[a] Sacrificii cruenti & incruenti succeßio.

[b] Genes: 4. v. 25. Suidas in verbo Seth.

[c] Exod. 7. vers. 1.

[d] Genes. 6. vers. 2.

[e] Enos quomodo cœpit inuocare nomē Domini. Genes: 4. vers. 26.

[f] Enoch Deo placuit nō sine cultu sacrificij. Genes. 5. vers 23. Genes: 17. vers. 2.

[g] Eccli. 44. v. 16.

quibus omnibus conijcitur, Henochum in terris extaticam, & velut cælestem quandam vitæ rationem exercuisse: at quemadmodū Adam (vt suprà diximus) in fide, & meditatione creationis, Abel, redemptionis, Seth atq; Enos, resurrectionis: sic Enoch, in ipsius glorificationis, singulari fide & contemplatione excelleret: eaq; (quantum homini mortali licet) etiam antè tempus potiretur. Et sic secundùm [a] Chrysostomum, & Theodoretum, isto exemplo Deus ostenderet, hominem, non solùm innocentem, ex Paradyso in cælum, sed etiam in statu peccati constitutum, in Paradysum transferri posse. Tantus autem deuotionis ardor, & præcox ad gloriam aditus, absq; summo, & Deo gratissimo cultu, qui sacrificium est, contingere vix potuit: ex illa ratione [b] Psalmi, quā antea ex Augustino adduxi- » mus: Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter, quo ostendā » illi salutare Dei. Et iterum: Congregate illi sanctos eius, (hoc est, ad » beatitudinem obtinendam) qui ordinant testamentum eius super sa-

Cap: X. crificia. [c] Sequitur in ordine positus Noë Patriarcha: quem figuram extitisse Christi, sequentibus rationibus constat. Primò ex nomine: » Noë siquidem sonat requiē, quam populo Dei verè & efficaciter pre- » stitit Iesus Saluator noster, vt Apostolus, Epistola ad Hebræos exponit. Et ipse dicebat de seipso: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Vnde consequitur secunda ratio, quòd eidem magis, quàm illi Patriarchę, conueniat eius nominis pa- » terna expositio, quando dicebat: Ipse nos consolabitur, â laboribus » manuum nostrarum, in terra cui maledixit Dominus. Quamùis enim secundùm exteriorem literam, verba ista intelligantur de terra materiali, quæ aquis diluuij irrigata, & tot cadaueribus & putoribus saciata, insuper etiam cælesti temperie par vsum iridis irradiata, maiorem fœcunditatem acquireret, & consequenter minorem laborē, quàm quem prior maledictio inuexisset, exposceret: maximè verò propter commodiorem rationem agriculturæ, â Noë adinuentam: Tamen veriùs litera interiori, intelligendū est de terra spirituali, hoc est, Ecclesia, quæ spinis ac tribulis, vniuersalis corruptionis oppressa, » & quasi fatigata, [d] per veritatem cælo demissam, hoc est, Christum, » accepit benignitatem: qui postmodum, tanquam verus Noë, & » consolator, eandem terram (vt [e] princeps Apostolorum applicat) baptismo, quasi diluuio spirituali, per totum orbem irrigauit, & verbo vitæ, ac spiritualibus charismatibus impinguauit, ad fœcunditatem gratiæ, & fructum charitatis spiritualem, consequendū. [f] Tertiò, Noë figurabat Christum: Quia sicut ipse noua gratia adinuenta, malitiam quidem mundi aquis suffocauit, iustitiā verò, veluti emundauit

[a] Chrysost: homel. 21. in Genes. Theodoretus quæst: 45 in Genesim.

[b] Psal. 49. v. 5. 23.

[c] Noë in pluribus erat typus Christi. Genes. 5. vers. 29. Hebr: 4. vers. 8. Matth: 11. vers. 28.

[d] Psalm. 84. v. 12.

[e] 1. Pet. 3. v. 20.

[f] Christus verius qoàm Noë renouator mundi & prece iustitiæ.

dauit atq; expoliuit, cuius propterea preco, à principe Apostolorum nominetur: & sic mundum, quodammodo renouauit, vt secundùm Hieronymum, priora eius opera (hoc est corruptionis & nequitiæ) conquiescerent, ipseq; propterea Nóè, hoc est, requies fuerit appellatus: Ad eundem modum, verus Nóè Christus, exhibuit sese verum totius vniuersi instauratorem: quando ad instar cælestis arcus, inter cælum & terram in cruce extensus, [a] diluuium culpæ ab humano genere reuocauit: nouaq; aqua, simul cum sanguinis precio, mundū abluit vniuersum: vt ad quoscunq; aqua illa peruenisset, eius iustitiam & salutem, ad perfectam vitæ, & ipsius mundi renouationem acquirerent. [b] Quartò, Nóè designabat Christum in singulari cultura vitis. Ipse namq; est vitis vera: credentes autem palmites, aut viui ad fructificandum, aut mortui, ad abscindendum, & comburendū. Istam vitem ardentissimæ charitatis, toto vitæ & incolatus sui tempore, iste bonus paterfamiliâs excolere non desiit: donec tandem illa inebriatus, denudationem voluntariæ exinanitionis non sentiens, ad passionis & mortis vsq; opprobrium sese denudasset, vt mox per resurrectionem euigilans, bonis & malis filijs diuersa præmia retribueret. Cùm igitur Nóè cum Christo in tot tantisq; typicè conueniat, in reliquo etiam similem conuenientiam expendamus. [c] Exsiccata namq; ex diluuio terra, dicitur Nóè, iussu Dei, ex arca egressus, ædificasse altare Deo, & ex omnibus animalibus mundis, quæ in arca fuissent conseruata, obtulisse holocaustum: & Dominum odoratum fuisse odorem suauitatis: & exinde pactum, perpetuæ inter se & hominem pacificationis, constituisse. In his enim verbis, excellentia sacrificij Nóè, recipit primam commendationem, ab extructione altaris, ad hoc specialiter designati. Qui enim (inquit [d] Rupertus) arcam iusserat facere homini, in qua saluaretur homo: dignum profectò erat, vt eidē altare faceret homo, in quo Saluator hominis adoraretur ab homine. Vbi satis exprimit Rupertus, altare & sacrificium Nóè, fuisse typum altaris & sacrificij Christi. Ipse enim in diebus carnis suæ, constructa, per vocationem Apostolorum & prædicationem suam, arca spirituali, hoc est (vt loquitur Clemens) Ecclesia nouæ legis, in illa, nouam humani generis germinationem per fidem à diluuio istius sæculi, præseruauit, & per baptismum, (vt scribit Princeps Apostolorum) saluauit. [e] Vt autem eiusmodi saluationem, etiā in cælis ratam redderet, erexit altare Crucis & mensæ, in Cœna nouissima, ex quibus, quæ ex arca illa Ecclesiæ, cuius ipse caput est, mūdissima prodirent, hoc est, corpus suum immaculatum ex virgine, operatione Spiritus sancti desumptum, & simul animam illam ab

initio

2. Petr. 2. vers. 5. Hieron: in traditionibus Hebr: in Genesim.

a Psalm. 31. v. 6. Ioan: 19. v. 34. Esech; 47. v. 2.

b Noê typus Christi in plantāda vite, eiusq; vsu. Genes. 9. vers. 20. Ioan. 15. vers. 1.

c Noê in extructione altaris & sacrificio, comparatur Christo. Genes: 8. v. 20.

d Ruperty super hūc locū Gen. 8.

Clemens Rom. lib. 1. Constit. Apost: Cap. 1.

e Christus mundissima & sacratissima hostia ex arca Ecclesiæ 1. petr. 3. v. 29.

initio beatissimam, assistente vtriq; huic naturæ verbo, in diuina hypostasi, obtulit Deo patri holocaustum iucundissimæ suauitatis. Sicut enim animaliū sanguis in precium, sic odor, vel potiùs nidor, in meritū Deo patri, non potuit esse acceptus, nisi ex illo, de quo ipsemet cælitus fuisset contestatus: [a] Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: & qui, secundùm Apostolum, tradidit seipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo, in odorem suauitatis. Quid enim (inquit Aug.) tàm gratè offerri & suscipi posset, quàm caro sacrificij nostri, corpus effectū sacerdotis nostri? Sic Augustinus. Ideò huius sacerdotis sponsa, hucusq; illū sic inclamat: Trahe nos post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum. Siquidem odorem istū meriti passionis suę, hucusq; ad dexteram Dei patris effundit, existens iugis propitiatio pro peccatis nostris. Hactenus de Nóè dixisse sufficiat.

Cap: XI.

[b] Porrò in apparitione filij Dei Abrahæ facta, non obscuram sacrificij vtriusq; adumbrationem, initio istius Sermonis explicuimus. Quam etiam videtur Abraham continuasse, quando singulis suis commigrationibus & beneficijs, altare Domino constituebat, in eoq; immolabat: vt vel hoc mysterio, iuge, & in gentibus in omni loco, vniuersale sacrificium Christi, à [c] Malachia prædictum, insinuetur. Cæterûm, in duplici sua oblatione, videtur mihi sacer ille Patriarcha, antiquæ & nouæ legis sacrificium distinxisse. Quando enim ipsi, tanquam sterili, Dominus promittebat semen illegittimum carnale, vel terrenum in Ismaêle, simulq; terram istam transitoriam & caducam: talis promissionis symbolum instituit sacrificium variarū bestiarum, [d] sanguine, morte, diuisione, & nocturnis terriculamentis plenum: quod vtiq; designabat sacrificia legalia, quæ signabant quidem peccati futuram expiationem, sed non præstabant: ita vt volucres infernales, à suis insultibus, abigerentur quidem, sed non penitus arcerentur, quominùs captiuitas violenta, ibidem prædicta, in posteritatē Abrahæ, etiam spiritualiter perueniret. [e] Alteram verò oblationem Isaaci, per patrem Abrahamum factam, S. Paulus apertè ad figuram futuri sacrificij Christi deriuat: primò, quando dicit, Abrahamum obtulisse vnigenitum filium suum fide, ea nimirū, quæ in reuelatione, qua Abraham diem Christi vidisset, futura mysteria redemptionis, in futuro eius semine, recondebat. Qua ratione, etiam mons, in quo oblatio ista facta esset, in hunc diem nominatus est, Dominus videbit. [f] Deinde, quòd facta ea filij oblatione, dicitur Abraham filium suum recepisse (quasi ex mortuo viuum) per parabolam, hoc est, significationem passionis, & cruenti simul & incruenti sacrificij Christi: Hoc enim per parabolam intelligi voluit Apostolus

a Math. 17. v. 5. Ephes. 5. vers. 2. August. lib. 4. de Trinit. Cap. 14. Cant. 1. vers. 4.

b In Abraham variæ sacrificij nouæ legis præsignationes.

c Malach. 1. v. 10. Genel. 17. vers. 16.

d Genes. 15. v. 12.

e Oblationis filij Isac mysteria ad Christi passionē deriuata. Genes. 22. v. 1. &c. Hebr: 11. v. 17.

f In Parabola, hoc est, figura oblatus erat Isaac. Hebr. 11. vers. 20. Hebr: 9. vers. 9.

ſtolus hoc loco, ſicut & ſuprà Capite nono, quando eadem voce, tabernaculum legale, ad cæleſte perennis ſacerdotij Chriſti, adaptauit. Sic etiam exponit Gloſſa vtraq;, Lyranus, & communiter Doctores ſacri. Et Auguſtinus parabolam vel ſimilitudinem iſtam, dicit referri ad eum, de quo dicit Apoſtolus: Proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. ᵃ Confirmatur iſte ſenſus Apoſtoli, quando ſuprà in eadem Epiſtola, iuramentum, quod Deus per ſemetipſum Abrahæ poſt oblationem filij firmaſſet, refert ad æternum, & incruentum ſacrificium Chriſti, ſecundùm ordinem ſacrificij Melchiſedech. Et certè parabola iſta, quam Apoſtolus indicat, ſeipſam in hac hiſtoria prodit. ᵇ Duos enim filios (vt idem Apoſtolus ad ſimilem allegoriam accommodat) habuit Abraham, vnum de ancilla, ſecundùm carnem, alterum de libera, ſecundùm ſpiritū, in quo promiſsio benedictionis adimpleretur. Cùm autem eſſent duo filij ex carne Abrahæ, ſolùm tamen Iſaac Deus vocat vnigenitum, & quidem quem diligeret, eundemq; ſibi offerri mandat in holocauſtum: non alio ſanè myſterio, niſi quòd ipſum Deus conſtitueret typum vnigeniti filij ſui, per cuius ſacrificium, promiſſam redemptionis benedictionem perficeret. Perpulchrè S. Irenæus: ᶜ Abraham, inquit, ſecundùm fidem ſuam ſecutus præceptum verbi Dei, prono animo vnigenitum & dilectum filium ſuum conceſſit ſacrificium Deo: vt & Deus beneplacitum habeat, pro vniuerſo ſemine eius, dilectum & vnigenitum filium ſuum, præſtare ſacrificium in noſtram redemptionem. Hæc ille. ᵈ Deinde, ipſa promiſsio vtriuſq; filij, eodem myſterio vacua non eſt. Iſmael ſiquidem exigitur & promittitur, propter hæreditatem temporalem, & in gentem magnam ſecundùm ſæculum, quæ ex ipſo foret priditura. Promiſſio autem Iſaac, ad ſpiritum & gratiam reducitur, quando dicitur Abrahæ: ᵉ Non erit filius ancillæ, hæres liberæ. Et iterum: In Iſaac vocabitur tibi ſemen: illud nimirum, per quod proditurum eſſet ſemen promiſſum mulieris, quod contereret caput ſerpentis. Quod Dominus expreſsè aſſeuerat, inquiens: In ſemine (non in ſeminibus nempe Iſmael, vt exponit Apoſtolus) tuo benedicentur omnes gentes. Expendit etiam S. Paulus ᶠ formulam promiſsionis diuinæ, Abrahæ factæ, quæ talis eſt: Vertente anno, veniam ad te, vita comite, & erit Saræ filius. Vertentem etenim annum intelligimus, ſecundùm eundem Apoſtolum, plenitudinem temporis, ante ſæcula, à Deo præſignatam: vitam autem comitem, non incommodè applicabimus, altiſsimæ illi aquilæ, ſuprà cælos euolanti, explicationi, quando ſcribit, ᵍ Verbum, quod erat in principio apud Deum,

&ipſe

Auguſt. de ciuit. lib. 16. Cap. 32.
Rom: 8. verſ. 32.
a Hebr 6. verſ. 13.
c Iſaac habēs fratrē, cur vnigent9.
Galath 4. verſ. 22.
Ambr: in Pſal. 43.
c Pro oblatione Iſaaci, Deus filium ſuū obtulit. Ierē. lib. 4. cap. 13.
d Promiſsiones Iſaac & Iſmaelis cur diuerſæ.
e Geneſ: 21. v. 10.
Galath: 4. v. 28.
Roman 9. verſ. 7.
Geneſ. 12. verſ. 3.
Galath. 3. verſ. 16.
f Rom: 9. verſ. 9.
Geneſ. 18. verſ. 10
Galat: 4. verſ. 4.
g Ioan. 1. 4. 14.

& ipſe Deus, in quo vita erat, factum eſſe carnem, & habitaſſe in nobis: vt in prima parte, iſtius de Chriſto tractatus, nos explicuiſſe meminimus. ᵃ Porrò, modus, & circumſtantiæ oblationis Iſaac, per omnia ferè correſpondent oblationi Chriſti: de qua, Deo volente, Sermone de Paſsione Domini, erit tractandi locus. Præſenti propoſito ᵇ ſufficiat, Abrahamum verè quidem, & effectiuè, filium ſuum obtuliſſe: & Iſaacum verè quidem, & realiter fuiſſe oblatum. (cùm Deus dicat: Quia feciſti hanc rem, & non peperciſti filio tuo propter me.) Sed filium promiſsionis, & benedictionis, viuum perſeueraſſe, ac illæſum: in ariete verò diuinitùs ſubminiſtrato, paſsionis & mortis iacturam reſediſſe. Quod quidem magis proprie impletum fuit in Chriſto, qui veriùs, quàm Iſaac, fuit immolatus, quia verè occiſus: at in corpore humano, virtute ſpiritus ſancti formato, non deuoratus à morte, ſed voluntariè ᶜ guſtauit tantùm mortem, ſecundùm verò diuinam naturam, manſit immortalis. Ideò à S. Ioanne rectè videtur, & deſcribitur agnus, tanquam occiſus, qui meruerit aperire librū redemptionis humanæ, & ſoluere ſeptem ſignacula eius. Hunc typum Doctores ſacri latiùs expendunt. Inter quos, ſic antiquiſsimus Tertullianus: ᵈ Quoniam, inquit, hæc fuerint ſacramenta, quæ temporibus Chriſti perficienda ſeruabantur, & Iſaac cum ligno reſeruatus eſt, ariete oblato in vepre cornibus hærente: Et Chriſtus ſuis temporibus, lignum humeris ſuis portauit, inhærens cornibus crucis, corona ſpinea in capite eius circumdata. Hoc enim oportebat pro omnibus gentibus fieri ſacrificium, qui tanquam ouis ad victimam ductus eſt, & velut agnus coram tondente ſe, ſine voce, ſic non aperuit os ſuum. Expreſsiùs autem Theodoretus: Proprio, inquit, filio ſuo non pepercit Deus, dixit Apoſtolus. Et Deus Abrahæ dixit: Filio tuo dilecto non peperciſti propter me, Iſaaco videlicet filio, qui typus fuit vnigeniti filij Dei, Domini noſtri Ieſu Chriſti: in quo non diuinæ naturæ non pepercit Pater, ſed carni non pepercit, quæ clauis ad crucem eſt affixa. Immolatio Abrahæ, typus eſt oblati pro mundo ſacrificij. Compone cum veritate typum, & in ipſo quoq; typo, impaſsibilitatem inuenies Deitatis. Vtrobiq; enim Pater, vtrobiq; ſimiliter dilectus: & vterq; gerens ſacrificij materiā. Nam, hic ligna, ille crucē, humeris portauit. ᵉ Ferunt autem & collis verticem, dignum habitum fuiſſe vtroq; ſacro: dierumq; & noctium numerus, & poſt has reſtitutio, ſeu reſurrectio, concordat. Etenim Iſaac, prom pta patris voluntate, ex quo die id munificentiſsimus fieri præcepit, immolatus, tertio deinde die in typo reuixit, humanitſi-

Cap: XII.
Chriſtologiæ. 1. Partis Serm. 8. Origenes homel: 5. in Geneſim.
a Sacrifici. Chriſti cruentum & incruentum ſimul in Iſaac expreſſū.
b Geneſ: 22. v. 16.
c Hebr. verſ. 9. Actorū. 2. v. 31. Apoc. 5. verſ. 6.
d Chriſtus per Iſaac & arietem ſimul figuratur. Tertull. contra Iudæos. Theod: Dialo ἀπαθὴς Clem. 8. conſtit: Cap. 16. Cypr. de patientia & con. Iudæos. Auguſt. de ciuit. lib: 16. cap: 3. Et ſerm. 7. de Tempore, & ſequentibus. Iſaiæ. 53. verſ. 7. Roman. 8. v. 32. Gen. 22. verſ. 12.
e Typo reſurrectionis Chriſti in Iſaac.

manifsimi benignifsimiq; voce. Apparuit verò aries, dependens ex arbore, & crucis imaginem exhibuit, qui pro puero cædem sustinuit.

a Christus verus Deus & homo passus.

a Quòd si in typo veritatis hæc insunt, atq; in typo cædem non sustinuit vnigenitus, sed aries pro eo productus est, & in altari oblatus, sacrificij impleuit mysterium: Quid ita tandem hîc quoq; in ipsa veritate (alloquitur hîc hæreticus) pafsionem carnis non attribuitis, & diuinitatis impatibilitatem non deprædicatis? In eandem sententiã Origenes:

b Christus sacerdos & hostia, cruentè & incruentè oblatus. Origen. hom. 5. in Genesim.

b Quòd, inquit, ipse sibi ligna ad holocaustum portat Isaac, illa figura est, quòd Christus ipse sibi baiulauit crucem: & tamẽ portare ligna ad holocaustum, sacerdotis officium est. Fit ergo ipse sibi, & hostia, & sacerdos. Et infrà: Diximus, inquit, in superioribus, quòd Isaac formã gereret Christi: sed & aries hic, nihilominus formam Christi gerere videtur. Sed quomodo Christo vterq; conueniat, & Isaac qui non est iugulatus, & aries qui iugulatus est, operæpretium est noscere. Christus Verbum Dei est.

c Ioã. 1. v. 1. 14. 19

c Sed Verbum caro factũ est. Vnum igitur in Christo de superioribus est, alterum ex humana natura, & virginali vtero suscepit. Patitur ergo Christus, sed in carne, & pertulit mortem, sed caro, cuius hic aries forma est. Sicut & Ioannes dicebat:

d Ioan. 1. v. 29.

d Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Verbum verò in incorruptione permansit, quod est secundùm spiritum Christus, cuius imago est Isaac. Ideò ipse est & hostia, & Pontifex

e Hebr. 10. v. 12.

e secundùm spiritum. Namq; offert hostiam Patri secundùm carnem, ipse in altari crucis offertur. Quia sicut dictum est de eo: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi: ita de eo dictum est (nota hîc incruentum, in pane & vino, sacrificium)

f Psalm. 109. v. 4.

f Tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech. Quem typum ibidem sic rursus tropologicè pulcherrimè expendit: Abraham mortalem filiũ non moriturum obtulit Deo:

g Humana in sequenda Christi pafsione socordia & ingratitudo.

g Deus immortalem filium pro omnibus tradidit morti. Quid nos ad hæc dicemus? quidné tribuemus Domino, pro omnibus quæ retribuit nobis? Deus Pater propter nos proprio filio non pepercit. Quis vestrum putas audiet aliquando vocem angeli dicentis: Nunc cognoui, quia times tu Deum: quia nõ pepercisti filio tuo, vel filiæ tuæ, aut vxori, vel non pepercisti pecuniæ tuæ, vel honoribus sæculi, & ambitionibus mundi. Sed omnia contempsisti,

Psalm. 115. v. 3.

h Philip. 3. v. 8.

h & omnia duxisti stercora, vt Christum lucrifaceres: vendidisti omnia & dedisti pauperibus, & secutus es verbum Dei? Quis vestrum putas audiet ab angelis huiuscemodi vocem? Hucusq; Origenes.

i Isaac & Ioseph sacrificia cur reticentur?

Cap. XIII.

i Cæterùm, quòd Isaac ipse, inter primates Patriarcharum, non legatur sacrificium obtulisse, causa afsignari potest, quòd secundùm sententiam Origenis, superiùs adductam, fuerit ipsemet

typus,

typus, & hostiæ simul, & sacrificij, quo solus Christus sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, erat omnia præcedentia sacrificia expleturus & terminaturus, vt suprà ex a Augustino ostendimus:

a Aug. de Ciuit. lib: 10. Cap. 20. Et lib. 17. Cap. 20.

Similiter & de Ioseph, inter Patriarchas, sicut sol inter sydera elucente dicere possumus: qui in officio quidem non legitur sacrificiũ Deo exhibuisse, cùm in persona sua apertifsimè figuram pafsionis incruentæ, & mortis, ac resurrectionis victricis, figura extiterit, vt suis locis, Deo annuente, explicabimus.

Leo 1. Serm: 8. de Pafsione Domini.

b Iacob figura Christi singulariter in sacrificio.

b Cæterùm, penè omiseramus Iacob Patriarcham, nequaquam tamen omittendũ. Cùm enim, secundùm Irenæum, non solùm persona, sed tota ferè vita Christum præsignauerit, adeò vt per Isaiam nomine Iacob, & Israel, Deus pater filium suum denominet: à sacrificij quoq; mysterio non erit excludendus. Dicitur enim in sua peregrinatione somno oppressus, vidisse scalam cælos attingentem, cui incubuisset Dominus: angeli autem per illam de cælo descenderent, & vicifsim ascenderent: somnoq; solutum exclamasse: Terribilis est locus iste, in quo verè Deus est, & ego nesciebam: hîc non est aliud, nisi domus Dei, & porta cæli. Exindeq; lapidem, cui incubuerat, erexisse in titulum, vnxisse oleo, & voto ad perennem cultum Deo, qui sibi apparuisset, consecrasse: decimasq; ex substantia sua eidem addixisse.

Irenæus lib: 4. Cap: 38.
Isai. 44. v. 7.
Isai. 42 v. 1.
Iustinus cũ Tryphone.
Genes: 28. v. 11.

c Scala Iacob mysticè quid.

c Scalam istã certè aliqui Doctores sacri exponunt, crucem Christi, qui in sua peregrinatione assumptæ carnis, nostris laboribus & oneribus fatigatus, in carne quidem sua, eidem scalæ, seu cruci, per somnum mortis succubuit: ita tamen, vt tanquam Deus cælos non deserens, eidem quoq; virtute viuifica incumberet: atq; sic per ipsam, aditum, ad communicationem cælestem nobis patefaceret. Quod mysterium, externo etiam & memorabili symbolo consignare voluit, quando d lapis ipse angularis, Ecclesiæ suæ, & caput existens, lapidem in titulum erexit, quem Iustinus Martyr statuam interpretatur, non aliam profectò, quàm quæ Deo vero erigebatur, hoc est, altare ad faciendum holocaustum, quod Iacob oleo delibutum, in domum Dei, in qua Deus præsens adesset, & ipsam cæli portam dedicauit, eidemq; decimas ex omni substantia sua, voto perenni adscripsit. Quæ omnia certè referunt cultum sacrificij Deo debitum, & quidem secundùm ordinem Melchisedech, cui supra Leuiticum sacerdotium decimæ debeantur:

Hieron: in Psalm 91.
August: Serm: 80.
Cyrill: lib: 8. in Caput 17. Ioãnis.
Iustinus cũ Tryphone.
d 1. Petr. 2. v. 4.

e vt suo loco ex doctrina Apostoli ostendimus. Talis autem cultus, non fuit absq; altari consecrato, propter quod Ecclesiæ eriguntur, dotantur, & in domos Dei, & veluti portas cæli consecrantur, vt terribiles omnibus aduersis potestatibus euadant. Confirmatur hæc expositio: quod postmodum f Deus, in Mesopotamia apparens

e Suprà serm: 6. Cap. 11.

eidem

Gen: 31. v. 13.
Gen: 35. v. 3. 7. 14.

eidem Iacob, dicebat: Ego ſum Deus Bethel, vbi vnxiſti lapidem, & votum vouiſti mihi. Ex his enim verbis, apparet vnctionem illam, & votum illud tanti fuiſſe, vt Deus præſentiam ſuam, ad illum potiſsimum locum, in exaudiendo alligatam eſſe voluerit: idq; per ſacrificium, & quidem incruentum: quando poſtea ædificata domo, & altari, quæ promiſerat, ſuper illud libamina, libaſſe ſeu obtuliſſe memoratur. [a] Inter illos Patriarchas referendus eſt quoq; Iob, prout illum (vt ſuprà citauimus) Clemens etiam inter veteres ſacerdotes connumerat: Quem cùm quotidie pro liberis ſuis ſacrificaſſe legamus, & in fine eius libri dicatur Dominus oblatione eius, per cruentas hoſtias, amicis illum infeſtantibus, fuiſſe placatus: & quandoquidem erat congener gentilitate Melchiſedecho: probabile eſt, ipſi quoq; hoſtiæ incruentæ vſum non incognitum fuiſſe. Quam coniecturam auget mihi, non ſolùm authoritas [b] B. Hieronymi, ſed etiam, quòd interpres Chaldaicus ſcribit in hunc locum, his verbis: Et audierunt tres ſocij Iob omnia mala, quæ venerunt ſuper eum, quando nempe viderunt ibi arbores, quæ erant in eis, aruiſſe: videruntq; panem, quo ſuſtentabantur, conuerſum in carnem viuentem, & vinũ, quod bibebant, conuerſum in ſanguinem. Et abierunt vnuſquiſq; de loco ſuo, & huius officij gratia liberati ſunt à deſcenſu in locum, qui deputatus erat eis in gehennam, Heliphas de regione Theman: Beldad de prouincia Suhach: Sophar de regione Nagama: & ipſi quidem conuenerunt in vnum, vt accederent ad Iob, confortaturi & conſolaturi eum. Hæc ibi.

a Iob ſacrificij futuri Chriſti ſpecimen exhibuit.
Clem: lib: 8: Cõſt: Apoſt: Cap. 8.
Iob 1. v. 5.
Iob 42. v. 8.
b Hieron: in Caput 42. Iob.
Interpres Chaldæus apud Petrũ Toloſanũ in Syntaxi, de Deo, cap. 30.

Agnus Paſchalis proprius typus ſacrificij Chriſti cruenti & incruenti.

Cap. xiiij.

His expoſitis, iuſto ordine peruenimus ad ſacrificia legalia: quorum præcipuus erat Agnus Paſchalis, cuius myſterium, totum illud opus diuinum, liberationis populi Dei ex Ægypto, & introductionis in terram promiſſam, continebat. Propterea etiam vocabatur Paſcha, hoc eſt, tranſitus, quòd Deus ipſe præſentia ſua tranſeundo, hoſtes quidem eſſet perditurus, populum verò ſuum ad veram poſſeſsionem & libertatem reducturus. Quæ omnia in figura contigiſſe, non ſolùm [c] Apoſtolus in genere & in ſpecie comprobat, [d] ſed Dominus ipſe ſatis inſinuat dicendo: Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar. Quod de nouæ legis Paſcha intelligi Tertullianus comprobat: neq; enim Chriſtus carnes pecudum antehac, ſingulis annis immolatas, tantopere deſideraſſet. Quod ipſum S. Ioannes apertiùs explicat, ſic ſcribens: [e] Ante diem feſtum Paſchæ: Sciens Ieſus, quia venit hora eius, vt tranſeat de hoc mundo ad Patrem, &c. Ecce habemus tranſitum Chriſti (qui eſt Paſcha) ad Patrem, non alio vtiq; modo, quàm per paſsionem, immolationem,

Exodi 12. v. 4. & 23.
c 1. Cor: 10. v. 11.
d Lucæ 22. v. 15.
Tertull: lib: 4. con: Marcionẽ.
Chryſoſt: homel. 83. in Math.
e Ioan. 13. v. 1.
Lucæ 24. v. 26.

nem, & mortem. Sicut enim Hebræis (Domino ipſo exponente) Paſcha tranſitum, ſic Græcis ſecundùm Lactantium [a] πάσχειν pati ſonat: cui cõgruit & illud: Oportebat enim (dicit ipſe Dominus) Chriſtum pati, & ſic intrare in gloriam ſuam. [b] Porrò in iſta cærimonia agni, erant quatuor actus eſſentiales: primò, delectus ipſius agni: ſecundò, oblatio eiuſdem per ſacerdotem cum vniuerſo populo, ſimulq; ſanguinis eius expiatoria aſperſio: tertiò, agni ipſius aſsi, per ſingulas familias comeſtio, ſeu communio: quartò, eiuſdem cæremoniæ, quæ ſemel facta fuiſſet in Ægypto, perpetua in propria terra commemoratio, ſeu repræſentatio. Si igitur figura (de qua iam authoritate Apoſtoli, & ipſius Chriſti conſtat) debet reſpondere veritati, neceſſarium eſt, vt ſingulis iſtis, quas diximus, partibus applicetur. Quia ſecundùm [c] Epiphanium agnus irrationalis in lege immolatus, perducit nos ad agnum magnum & cæleſtem, pro nobis & vniuerſo mundo ſacrificatum. De primis quidem duabus, facilè puto, inter nos & aduerſarios conueniet. Delectus ſiquidem agni, ſine cõtrouerſia, conuenit Chriſto Domino, qui prima denunciatione Baptiſtæ conteſtatus eſt, agnus qui tollit peccata mundi: Deinde maſculus: de ipſo enim multò ante prædixit Iſaias: Antequam parturiret (Maria) peperit maſculum: Tertiò, erat ſine macula: quia ſecundùm eundem Prophetam, [d] veluti agnus coram tondente ſe obmutuit: & iniquitatem non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius. Talis enim (inquit Apoſtolus) decebat, vt nobis eſſet Pontifex ſanctus, innocens, impollutus, & â peccatoribus ſegregatus. Quartò, erat anniculus: quia ipſe Dominus ex Prophetia [e] Iſaiæ, totum incolatus & prædicationis ſuæ tempus, vocauit annum Domino placabilem: quod ſpatium temporis propriè terminabatur in ipſius paſsione, in qua regnum ſuum ſuper humerum ſuum, hoc eſt, regnum Crucis propriè exegit. Et ſic veriùs de illo, quàm de Saule, dici poteſt: [f] Filius vnius anni erat, cùm regnare cœpiſſet. Ad iſtam etiam electionem, & veluti apparatum agni, pertinet & illius, per aliquod tempus, ad diem Paſchæ aſſeruatio. Cui reſpondet tempus paſsionis Chriſti, quod ipſemet ad diem Paſchæ protrahere voluit: ante quod ipſum [g] tempus, Iudæi electionem ſeu conſultationem, de ipſo immolando, faciebant. Concludente demùm Caypha Pontifice: Vos neſcitis quicquam nec cogitatis: Quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Secundam partem, ſeu actum ritus agni Paſchalis, hoc eſt, immolationem, [h] quin Chriſto Domino reſpondeat, negare etiam nequeunt aduerſarij. Scriptura enim paſsim Chriſtum, quatenus in Cruce paſſus eſt, vocat agnũ.

a Lactant: lib: 4. Cap: 26.
Lucæ. 24. v. 26.
b Agni oblatio quatuor modis reſpondet oblationi Chriſti.
c Agnus irrationalis figura agni rationalis.
Epiphanius con: Iudæos.
Heſichius lib: 6. in Leuiticũ Cap. 22.
Exodi 12. v. 5.
Ioan. 1 v. 29.
Iſai. 66. v. 7.
d Iſai. 53. v. 7. & 10.
1. Petri 2. v. 22.
Hebr. 7. v. 26.
e Agnus anniculus &c. quomodo Chriſtos.
Iſa. 61. v. 1.
Luc. 4. v. 18.
f 1. Reg. 13. v. 1.
g Ioan 11. v. 49.
h Agnus infractus, immolatus & aſſatus, quomodo Chriſto reſpondet.

a Ioan 19. v. 36. Exodi 12. v. 47.

Sed ſolus ille locus cõuincit, quãdo ſanctus Ioannes, [a] quod de agno typico dictum fuiſſet, vero agno in cruce pendenti Chriſto applicat: Os non comminuetis ex eo. Eius ſiquidem confractionis ratio, non ſuppetebat Iudæis in agno typico, ſed in Chriſto, vt cùm Gentiles reliquorum crucifixorum, ne viuos Paſcha imminens inueniſſet, crura infringerent, agnus noſter, ad denotandam ſuam ipſius integram & æternam hoſtiam, infractus & integer ſeruaretur. Porrò aſſationem agni legalis, [b] Iuſtinus Martyr paſsioni crucis accommodat: Siquidem verru in longitudinem transfigens, & aliud lignum brachia diſtendens, crucis figuram referat. Dici autem poteſt, fuiſſe aſſatus, non tàm violentia paſsionis, quàm igne propriæ ac intimæ charitatis, ſicut ipſemet proteſtabatur: [c] Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt accendatur? Baptiſmo autem habeo baptizari, (hoc eſt baptiſmo ſanguinis, cùm baptiſmus fluminis præceſsiſſet) & quomodo coarctor, vſq; dum perficiatur? [d] Ad oblationem iſtam pertinet, quòd facta immolatione agni, per ipſam eius mactationem, accipiebatur ſanguis eius, & in ſingulis ſuperliminaribus ac poſtibus domorum aſpergebatur: vt hoc ſymbolo, manus angeli percutientis ab inhabitatoribus illarum ædium auerteretur. Quæ figura impleta eſt, quando agnus noſter Chriſtus in ara crucis immolatus, profudit ſanguinem (ſicut expreſsè dicit [e] princeps Apoſtolorum) in precium noſtræ redemptionis. Qui quidem ſanguis, vnicuiq; credenti, ſpirituali aſperſione [f] (de qua idem Apoſtolus loquitur) applicatur in ablutione aquæ, ex eodem latere Chriſti ſimul cum ſanguine manantis, in baptiſmo, qui eſt quoddam ſuperliminare, ſeu ianua iuſtificationis noſtræ. [g] Immò etiam domus ipſæ, quorum liminibus, hoc eſt, frontibus, ſignaculum ſanguinis Chriſti in baptiſmo imponitur, poſſunt intelligi fideles ipſi, qui ſecundùm Iuſtinum Martyrem, ex ipſa primæua imagine Dei, & poſtmodum magis propriè ex adoptione gratiæ Dei, ſunt domus Dei, & templũ ſeu tabernaculum Spiritus ſancti.

b Iuſtinus Martyr cum Tryphone, poſt initium.

c Lucæ 12. v. 50.

d Sanguinis agni aſperſio conuenit redemptioni Chriſti per ſanguinem. Exodi 12. v. 23.

e 1. Petr. 1. v. 19.

f 1. Petr. 1. v. 2.

g Domus Dei dicũtur chriſtiani. Hebr. 3. v. 6. 2. Cor: 5. v. 1. Iuſtinus Dialogo cũ Tryphone.

Cap. XV.

h Agnus verus Chriſtus, vt olim typicus, verè mãducatur.

In hoc vtroq; quod iam abſoluimus, ſi aduerſarij nobiſcum conueniunt, conſequitur neceſſariò vt reliqua cõcedant. [h] Quorum primum, in ordine verò tertium, eſt manducatio ſeu communicatio eiuſdem agni aſſati per ſingulas familias. Quæ quidem ſicut Iudæorũ erat vera & realis agni illius typici & irrationalis, (vt ſuprà vocauit Epiphanius) ſic Chriſtianorum debet ſimiliter eſſe vera & realis, agni illius magni & veri, qui in cruce ſuſtulit peccata mundi, hoc eſt, Chriſti. At verò cruenta illius in cruce oblatio, non referebatur ad manducationem, ſed ad ſanguinis aſperſionem, (vt diximus) quam Chri-

ſtus in oblatione ſui ipſius ſecundùm ritum Aaron, ſemel obtulit, & ampliùs non moritur. Ergo relinquitur nobis idem ipſe agnus, in alia incruenta & perpetua oblatione manducandus. Hoc autem eſt illud Paſcha nouum, quod Dominus vetere conſummato, in vltima Cœna inſtituit. [a] Hac de re, ex teſtamẽto veteri, duo illuſtria teſtimonia olim eraſiſſe Iudæos, conuincit ſuis temporibus Iuſtinus martyr. Primum erat 1. Eſdræ Cap. 6. in hæc verba: Et dixit Eſdras populo: Hoc Paſcha, Saluator noſter, & perfugium noſtrum. Ac ſi in animum veſtrum (ô Iudæi) induxeritis, & in cor veſtrum aſcenderit, quòd humiliaturi eum ſimus in ſigno, & poſtea ſperaturi in eum, non deſolabitur locus iſte in omne tempus, dicit Deus virtutũ. [b] Sin in eum non credideritis, neq; audituri eſtis annunciationem eius, deridiculum eritis gentibus. Hæc verba cùm legiſſem, nec ad manum eſſet codex Græcus Iuſtini, ſuſpicabar vitio Calcographi, pro ſigno debere legi, ligno, per quod deſignaretur contumelia crucis, Chriſto ab Iudæis illata. Sed ipſa verba reperi apud Lactantium, eodem modo citata. Atq; ſic intelligitur Chriſtus illuſus fuiſſe à Iudæis, & paſſus, vel ſicut [c] Simeon prædixerat, In ſignum cui contradicitur, iuxta illam querelam: Morte turpiſsima condemnemus eum, quia contrarius eſt operibus noſtris. &c. vel in ſignum appenſi ſerpentis in deſerto, quod Chriſtus ſynagogæ, in perſona eius magiſtri Nicodemi, ad ſalutem proponebat. Iam verò, quod infideles Rabbini fraudulenter eraſerant, fidelis Rabbinus [d] primò ad pedes Gamalielis, poſtmodum verò ad pedes Chriſti in cælo, edoctus, reſtituit ſacro Codici, quando ſic ſcripſit: [e] Paſcha noſtrũ immolatus eſt Chriſtus. Conſequitur ergo, Iudæos intellexiſſe, Paſcha vetus tollendũ, nouumq; quod Chriſtus eſſet, in perpetuum, & ſalutarem redemptionis vſum, fore ſubſtituendum. Hîc obiter non videtur prætereundum, Iudæos ſententiam, à Iuſtino citatam, codici ſacro abſtraxiſſe, inde confirmari, quod [f] Daniel ad eandem ferè formam contra illos prophetauerit dicens: Poſt ſeptuaginta duas hebdomadas, occidetur Chriſtus: & non erit populus eius, qui eum negaturus eſt. Hæc ibi. [g] Addit ibidẽ Iuſtinus alium non abſimilem locum, ſuo tempore ex quibuſdam exemplaribus per Iudæos exploſum: quando dicit Ieremias, ſecundùm vulgatam verſionem: Ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam: & modò cognoui, quia cogitauerunt ſuper me conſilia, dicentes: Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non remoretur ampliùs. Quæ verba in typo Ieremiæ dici propriè de Chriſto, probat idem Iuſtinus, ex ſimili uaticinio Iſaiæ dicentis: Quaſi ouis ad victimam

a Chriſtum eſſe Paſcha Iudæi ex ſuo, teſtamento eraſerunt.

1. Eſdræ 6. v. 19.

b Iudæorum ob necem & negationem Meſsiæ, interitus.

Lactant. lib. 4. Cap. 18.

c Lucæ 2. v. 34. Sapient. 2. v. 20. Ioan. 3. v. 13.

d Actor. 22. v. 3.

e 1. Cor. 5. v. 7.

f Daniel. 9. v. 26.

g Alius locus de Chriſto à Iudæis corruptus. Ierem. 11. v. 18. Mittamus lignũ in panẽ eius &c. de Chriſto intelligi. Iuſtinus loco citato.

Tertull. lib. 4. cō: Marcionem.
a Lactant. lib. 4. Cap. 18.
Ioā. 6. v. 35. 50. 51.

ductus est. a Deinde, quòd secundùm Tertullianū, Lactantium, & alios sacros expositores, lignum denotet crucem, cui nō Ieremias, sed Christus affixus est: similiter corpus illius Prophetæ, non potuit dici panis, sed corpus Christi: qui ipsemet dicebat: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Et iterum: Hic est panis de cælo descendens. Quem panem, postea vocat carnem suam, ad manducandum relictam, dicens: Panis, quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita. b Ex quo ad præsentem quæstionem concluditur, Christum in crucem missum esse, vtiq; ad sacrificium peragendum, non solùm vt ipse agnus oblatus erat modo cruento, sed etiam quatenus panis est, modo videlicet incruento, nimirum in pane & vino, secundùm ordinem Melchisedech, quem in cœna nouissima instituisset. Similiter ex priori authoritate consequitur, Christum fuisse agnum, non solùm quatenus secundùm ordinem Aaron modo cruento immolatus est in sanguinis aspersionem, seu in precium redemptionis, c semel, (vt loquitur Apostolus) sed etiam, quatenus in ea immolatione incontractus manens, datus est simul ad manducationem seu communionem toti multitudini credentium: quando in ministerio vnius sacerdotis, ipsi quoq; in sacrificio Missæ ipsum offerunt, & postmodū ex illo participant: ex agno, inquam, vero, & carne eius vera, immò ipsomet viuo, sed quatenus, secundùm Ieremiæ vaticiniū, panis est, hoc est, sub specie seu velamine panis & vini: quorum vtroq; vita quoq; ipsa corporalis hominum potissimùm constat.

b Christus agnus immolatus, sed non confractus. Et panis in lignū missus, cruentā & incruentam oblationem signat.

c Hebr. 10. v. 10. Exodi 12. v. 6.

d Paschatis nouæ legis ex ritu agni & asimorū ratio.
e Exodi 12. v. 15.

d Et sic apud Christianos, oblatio, & sumptio huius agni, verè dicitur Pascha, non solùm Hebræa deriuatione â transitu, sed etiam Græca, quibus πάσχειν pati sonat, vt suprâ diximus. Quod mysterium maxima cautela expressum erat in hac figura, e quando ante tempus Paschatis legalis, sub maledictione, ex domibus Iudæorum excludebantur panes fermentati, ad corporalem tantùm vsum consueti: & ad esum Paschæ seu agni, admittebantur soli panes azymi, qui f exponente Apostolo, & nouum nouæ legis Pascha signarent, & in illo sumendum corpus Christi tale præmonstrarent, quod sine vlla fermenti inquinatione vel corruptione, verbo æterno vnitum, ex purissima virgine, per operationem Spiritus sancti, esset formatum, iugiter in sacerdotio nouę legis immolaretur, & sumeretur. Ad quod mysterium confirmandū, pertinet & illud, quòd ex præcepto legali, immolatio quidem, & comestio agni, vnico quidem vespere semel, & quidem cum festinatione peragebatur: vsus autem azymorū, habebat continuam festiuitatem septem dierum, quorū primus & vltimus, haberet annexam solennitatē singularem: vt exindę quoq; discrimen,

f 1. Cor. 5. v. 7.

Exodi 12. v. 6. 15.

scrimen, sæpè iam declaratum, inter cruentum semel factum, & incruentum iugiter iterandum, sacrificium Christi, desumatur. a Idipsum etiam temporis ratio arguit, quando Dominus, Pascha quidem legale, in sanguine, per propriam immolationem, die ex lege indicta exegit: Pascha verò Euangelicum, in Paschæ ipsius apparatu, seu exordio (præmissa tamen agni cæremonia ad illius abrogationem) anticipauit. Quod ex verbis Euangelistarū disertè colligitur, b quādo omnes attestantur, diem qua Dominus passus est, fuisse Parasceuen Paschæ, in qua secundùm legem agnum fore occidendum, palam est. Quod magis declarat S. Ioannes, quando scribit: c Iudæos ad accusandum Christum non introisse in prætorium, ne contaminarentur, sed vt manducarent Pascha, hoc est, agni cæremoniam sequenti vespere peragerent. Pridie autem eius diei testantur reliqui tres Euangelistæ, Dominum, modo quo dictum est, Pascha suum absoluisse, eo die, qui dictus est dies Azymorum: non sine notabili mysterio, vt dies quidem Parasceues immolationi cruentæ per propriū sanguinem, dies autem Azymorum, oblationi nouæ, in pane & vino, secundùm ordinē Melchisedech, deputaretur. d Quod etiam mirabili artificio diuini spiritus insinuant Euangelistæ, quando ea die, qua Christus cœnam esset celebraturus, dicunt: Marcus quidem immolatum esse Pascha: Lucas verò, oportuisse occidi Pascha: vt in nouo legis sacrificio, ea die peragendo, in seipso Christus Pascha nostrum, licèt incruento modo, sub speciebus panis & vini, verè tamen immolaretur, & frangendo occideretur. e Cùm enim Ioannes Euangelista euitatam fuisse dixerit agni, hoc est, Christi in cruce fractionem: Apostolus autem in descriptione Cœnæ Domini, passionem suā repræsentantis dicat: Hoc est corpus meum, quod pro vobis (vt Græcus originalis textus habet) κλώμενον frangitur: consequitur fractionem visibilis speciei panis, in sacrificio nouæ legis, veram esse ipsius Christi immolationem. Quod attestatur Chrysostomus sic scribens: f Sed quare addidit (Apostolus) Panis quem frangimus? Hoc in Eucharistia videre est, in cruce autem minimè, sed omninò contrà. Os enim, inquit, non conteretur. Sed quod in cruce passus non est, in oblatione patitur, propter te frangi sustinet, vt omnes satiet. Hæc ille. Quod autem aliqui obijciunt, Christum eodem ipso die, quo Iudæi, hoc est, quartadecima Luna, agnum comedisse, vtpotè qui venisset legem non soluere, sed adimplere? Primò cogitent Dominum illo ipso tempore incœpisse legem cærimonialem adimplere, simul & soluere, quando nouam institueret. Deinde si tàm præcisè ad eandem diem alligari volunt, computent vel ipsa creati,

a Christus quo die celebrauit Pascha.
Matth. 26. v. 17. Ioan 13. v. 1. Cap. 18. v. 28.

b Matth. 26. v. 17. Marci. 14. v. 12. Lucæ 22. v. 7. Ioan: 13. v. 1.

c Ioan. 18. v. 28.

d Christus in vltima Cæna fractione veluti occisus.
Marci 14. v. 12. Lucæ 22. v. 7.

e Ioan 19. v. 36. 1. Cor. 11. v. 24. Clemens Cōstit: Apostol. lib. 8. Cap. 17.

f Chrysost. hom: 24. in Epist. 1. ad Corint.
Ioan 19. v. 36.

creationis lege, [a] à vespera & mane, diem vnum: quando Dominus seipsum, & in pane ac vino vesperi, & mane in proprio sanguine immolârit. [b] Qualem supputationem, in ipso etiam Paschate legali, eiusq; institutione, diligenti lectori obseruare licebit. Quod etiam Apostolus agnoscit, sic scribens: [c] Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur: Quod veluti exponens Cyprianus, sic ait: Hæc dies (Cœnæ Dominicæ, de qua pertractat) nocti illi contigua est, qua absolutionis nostræ negotium Dominus inchoauit: Qui à Principibus Sacerdotum, ad Romanum Præsidem ductus, Iudex omnium sustinuit iudicari, &c. Et ista conciliatione euademus, ne verbis Euangelistarum adeò claris vim inferamus. [d] Porrò isti in pane oblationi, Iustinus accommodat etiam oblationem legalẽ similæ, sic scribens: Sanè quidem similæ quoq; oblatio, ô viri, dicebam (intellige ad Iudæos) pro eis, qui à lepra purgabãtur, vti offerretur tradita, figura fuit Eucharistiæ, quam in recordationem passionis, quam pro his sustinuit hominibus, quorum animi ab omni purificãtur prauitate, Iesus Christus Dominus noster (nota quod hoc verbum oblationi applicet) [e] facere præcepit. Porrò, ritus quoq; ipse, qui in comedendo agno seruari præcipiebatur, satis etiam cõmunioni sacræ post sacrificium conuenit. Tempus enim comestionis vespertinum, intelligit D. Hieronymus [f] consũmationem sæculorum, in qua Christus passus est. Reliqui comedentium apparatus, referunt statum peregrinorum, ad iter versus patriam accinctorum: qualis vita Christianorum est, quæ maximè [g] exemplo Eliæ, hoc sacro viatico, ad longã excessus viam sit præmunienda. [h] Singulariter tamen præcinctione lumborum, dicit Hieronymus, designari castitatem, quæ ad hanc maximè mensam est, etiam à coniugatis, deferenda. Reliqua sic pergit applicare idem Doctor. Calceamenta habere in pedibus nostris, & baculum in manibus, hoc iubetur, vt quàmdiu in eremo istius sæculi gradimur, calceati simus calceamentis pacis, nec vbi in deserto scorpius & coluber obrepat, nec vbi serpens plantam gradientis inuadat. Quòd si fortè aduersum nos consurrexerint, habeamus virgã (crucis) in manibus, & percutiamus eum, & dicamus: [i] Virga tua, & baculus tuus, ipsa me cõsolata sunt. Hæc ille. [k] Quod etiam præcipitur, agnus totus comedi cùm capite, carne, & intestinis, intactis ossibus: intelligere possumus, digno vsu Eucharistiæ, Christum, quatenus ex integra humanitate viuus constat, sumentibus totum sese comunicare (vt suo loco dicemus) integra semper diuina natura, quæ nullam mutationem suscipit: quinetiam veluti ossa corpus, sic ipsa verum in Eucharistia corpus Christi sustentat, vt (sicut dicebat S.

Cap. XVII.

a Genes. 1. v. 4.
b Exod: 12. v. 6. 14. 42.
c 1. Cor. 11. v. 23. Cypriã: de vnctione chrismatis.
d Similæ oblatio figura Eucharistiæ. Leuit: 6. v. 15. Iustinus cũ Tryphone.
e Facere, p offere.
f Agni comedẽdi ritus Eucharistiæ applicatur. Exodi 12. v. 11. Hieron: Tom. 9. Serm. 38. de esu agni.
g 3. Reg. 19, v. 6.
h Eucharistiæ viaticum eiusque apparatus. Hieron. loco citato.
i Psalm. 22. v. 4.
k Integri agni comedendi absq; ossibus mysteriũ. Exodi 12. v. 9.

Andreas Apostolus) [a] agnus ipse quotidie & diuersis locis im̃olatus & comestus, integer tamen perseueret, ac viuus. [b] Obsonium verò lactucarum aggrestium, secundùm Hieronymum, designat amaritudinem pœnitentiæ, sine qua nemo, quamuis iustus sibi videatur, ad hanc mensam accedere debet. Per hoc etiam amarum condimentum, licebit intelligere memoriam passionis & mortis Christi, quæ nobis inprimis in hoc mysterio à Domino fuisset comendata.

[c] Certam etiam domum & societatem manducantium, exponit S. Hieronymus Ecclesiam, eiusq; vnitatem, sic dicens: Nec putemus agnum istum anniculum vbiq; posse comedi. Præcipitur nobis, vt in vna illum comedamus domo, id est, ne extra Ecclesiam agnum (nota) immolari putemus. Ex quo manifestum est, quòd [d] Iudæi & hæretici, & omnia conuenticula dogmataq; peruersorum, qui agnum in Ecclesia non comedunt: non eos agni carnes comedere, sed (horresce hæretice) draconis, qui datus est (iuxta Psalmistam) in escam populis Aethyopum. Hucusq; Hieronymus. [e] Ad eandem figuram agni spectat & illud, quòd Deus præcepto assumendi & immolandi agni (quod iam explicatum & applicatum est) addit: Iuxta quem ritum tolletis & hædum. Cũ enim eiusmodi hædus, (qui similiter vt agnus eligebatur masculus, anniculus, absq; macula) non præcipiatur, nec legatur vsquam, iuxta eundem ritũ agni, mactatus & occisus, credibile est, illum post oblationem, relictũ ac dimissum fuisse viuum, idq; ad denotandũ in Christo, primùm quidem duplicem naturam, quando in humana quidem patiebatur & moriebatur, in diuina autẽ impassibilis prorsus, & immortalis remanebat: deinde etiam duplicem oblationẽ, vnam quidem in cruce cruentam, & semel factam, alteram verò in Cœna sub speciebus panis & vini, incruentam, viuam, & perpetuò secundùm ordinem Melchisedech continuandam. Quod expressiùs præsignabatur in lege, primò quidem in ritu mundandorum leprosorũ, quando duo passeres viui assumebantur, quibus simul oblatis, vnus occidebatur, alter autem occisi sanguine intinctus viuus dimittebatur: ipse autem leprosus remanenti sanguine passeris occisi, mũdabatur. [f] Nunquid sicut de bobus, sic de passeribus cura est Deo? Quis tâm cœcus est, qui non attendat, in passere quidẽ occiso præfigurari Christum, eiusq; in cruce sacrificium, cuius sanguis emundet nos à lepra spirituali peccati. Rursus verò, passerem oblatum quidem simul, sed cum intinctione sanguiuis dimissum, denotare eundem Christum, quatenus seipsum obtulit, & hucusq; offert hostiam viuam in iugi sacrificio Melchisedech, modò quidẽ incruento, sed cruentæ passionis

Cap: xviii.

a In vita S. Andreæ à presbyteris Achaiæ conscripta.
b Lactucę aggrestes.
c Eucharistia symbolũ vnitatis non nisi in Ecclesia participatur. Hieron: loco citato.
d Infideles & hæretici, non agni sed Draconis carnes comedunt. Psalm. 73. v. 14.
e Oblationi agni associatus hædus, ob mysterium sacrificij incruenti. Exodi. 12. vers. 5.
f Duo passeres & duo hirci signabant duplex sacrificium Christi. Leuit: 14. vers. 4. 1. Cor. 9. vers. 9. Origenes & Hesichius super hũc locum Et Cyril. Alex: Epist. 57. Et de Incarna. vnig. Cap. 27.

a Zachar: r. 13. v. 6. Ioan. 20. vers. 27. Isaiæ. 63. vers. 2.

b Oblatio vituli & duorum hircorum, Christi sacrificio quadrat. Leuit. 16. v. 7. 15. Isichius super hunc locum. Cirill: Alexandr: Epist. 39. & cõ: Iulian: 9.

c Hebr. 8. v. 7.

d Hebr. 8. v. 2.

e Peccati expiatio per baptismũ & pænitentiã diuersa. 3. Reg: 8. v. 46. Ephes: 6. v. 12.

suæ repræsentatiuo; Ideóq; eiusdẽ sanguinis sui semel oblati incessanti merito, [a] veluti tinctus, cicatrices quoq; vulnerũ ad dexteram Patris cælo intulit, & in veste sanguine conspersa, in cælis Dei vultui, ad interpellandũ pro nobis apud Deum Patrem apparuit. [b] Idem præsignatum est in vitulo, & duobus hircis: ibi namq; ad reconciliandũ Domino populum, post offensam oblationis ignis alieni, præmittitur expiatio per sanguinem vituli oblati & mactati, cuius sanguis in sancta illatus, pro populo offerretur. Deinde ex mandato Dei, denuò ad nouam veluti nouæ legis insinuandam efficacem expiationem, assumuntur duo hirci viui ad offerendum: & sorte discernuntur, vnus quidem ad sanguinem & mortem, alter verò emissarius, ad libertatem & incolumitatem. Prior ergo mactatus, sanguine suo per sacerdotem in sancta, versus propitiatoriũ illato, & asperso, peccata populi emundabat. Quo peracto, cùm sic emundatum esset Sanctuariũ, tabernaculum, & altare, assumebatur alter hircus viuus & emissarius, ac nouo quasi succedente sacrificio, sacerdos manibus suis capiti eius impositis, confitebatur omnes iniquitates filiorum Israel, & vniuersa peccata atq; delicta eorum: quæ postquam per sacerdotis imprecationem hircus in se recepisset, sacerdos emittebat eum in desertum, vt in terram solitariam peccata ipsa deportarentur. Ecce rursus figuram vtriusq; sacrificij Christi, sole clariorem. Oblatio enim vituli tanquam maioris in sacrificio animalis, designare potest prima veteris legis sacrificia, quæ [c] secundùm Apostolum erant insufficiẽtia. Propterea oportebat succedere sacrificium nouæ legis: quod quidem Christus duplici modo exegit. Primus modus cruentus, adumbratus hîc est per hircum mactatum: siquidem in cruce Christi oblati sanguis, illatus in Sanctuarium, tabernaculum, seu altare nouum sanctificatum, quod (vt [d] loquitur Apostolus) non homo fixit, sed Deus, nimirum cæleste, [e] per spiritualem aspersionem baptismo applicatam, emundat populum Dei credentem ab omnibus immunditijs, hoc est, tàm ex originali macula cõtractis, quàm propria voluntate, vel negligentia perpetratis. Sed quia non est homo qui non peccet, & militibus carne & sanguine onustis, in conflictu tentationum contra spiritualia nequitiæ, sæpè succumbere contingit: idcirco in typo alterius hirci, prouisum est nobis aliud sacrificium & victima, vel potiùs prioris vnius & eiusdem sacrificij repræsentatio, & singularis atq; iterata applicatio, in eodem ipso Christo, at non ampliùs mortali, sed glorioso, qui subinde oblatus, sed nequaquã realiter occisus, super caput suum quod erga corpus suum, quod est Ecclesia gerit, suscipit peccata nostra, post confessionem eorum per absolutionẽ sacerdo-

a Ioan. 2. v. 1. Ioan. 14. v. 2. Psalm. 109. v. 6.

b Duo hirci, duplicem in Christo voluntatẽ denotat. Leuit: 16. v. 8. Matth: 26. v. 39.

Sacerdotiũ Christi sorti accõmodatum.

c Luce 1. v. 8.

d Ambros: in Lucæ Cap. 1.

e Psalm 109. v. 5.

sacerdotis veluti reposita: eaq; tanquam agnus verus, seu hircus expiatorius, tollit, & asportat in desertum & in terram solitariam, hoc est, in cælum, vbi est perpetua pax & requies, [a] & vbi nobis sua iugi aduocatione præparat illas sedes, quibus desertores angeli sua prẹuaricatione excidissent. [b] Quòd autem dicitur ex duobus hircis, per sortẽ vnus fuisse dimissus, alter verò immolatus: sacerdotiũ Christi, nõ vacat singulari mysterio [c] Istam sortem enim primò accõmodare possumus reprobationi sacerdotij legalis, Christi autẽ sacerdotij electioni ac æternitati, quam [d] Ambrosius in sacerdotio Zachariæ obseruauit, sic scribens: Hic est ille sum̃us sacerdos, qui adhuc sorte quẹritur, quia verus adhuc ignoratur. Qui enim sorte legitur, humano iudicio non compræhenditur. Ille igitur quærebatur, & alius figurabatur. Ille quærebatur verus in æternũ sacerdos, cui dicitur: [e] Tu es sacerdos in æternum, qui non hostiarum cruore, sed proprio sanguine, Patrem Deum generi reconciliaret humano. Sed tunc sanguinis fundebatur in specie, in specie sacerdos ordinabatur: nunc quia veritas venit, relinquamus speciem, veritatẽ sequamur. Et tunc quidem vices erant, nunc perpetuitas. Hæc Ambrosius. Deinde non ineptè huic mysterio applicabimus duplicem voluntatem Christi in agone passionis: quando humana quidem, veram prodens humanitatem, mortem deprecabatur, sic tamen, vt sese diuinæ veluti sorti submitteret: Diuina verò voluntas, extra passionẽ existens, im̃obile diuini beneplaciti decretũ mortis decerneret. [f] Vbi etiam pro singulari mysterio obseruari potest, Christum cruci affixum & pendentem, agnum vocari & reputari: de cruce verò per resurrectionẽ propriam quasi desilientem, designari per hircum: vt in agno quidem humilitas carnis per exinanitionem, in hirco autem virtus diuina per suipsius viuificationem, adumbretur.

f Agnus Typus passionis, hircus resurrectionis.

g Sacerdotij & sacrificij Christi incruenti in Sacerdotio legali typus. Leuit 21. v. 6. & Cap. 11. v. 44.

h 1. Petr. 1. v. 16.

Cap: XIX. [g] Habetur insuper eam ad rem non obscurum testimonium, quando Leuitici 21. sic dicit per Moysen Dominus de sacerdotibus: Sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen eius. Incensum enim & panes Deo suo offerunt, & ideò sancti erunt. Ibi enim in figura sacerdotum legalium, sermonem esse de sacerdotibus nouæ legis, conijcitur duabus rationibus. Prima, quòd suprà in eodem libro ponuntur hæc verba: Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, & separabo vos à cæteris populis, vt essetis mei. Hæc enim vel prorsus similia verba [h] Princeps Apostolorum, propriè dicta fuisse in eadem lege intelligit de Christianis, à Christo per Spiritum sanctum ablutis & sanctificatis, sibiq; tanquam capiti, veluti corpus & membra inuisceratis. Deinde quia sacerdotium Aaronicum (vt Apostolus Hebræis demon-

demonstrat) propriè ordinatum erat ad sacrificia animalium cruenta: hîc autem sacerdotes dicuntur sancti Deo suo, quòd panes offerant, vtiq; secundùm ordinẽ sacrificij futuri & æterni Christi secundùm ordinẽ Melchisedech, quatenus panes propositionis signabãt, vt suo loco diximus. [a] Quod confirmat lectio Hebraica, quam periti istius linguæ sic ad verbum reddunt: Sacerdotes sancti erunt Domino, & non polluent nomen Domini: Quia ipsi sunt, qui leuant sacrificium Deo Iehouæ, panem Deum eorum offerentes: & erunt sanctitas. Hîc enim manifestè insinuatur futura oblatio panis, qui Deus esset: qui non est alius, nisi Christus, panis qui de cælo descendit, qui in sacrificio nouæ legis offertur. [b] Non absimile huic testimonium habetur 1. Regum 2. quod etiam aliqui Doctores sacri adducunt: vbi reprobandum fore prædicitur sacerdotium Heli, & posterorũ ac antecessorum suorum, & exoriturum fore sacerdotem fidelem, qui iuxta cor & animam Domini faciat: cui Dominus domum fidelẽ esset ædificaturus. Quod in Samuele, vel in Sadoch non potuit esse completum, in quibus non cessauit sacerdotium Heli, seu Aaron: sed de Christo qui illud consumauit, & nouum æternum secundùm ordinẽ Melchisedech suscitauit, secundùm quod faceret, id est, offerret Deo secundùm cor eius, hoc est, hostiam non animalium, sed propriam, in quo sibi Pater benè complacuisset. Et possideret domum fidelem, hoc est, Ecclesiam, cuius ipse factor & Dominus est, vt [c] Apostolus asserit. Sed à legalibus iam ad Prophetica transeamus.

a Lectio Hebræa superiorum verborum.
Petrus Tolosanus in Syntaxi de Deo Cap. 30.

b Reprobatio Sacerdotij Heli, insinuat sacrificiũ nouæ legis.
1. Regum 2. v. 33.
Cyprianus testimoniorum con: Iudæos lib. 1, Cap. 18.
August. de Ciuit, lib. 17, Cap. 5.
Euseb: Cæsarien: lib. 4. Demonst. Cap: 26.
Gregorius: Eucherius, Beda, in hunc locum.
c Hebr. 3. v. 2

Secunda pars.

NOstrum sacrificium (inquit B. Augustinus) non solùm Euangelicis, sed etiam Propheticis libris demonstratũ est. [d] Prodeat primus ordine & dignitate Regius ille Propheta Dauid. Qui, quæ, & quanta, de nouo sacerdotio & sacrificio Christi protulisset in Psalmis 39. & 109, ex ipsius Apostoli expositione satis suo loco ostendimus. Ne tamen ipsum ex hac probationis classe excludamus. Primò videamus, quomodo in [e] Psalmo 71. inter alia sic vaticinatur. Erit (inquit) firmamentum in terra, in summis montiũ. Primò quidem sciendum est, plures non solùm ex sacris interpretibus, sed etiam ex Iudæorum Rabbinis, Psalmũ hunc exponere, non tam de Salomone, quàm de Messia, [f] qui plusquam Salomon (ipse de se testatur) mundo apparuit. Et meritò quidem, cùm non pauca dicantur in hac Prophetia, quæ Salomoni nullo modo conuenire possũnt. Quod etiam in verbis citatis spectatur. Nomen enim Hebræũ Pisath-

August: Epist. 49 quæstio 3. cap. XX.
d Sacrificij nouæ legis testimonia Prophetica, & primò Dauidis.
e Psalmus 71. verius Christo quã Salomoni respõdet.
f Matth. 12. v. 42

bar, [a] Græci interpretes vertcrũt ςήριγμα, hoc est firmamentũ, quod etiam retinuit versio Latina: cùm propriè etiam Hebræorum magistris, pisath sonet placentulam, bar verò, frumentum seu panem: & vtrumq; coniunctum, placentulam frumenti. His ergo verbis (Erit placentula tritici in vertice montium) aliqui ex eisdem Rabbinis dicunt, prædici summam fertilitatem & abundantiam frumentorum tempore Messiæ, vt etiam in verticibus montium aridissimis plenas palmas, seu volas colligere liceat. Sed cùm eiusmodi felicitas Cæreri non Messiæ fuerit attribuenda: alij mysteriorũ capaciores, per montes exponunt sacerdotes, propter status & officij eminentiã, & vertices, eorum capita intelligunt. Rabbi Ionathæ in hunc versum ea verba citantur: Videat qui habet oculos: quòd sicut dictum est, ipse est Messias, de quo loquitur totus Psalmus. Cùm ergo ait: Erit placentula frumenti in terra in capite montium: vult dicere, quöd placenta panis seu sacrificium, in capitibus sacerdotũ. Hæc ille. [b] Quæ expositio ad viuum conuenit libationi seu eleuationi hostiæ mox consecratæ per sacerdotem: quæ designat primò quidem repræsentationem in crucem eleuationis, & ipsum eius fructum: de quo ipse dicebat: [c] Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum. Et alibi: Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Deinde ista eleuatio, signat sumum istius hostiæ cultũ & venerationem: ad eum modum, quo literæ, sigilla, vel propria symbola Principum, à subditis accepta, super capita reponi consueuerũt. Rabbi quoq; Moyses Hardassan in suis comentarijs sic habet. Dictum est Psalmo [d] centesimo decimo, (sic enim computant Hebræi) Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinẽ Melchisedech. Et quis est iste? Iste erit rex Iustus & Saluator, Rex Messias, sicut dictũ est Zacharię: [e] Ecce Rex tuus venit tibi Iustus & Saluator. Et quod docet, vel mõstrat dicendo: Protulit panẽ & vinũ: Quasi dicat: Erit placentula tritici in terra. Et hoc ipsum est, quod scriptum est: Et ipse sacerdos erat Dei altissimi. Sic ille.

a Erit firmamẽtum in terra, in summis montiũ exponitur.
Psalm. 71. v. 16.
De his & sequẽtibus vide Franciscum Titelmanum super Psalm: 71.
b Eleuatio Eucharistiæ in Missa quid signat.
c Ioan 8. v. 8.
Ioan 12. v. 32.
d Psalm: 109. v. 5.
e Zach. 9. v. 9.
Genes: 14. v. 18.

[f] Ne autem altera pars symboli in sacrificio: nouæ legis, hoc est, vinum, suo destituatur ex Rabbinis testimonio, audiamus Rabbi Cahana pluribus annis Christi aduentũ præcedentem, qui super illa verba Gen. 49. (Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, fili mi, asinam suam: lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum) sic habet: Sacrificiũ quod fiet ex vino, non solùm transmutabitur in substantiam sanguinis Messiæ: sed etiam conuertetur in substantiam corporis eius. Et in sacrificio quod fiet ex pane, non obstante, quod album sit velut lac, conuertetur substantia in substan-

f Eucharistiã sub vini quoq; specie instituendã, Rabbini Cahanã testimonium.
Genes. 49. v. 11.
petrus Tolosanus in Syntaxi de Deo Cap: 30:
Iustinus Oratione ad Antonium.
Theodorus Dialogo 1.

tiam Mesiæ. Erunt autem in sacrificio vini, sanguis & caro Mesiæ, & eadem erunt in pane: quoniam corpus Mesiæ non potest diuidi. Quæso auditores, potuissetné scriptor aliquis Christianismus, vel ipse etiam Euangelista, sacrificiū nouæ legis clariùs exprimere? [a] Vt autem Rabbinis istis maiorem in hoc fidem adstruamus: Sanctus Hieronymus etiam textum prædictum vertit, (memorabile triticū) exponens locutionem esse de Eucharistia: hanc enim escam (secundùm eundem Psalmistam) dedit Dominus timentibus se, in memoriam mirabilium suorum: dicente ipso Domino: Hoc facite in meā cōmemorationem. Quod elucidat Apostolus dicens: Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. [b] Succedat in hoc vaticinio, patri illuminatissimo, filius sapientissimus mortaliū Salomon, sapientiæ æternæ tantus cultor & amator, vt illā opibus & sedibus regalibus prætulerit, qui eam in spiritu sic depinxit: Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem, immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam. Pleriq; enim antiqui expositores sacri, Sapientiam cum Apostolo intelligunt Dei filium: domum verò eius, carnem assumptam, vel humanitatem, in qua secundùm eundem Apostolum, complacuit plenitudinem Diuinitatis inhabitare corporaliter: quando nimirum Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Hanc autem domum ipse sibi ædificauit. Qui enim ex viro mulierem typicam, & matrem carnaliter viuentium, ab initio, ad carnalem hominum generationem ædificauerat, ipse, vt operis itidem diuini vices redderet, ex fœmina, matre spiritualiter renascentium, ædificauit sibi domum seu templum corporis sui. Quamuis enim opera Trinitatis ad extra sint indiuisa, etiam in opere incarnationis, quando Spiritus sanctus dicitur in Mariam superuenisse, altissimus autem ad hoc opus Mariæ adumbrasse: tamen virtus altissimi, hoc est, [c] filius, intelligitur opus ipsum perfecisse, in cuius nimirum sola persona, vnio ista fuerit terminata. Ista autem domus seu humanitas Christi, dicitur firmata esse columnis septem, hoc est, super plenitudine donorum & charismatum septiformis gratiæ Spiritus sancti, in sponsam suam Ecclesiam effundenda. Porrò istius domus seu templi, actus proprius describitur, quòd ipsa sapientia, id est, filius Dei, in ista humanitate sua, imolauit victimas suas, vel (vt Hebraicè habetur) victimam suam: hoc est, illud ipsum proprium corpus, in ara quidem crucis modo cruento immolauit, sed etiam eam ipsam, in mensa, hoc est, altari, in pane & vino aqua mixto (vt [d] Cyprianus ex hoc loco asserit) incruentæ oblationis modo proposuit.

Ad hoc

a Hieron; super Psalmum 71.
Psalm: 110. v. 4.
Lucæ 22. v. 19.
1. Cor: 11. v. 26.
b Salomon Sapientiæ æternæ mēsam solennē describit.
Cap. XXI.
Prou. 9. v. 1.
1. Cor. 1. v. 24.
Coloss: 2. v. 9.
Ignatius Epist: ad Philipp: & Smyrnenses.
Iustin: in expositione fidei.
Tertullianus in scorpiaco Cap. 7.
Cypr: lib. 2. Epist. 3.
August. de Ciuit. lib. 17. Cap. 20.
Epiphan. con. Sabellianos.
Gregor. lib. 11. Moralium Cap. 12. & 33.
Damasc. lib. 2. de fide Cap. 3.
c Incarnationis suæ filius Dei autor.
Lucæ 1. v. 35.
d Euchristia calice etiam vini aqua mixto constat.
Cypr. Epist. 63. ad Cæcilium.
Et lib. 2. Testim. cō. Iudæos Cap. 2.

Ad hoc verò tantum conuiuium inuitando, dicitur misisse ancillas suas: vt versio Græca habet, eamq; sequens Latina, fortasse vt sensus sexui cohæreret: cùm σοφία Græcè, & Sapientia Latinè, fœminina sint: sed ex Hebræo vertunt septuaginta, seruos: quam versionem sequuntur Cyprianus & Augustinus. Quo sensu ipsemet Saluator ad illam videtur alludere, quando Pharisæis & alijs incredulis sic exprobrabat. [a] Propterea sapientia Dei dixit: Mittam ad eos Prophetas & Apostolos. Prophetæ siquidem prænunciando, Apostoli verò prædicando, more humilium, & sæculo imbecillium ancillarū, ad conuiuium tàm excellens inuitabāt sibi similes, simplices, rectos, & humiles, qui non sensu & ratione, sed quæ vtrunq; hoc superat fide, tanta mysteria exciperent. [b] Iam verò redeundo ad seriem Prophetarum, occurrit primus Isaias: qui non tàm Prophetam agens quàm Euangelistam, non prætergit tantum nouæ legis sacrificium adumbrare, primò in illis verbis: Et faciet Dominus Deus exercituū omnibus populis in monte hoc, conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defœcatæ. Et præcipitabit in monte hoc faciem vinculi colligati super omnes populos, & telam quam orditus est, super omnes nationes, præcipitabit mortem in sempiternum. Et auferet Dominus Deus lachrymam ab omni facie, &c. Hoc loco enim Propheta, Dominum Deum, intelligit Mesiam Saluatorem: quando mox verbis iam citatis subijcit: Ecce Deus noster iste, expectauimus eum, & saluabit nos. Montem etiam suo more, & per Antonomasiam, intelligit montem Sion, continentem [c] porticum Salomonis, in quo erat cœnaculum illud, in quo Christus Dominus cum suis Apostolis peregit & instituit conuiuium cœnæ vltimæ, ex pinguissimis ferculis, hoc est, carne sua, [d] quæ est panis de cælo descendens, & pinguis, delicias præbens Regibus. simulq; ex specie vini, quod vocatur sanguis vuæ, vt suo loco citauimus Et hoc fieri præcepit in memoriam & repræsentationem suæ passionis & mortis, per quam præcipitauit mortem in sempiternum: simul etiam præcipitauit telam præuaricationis seu culpæ, quam Sathanas in genus humanum ab initio orditus fuerat: quando nimirum Dominus istud dignissimum sacrificium & sacramentum instituit [e] in remissionem peccatorum: quorum deinceps post suam resurrectionē in eodem ipso loco Apostolis suis dedit potestatem remissionis & solutionis ex vinculis per Sathanam alligatis, de quibus alibi idem Propheta sic loquitur: Dissolue colligationes impietatis. Solue fasciculos deprimentes. Vnde etiam consecutū est ex tristitia gaudium, quod in eodem ipso loco Dominus promittebat

Lucæ 11. v. 49.
Cap: xxij.
b Isaiæ non tam prophetæ quàm Euāgelistæ, de sacrificio Euangelico vaticinia.
Hieron: prologo in Isaiam.
Isai. 25. v. 6. & 9.
c Conuiuiū Cœnæ vltimæ prædixit Isaias.
d Ioan 6. v. 32. 58.
Genes: 49. v. 10. 11.
Deuter. 32. v. 14.
e Matth: 26. v. 28.
Lucæ 20. v. 22.
Matth. 16. v. 18.
Isai. 58. v. 6.
Ioan 16. v. 20.

tebat dicens: Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini: sed tristitia vestra conuertetur in gaudium. Et paulò post: Nunc quidem tristitiam habetis. Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

a Altare sacrificij Euangelici prædixit Isaias. Isai 19. v. 19. Hierõ. super hũc locum. Eusebius Demonstr: Euang: lib. 1. Cap. 6.

Cap. xxiii

a Secundum testimonium Isaiæ de sacrificio, exponunt S. Hieronymus & Eusebius, quando sic loquitur Propheta: In illa die erit altare Domini in medio terræ Aegypti: & titulus Domini iuxta terminum eius: & erit in signum & testimoniũ Domino exercituũ in terra Aegypti: Hìc enim sensum esse de sacrificio, arguit mentio altaris, quod ad sacrificia spiritualia non requiritur. Alioqui enim sacrificium gentilicum nõ approbaret Dominus, nisi fortè illud, quod Melchisedech in oblatione panis & vini præsignasset. Quod magis etiam colligitur ex sequẽtibus, vbi dicitur:

b Isai. 19. v. 21.

b Cognoscent Aegyptij Dominum, & colent eum in hostijs & muneribus, & vota vouebunt Domino, & soluent. A tali etiam sensu non discrepant præcedentia & consequentia: cum totum illud caput, sub titulo Aegyptiorum, de gentilitate ad verũ Deum tandem conuertenda possit intelligi: quod maximè indicant verba immediatè sequentia:

c Ciuitas Solis inter alias quinq; apud Isaiam, quæ. Isai. 19. v. 18.

c In die illa erunt quinq; ciuitates in terra Aegypti, loquentes lingua Chanaan, & iurantes per Dominum exercituum. Ciuitas Solis vocabitur vna. Istæ enim quinq; ciuitates, possunt fortassè exponi quinq; Patriarchatus primarum sedium Apostolicarum, quando etiam Hierosolyma citò post Domini ascensionem sceptro gentilico subiacebat: in quibus etiam continebatur Alexandrina, quæ est Aegypti: quarũ etiam vna ciuitas Solis, competit sedi Romanæ: Sicut enim sol caput Planetarũ, sic Roma caput orbis est reputata, ex qua reliqua gentilitas fuerit illuminata. Omnes autem vnam linguam Chanaan, hoc est, vnam agnitionem religionis Christianæ in terra Chanaan exortæ, professuros esse, rectè id etiã vnitati religionis Catholicæ, per vniuersum orbem, accomodari potest.

d Vnitas Ecclesiæ ex Iudæis & Gẽtibus ab Isaia adumbrata. Isai. 19. v. 24. Iustin. Dialogo cum Tryph: vers. finem. Hieron. in hunc locum.

d Ad quam expositionem possent etiam reduci verba vltima eiusdem capitis, vbi dicitur: In die illa, erit Israel tertius Aegyptio, & Assyrio: benedictio in medio terræ, cui benedixit Dominus exercituum dicens: Benedictus populus meus Aegypti, & opus manuum mearum Assyrio: hæreditas autem mea Israel. Videtur enim hìc prædici congregatio Iudæorum & Gentilium ad vnum ouile, sicut Christus ipse dicebat:

e Ioan 10. v. 17.

e Alias oues habeo, quæ nõ sunt de hoc ouili, & eas oportet me adducere, & vocem meam audient: & fiet vnum ouile, & vnus pastor: In quem sensum etiam Iustinus Martyr antiquissimus exponit. Sed nec illud ab hac expositione discrepat, vbi dicitur: Erit titulus Domini iuxtà terminum Aegypti, &

a Altare & Crux. tesseræ fidelium à paganis, & hæreticis. Isaiæ. 19. vers. 19.

a erit in signum & testimonium Domino exercituum in terra Aegypti. Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Saluatorem propugnatorem qui liberet eos. Hæc ibi. Quemadmodum enim ex gentibus Christiani, mox post susceptam religionem in locis habitationum suarum, altaria & templa erigebant: sic foris, ac in finibus & exitibus terminorum, passim statuas crucis & passionis Christi collocabant, vt vel hoc signo terra sancta Christianorum fidelium discerneretur à terris infideliũ, & hæreticorum: contra quos etiam isto maximè trophæo sese muniebant. Cuius rei vtriusq; initiũ & exemplum, à conuersione primi Imperatoris Constantini inchoatum, hucusq; permanet.

Cap. xxiiij

b Isaiæ Prophetia terminatur Euangelica luce, de nouæ legis Ecclesia, eiúsq; statibus. Isaiæ. 66. vers. 81.

b Tertius locus apud eundem Prophetam est, quando versus finem, quasi transeundo ex vmbra ad lucem, ex typo ad ipsam veritatem, inter alia, legem Euangelicã quasi eminùs aspiciendo, & digito demonstrando, sic Dominum inducit loquentem: Venio vt congregem (populum meum Israel) cum omnibus gentibus & linguis: & venient & videbunt gloriam meam: Et ponam in eis signum. Et mittam ex eis qui saluati fuerint ad gentes, in mare, in Africam, & Lydiam tenentes sagittam, in Italiam & Græciam, ad Insulas longè, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam. Et annunciabunt gloriam meam gentibus: Et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus, donum Domino, in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis, ad montem sanctum meum Ierusalem, dicit Dominus: Quomodo si inferant filij Israel munus, in vase mundo in domum Domini: Et assumam ex eis in sacerdotes & Leuitas, dicit Dominus. In verbis enim istis Propheta quasi ad viuum depinxit vocationẽ gentiũ, eiusq; ordinem. Quòd nimirum Dominus primò electurus esset aliquos, & positurus in eis signum, hoc est, Apostolos, eorumq; successores, qui primitias fidei & charismatũ, symbolo crucis sacræ insignitum accepturi essent, easq; demũ sua prædicatione alijs partibus orbis, etiam nouis insulis, & linguis gentium, communicarent: vt exinde vniuersitas & maiestas regni sui, hoc est, Ecclesiæ Catholicæ exurgeret: Quæ graphicè admodum ab Isaia descripta hucusq; cernitur, quando ad sedem primam Apostolicam Romanam, vel votorum causa, vel cum delatione obedientiæ nouo Pontifici, vel à nouis Principibus, vel pro anno Iubilæo, maxima solennitate, ex vniuerso orbe solet fieri concursus.

c Status sacerdotij & sacrificij nouæ legis ab Isaia delineatus. Isaiæ. 66. vers. 21.

c Et sic ipsi Gentiles, in montem sanctum suum, hoc est, Ierusalem, & cœtum credentium, inferrentur nouo & mundo dono, hoc est, noua nouæ legis oblatione, & libatione munda, quam postea descripsit Malachias. Ad cuius ministeriũ, non amplius ex Le-

uitico

uitico genere, sed ex ijsdem, qui sic ex gentibus conuersi essent, sacerdotes & Leuitas sibi desumeret: sicut hoc ipsum in vltima cœna in eo ipso monte Sion præstitit, in qua sacrificium nouum cum ipsa lege noua, priore abrogato instituit. Quam prædictionem statim temporibus [a] Apostolorum euenisse, S. Clemens in Constitutionibus Apostolicis attestatur, sic scribens: Pro vna tribu sacerdotali, iussit (Dominus) ex vnaquaq; gente optimos quosq; ad sacerdotium eligere: neq; vitia corporũ contemplari, sed religionem & vitam. Similiter Cyprianus: In Ecclesia Catholica, inquit, sanguis animaliũ non infertur in sancta: nec sunt hæreditariæ successiones Pontificũ, vel vni Leuiticæ tribui ministeria assignata, sed de omni tribu, gente, & lingua, quos dignos & idoneos Diuina probat electio, secundũ vitæ, non generis meritum, statuit (Dominus) sacerdotes.

a Clem: Const: Apost: lib: 6. Cap. 21.
Cyprian: de vnctione Chrismatis.

Porrò ex Ieremia Propheta [b] testimonium satis clarum & authoritate Ecclesiæ firmatum suprà adduximus. [c] Sed nec Ezechiel tanti momenti sacrificium prorsus reticuit. Nam capite 46. suæ Prophetiæ multa de ritu sacrificij cruenti simul & incruenti (quæ vtiq; futura præsignabant) diuinitùs edocet, quæ in lege Moysis non essent explicata. Ibi etiam describit portam orientalẽ, per quam solus Princeps ingrederetur, alijs autẽ esset clausa, per quã Christi Domini ex clauso vtero virginis natiuitatem, suprà cap. 44. satis apertè præsignasset. In tali introitu peculiari, præscribit etiam Propheta, eidem Principi sempiternum, & singulare quoddam præ reliquo populo holocaustum, quod quidem ipse faceret, hoc est, offerret voluntariè, & nõ nisi manè: agnum vero eiusdem anni imaculatum, cum mensura olei & similæ. Videte quæso auditores, quàm singula sacrificio Christi, de quo hactenus diximus conueniant: Princeps enim Christus secundùm [d] Isaiam, sicut in mundum ex clauso vtero Mariæ egressus est per singularem portam: sic etiam ad holocaustum Deo Patri reddendum, solus in portam cælestis tabernaculi per sanguinem suũ introiuit, & quidem voluntariè, quia secundùm Isaiam oblatus est, quia ipse voluit: quando sese cohorti obtulit dicens: Ego sum, sinite hos abire. Tempus etiam matutinum circa horam diei tertiam & sextam, deputatum erat, quod etiam nunc in sacrificio incruento seruatur. Materia autem vel subiectum oblationis erat agnus, per omnia respondens agno illi legali & typico, [e] de quo suprà diximus. quando similiter dicitur anniculus, immaculatus: & insuper cum oleo oblatus, vt magis propriè personam Christi, qui vnctum sonat designaret. Coniungitur eidem ipsi holocausto simila, quæ oblationi nouæ legis ex pane & vino correspondet. [f] Nam S. Hieronymus & Symachus

b Ierem: 11 v. 18. Supra Capite 15.
c Esechielis de sacrificio nouæ legis præsagia.
Esech: 48. v. 1. &c.
Esech: 44. v. 2.
d Isai. 9. v. 6.
Hebr. 6. v. 20.
Hebr. 9. v. 11. & 24.
Isaj. 53. v. 7.
Ioan. 18. v. 6.
e Exodi 12. v. 5.
f Hieron: super hunc locum.

Symachus, pro simila vertunt, Manna, quæ erat propria figura Eucharistiæ, cibum simul & potum cælitus datum significans. Immò septuaginta Interpretes pro manna, ponunt hoc loco θυσίαν, quod sonat hostiam: vt nimirum Christus Dominus in manna mystico, hoc est, in pane & vino, seipsum viuam hostiam obtulisse, & identidem per ministros sacerdotes offerre, censeatur.

Cap. xxvi.

[a] Porrò apud Danielem prophetam habetur quoq; illustre testimonium, pro nouæ legis sacrificio incruento: quando tractans de aduentu Antichristi inter alia sic loquitur cap. 9. Et in medio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium. Et rursus cap. 8. Robur autẽ datum est ei (Antichristo) contrà iuge sacrificium. Et cap. 11. Pollu ent sanctuarium fortitudinis, & auferent iuge sacrificium, & dabunt abominationem in desolationem. [b] Quæ verba sub persona Antiochi, non allegoricè, sed propria litera spirituali intelliguntur de Antichristo. Sicut Isai. 14. sub nomine regis Babylonis describitur propriè Lucifer: vt intelligi potest ex allusione manifesta ad hunc locũ, quam facit Apostolus 2. Thessal. 2. & Ioannes Apostolus Apoc. 13. Idipsum colligitur ex verbis ipsius Danielis quando dicit, eum regẽ pugnaturum contra omnes Deos, & contra ipsum Deum suum: [c] quod exponit Apostolus, quod seipsum extollet suprà omne quod dicitur Deus, & colitur: In templo Dei sedens, & ostendens se tanquã esset Deus. Quod tamen Antiochus fecit nunquam: quin potiùs ad cultum & victimas Deorum suorum Gentilicas, populum Dei cogebat, & propterea persequebatur. [d] Iste igitur Antichristus, in hoc maximè, & extremo conatu, honorem Deo vero proprium adimere, sibiq; arrogare præsumet, quando eius summum cultum, hoc est, iuge illud & perpetuum ipsius filij Dei sacerdotium & sacrificium ex loco eius sancto, hoc est, ex altaribus sacris tollet, per hebdomadæ, hoc est, septennij dimidiũ, quod annos tres cum dimidio quibus tyrannis eius vigebit, perdurabit. [e] Conantur aduersarij more suo, per hoc iuge sacrificium seu hostiam, sacrificia spiritualia exponere, nimirum in professione verbi Dei, sacramentorum, orationum, Diuinæ laudis, & similium internorum cultuum. Verùm ista cùm sint magis spiritualia, interna, & priuata, Antichristus poterit quidẽ impedire, sed non prorsus tollere, vt dicit Propheta. Loquitur igitur nõ figuratè, sed verè de sacrificio & hostia, qui cultus externus est, & publicus, alligatus loco sacro, sanctuario seu templo, & altari, quæ Antichristus desolaturus, & ad abominationem horrendam perducturus est, vt locus etiam sacrificio aptus non inueniatur: quam desolationem ipse etiam Dominus prædicit. Idipsum demonstratur, quando

a Danielis vaticinium de iugi sacrificio Euangelico.
Dani. Cap. 9. v. 27. Cap. 8. v. 12. Cap. 11. vers. 30.
b Antichristus sub nõine Antiochi designatus.
Isai 14. vers. 12.
2. Thessal. 2. v. 4.
c Apoc. 13.
d Antichristi persecutio maximè tẽdet ad abolendum iuge sacrificium.
e Iuge sacrificiũ spirituali frustra eludunt heretici.

quando hoc sacrificium dicitur esse iuge: a In lege namq; nullũ aliud sic denominatur, nisi agni duo, quorum vnus manè, alter verò vesperi immolabatur, vt sic continua series temporis signaretur: siquidem primæua lex temporis est, vt vespere & manè dies diceretur. Quæ temporis continuatio rectè exprimit nouæ legis sacrificium, vt sacerdotium & sacrificium, quod dictum est à Dauide & Apostolo, æternum, sit quoq; iuge & nunquam deficiens, ab eo tempore, quando à Domino erat institutum & demandatum. Siquidem vnus & idem agnus immolatus est, & manè ritu cruento, & vesperi modo incruento: qui vterq; modus, posterior quidem re ipsa, prior verò memoria & repræsentatione, iugiter in Ecclesia continuatur per vniuersum orbem; quando nõ iam in vno tantùm monte Sion, b sed secundùm Malachiam, in omni loco orbis terrarum offertur, sub diuersis climatibus, varium diei exortum & occasum decernentibus, vt nullo temporis momento hæc hostia deficiat (excepta Antichristi persecutione) donec ad iudicium Dominus veniat. Eo etiam sensu Ecclesia Orthodoxa istum locum intellexit ex antiquissimis c Doctoribus, Irenæo, Hyppolito, Chrysostomo, Hieronymo, Augustino, Theodoreto, & alijs. d Vltimus inter Prophetas est Malachias, quẽ S. Augustinus ex Irenæo vocat Malachielem; immò etiam cum Clemente Alexandrino Angelum, fortasse propterea, quòd præter consuetudinem, genus illius, tempus, locus prophetiæ, & ipsa inter homines conuersatio, taceatur: sed veluti hierarchicè illuminatus, profundissima consilij diuini mysteria depromat, atq; statum legis Euangelicæ quasi desursum aspiciens, clariùs quàm præcedentes Prophetæ depingat: præsertim de aduentu Messiæ, eiusq; præcursoris, quos angelico titulo denominat, tum etiam de legis eiusdem Sacerdotio, simulq; sacrificio. Statim enim ab initio e Prophetiæ per diuersam sortẽ natiuitatis Esau & Iacob germanorum, insinuat diuersam sortẽ, vocationis quidem gentilium, reprobationis autem Iudæorum, seu decessionem Synagogæ, exaltationem verò Ecclesiæ, idq; propter Iudaicum demeritum, f quòd Deum & Patrem, voce tantùm non autem officio recognoscant. Mox subinfert similem quoq; in sacerdotio & sacrificio mutationem: & veteris quidem reprobationem, noui verò acceptationem, ex duplici potissimùm ratione. g Primò, propter defectum materiæ: quòd in sacrificio legali offerantur Deo parum digna, nimirum animalia, in quibus defectus esset non solùm rationis, sed quandoq; etiam corporis, quales non solùm Deo, sed etiam homini, offensam nouam potiùs quàm placationem inducerent. Similiter, quòd panis qui ex lege offerretur, esset

a Iuge sacrificiũ nouæ legi proprium eiusq. typ9. Numer. 28. vers. 3. Genes: 1. vers. 5.

b Isaiæ. 2 vers. 2 Ioan. 4. vers. 21. Malach. 1. v. 11.

c Irenæus. lib. 5. Cap. 25. Hyppol: Oratione de consum. seculi. Chrisost: hõ. 49. operis imperfecti. Hie. in hũc locum August. ciuit. lib. 20. Cap. 13. & 23.

d Malachiæ veluti Angelica Prophetia de statu nouæ legis.

Cap. xxviij

e Malach. 1. v. 2.

f Malach. 1. v. 6. &c.

g Sacrificij legalis in Euangelicum mutandi rationes Malach. 1. v. 7.

quoq;

quoq; pollutus, hoc est, ex nudis & egenis tantùm elementis confectus, & propterea pollutioni & ipsi corruptioni subiectus. Propter eàq; rectè ipsimet taliter offerentes, quasi tædio affecti, mensam eiusmodi faterentur fuisse despectam: vt propterea necessitas incumberet producendi aliud sacrificium, & sacerdotium secundùm ordinem Melchisedech, quod iuramento diuino firmatum, irreuocabilem acceptationem apud Deum obtineret. a Altera causa reprobationis veteris sacerdotij, & quidem veluti formalis ibidem ponitur in his verbis: Quis est in vobis, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuitò? Hîc enim innuitur reprobatio legis etiam ipsius antiquæ tanquam terrenæ & mercenariæ, de qua post similem sacrificiorum legalium diuinam execrationem, dicitur: b Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis, &c. Tali reprobatione ostendit Deus, quali sacrificio placari velit: nimirùm quòd haberet hostiam spontaneam, ex charitate sufficientem, & Deo dignam: cruentam quidem, sed quæ esset integra, & nequaquã imminuta, vel quocũq; modo deficiens: qualis erat Christus, agnus ille immaculatus, integer, cuius etiam os in passione ipsa non fuisset cominutum: & non solùm inter homines, & supra homines forma speciosus, sed etiam Deo Patri summè complacitus & dilectus. Idem ipse etiam in hostia incruenta exhibuit seipsum panem impollutum, quia de cælo descendentem, imò etiam cælos non deserentem, idq; per castissimum virginalem vterũ operatione Spiritus sancti, in vera carne hominibus quoq; communicatum. Ideò hoc mysterium sic latiùs & expressiùs prosequitur, Leuiticos sacerdotes sic alloquens: c Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituũ, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis vsq; ad occasum, magnum est nomen meũ in gentibus: Et in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnũ est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.

a Lex vetus mercenaria, noua gratuita, Deo chara. Malach. 1. v. 10.

b Isai: 1. v. 19. Deut. 6. v. 2. & Cap: 28.

c Malachiæ vaticinium de sacrificio nouæ legis expenditur. Malach. 1. v. 10.

Cap: xxviij

Locus este ad adstruendum nouæ legis sacrificium adeò celebris est, vt vix vllum ex Doctoribus sacris inuenias, qui illum ad hoc propositum non adducat. Sed nos singula expendamus. In primis verbis ostendit Dominus displicentiam primo in ipsis personis offerentibus, hoc est, Leuitis, & populo toto Israëlitico: & sic in vtroq; isto statu includit displicentiam seu reprobationẽ non solùm sacerdotij Leuitici, sed etiam ipsius legis. Quando autem addit: Et munus non suscipiam de manu vestra, intelligit ipsarum etiã hostiarum legalium abiectionẽ. A quibus omnibus protestatur voluntatem suam alienam, vtpotè quæ ad complacentiam sacrificij nouæ legis esset reflexa: vt constat ex Psalmis alibi citatis, d quando secũ-

dùm

dùm mentem Apostoli, dicit filius Dei ad Patrem: Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. Holocaustamenta & pro peccato, non tibi placuerunt: Tunc dixi ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt faciam Deus voluntatem tuam. [a] Et alibi: Quoniam si voluisses sacrificium dedissem: vtiq; holocaustis non delectaberis. Et alia quæ sequuntur, quæ de oblatione nouæ Ierusalem, hoc est, Ecclesiæ, sunt accipienda. Causam autem talis reprobationis affert, non accidentalem (sicut plerunq; alibi) offensam propter peccata ad tempus: sed causam essentialem, quæ ex vocatione gentium propter præuaricationem Iudæorum proueniret. Ideò dicit: [b] Quia magnum est nomen meũ in gentibus. Non aliud certè nomen, quàm de quo alibi dicit idem Dominus: Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob, in Deo omnipotente, (hoc est, in plenitudine Diuinitatis, in Christo inhabitantis corporaliter) & nomen meũ Adonai (seu Iehouah) non manifestaui eis: hoc est, nomen superexcellentissimæ Trinitatis, quod nouæ legis Ecclesiæ potissimùm ex gentilitate colligendæ reseruabatur. Quod tunc innotuit: quando secundùm Euangelistam, Deum (sic in Trinitate absconditum) nemo vidit vnquam, vnigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. Sicut & ipse contestabatur dicens: [c] Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Ego te clarificaui super terram, &c. Et rursus: Notum feci eis nomen tuum, & notum faciam. [d] Nam Trinitatis mysterium clarè quidem Dominus in sua prædicatione ostendebat, maximè quando dicebat Philippo: Ego in Patre, & Pater in me: Et quando circa baptismum, & transfigurationem suam, personas inuisibilis Trinitatis, in specie visibili exhibebat: sed postmodum glorificatus, multò etiam clariùs idem mysteriũ promulgauit dicendo: Euntes in mundum vniuersum, baptizate omnes gentes, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et hoc est illud magnum nomen, quo veluti præcipuo fidei & salutis symbolo, Ecclesia ex vniuersitate gentium coäluit, & orbem repleuit vniuersum, cui meritò respondeat sacrificium sic descriptum, quòd ab ortu solis ad occasum, in omni loco foret peragendũ.
[e] Secunda ratio reprobationis oblationum legalium est, quando Dominus dicit: In omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. Vbi primò notandum est, istas enunciationes quamuis Propheticas de futuris, dici in præsenti tempore, primò secundùm morem Prophetarum, qui propterea Videntes dicebantur, quòd futura prænunciantes, quasi præsentia cernebant: Deinde, quia sicut dicitur Christus, agnus tollens peccata mundi ab origine mundi occisus,

a Psalm. 39. v. 7. Supra sermone 4. Cap. 18. Psalm. 50. v. 28.

b Nomen Dei magnum in gentibus quod. Malach: 1. v. 11. Exodi. 6. vers. 4.

c Ioan. 17. vers. 5. & 15.

d Vide Tertull: in fine libri contra Praxeam. Irenæũ lib. 4 Cap. 13. & 37. Matth. 28. vers. 29.

e Prophetę cur dicti videntes.

cisus, & postmodum iam glorificatus, visus est à Ioanne Apostolo quasi occisus: [a] ita sacrificia legalia quicquid vel signabant, aut valebant, ad expiationes temporales, totum illud ad futuram veram oblationem Christi referebatur. Quod attestatur Princeps Apostolorũ his verbis: [b] De qua salute exquisierunt atq; scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prædicauerunt: scrutantes in quod, vel quale tempus significaret in eis spiritus Christi, (expende hîc apparatum redemptionis, de qua nunc loquimur) prænuncians eas, quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias: Quibus reuelatum est, quia non sibimetipsis, vobis autẽ ministrabant ea, quæ nunc nunciata sũt vobis, &c. Et ipse Dominus dicebat Apostolis tanquã nouæ legis Principibus: In hoc enim verbum est verum: quia alius est qui seminat, & alius est qui metit. Ego misi vos metere, quod non laborastis: & alij laborauerunt, & vos in labores eorũ introiuistis. [c] Hoc ipsum sensit B. Augustinus, sic scribens: Huius veri sacrificij, multiplicia variaq; signa, erant sacrificia prisca sanctorum: cùm hoc vnum per multa figuraretur, tanquã multis verbis res vna diceretur, vt sine fastidio multum commendaretur. Huic summo veróq; sacrificio cuncta sacrificia falsa cesserunt. Hæc ille. Quod autem rarò admodum exemplo cõiungitur simul & semel (sacrificatur & offertur) optimè conuenit nouæ legis sacrificio cruento, & oblationi incruentæ, cuius vtriusq; iugis fit in Ecclesia repræsentatio.

Cap. xix. Porrò oblationi veteri præfertur noua, propterea quòd illa fuerit immunda, hæc verò munda. [d] Quæ mundities consideranda est, non secundùm corpus, sed (vt ipse Dominus explicat) secundùm spiritum & veritatem. Alioqui enim ad sacrificia legalia non admittebantur nisi animalia munda, & aliæ oblationes mundæ: ipsiq; sacerdotes varias purificationes & lauacra, sacrificijs suis præmittebãt. Sed dicuntur antiqua sacrificia cum suis sacerdotibus immunda, primò quidem: respectu oblationis Christi, agni occisi ab initio mundi, qui postmodum seipsum Deo Patri obtulisset hostiam viuam & immaculatam, quæ (vt loquitur [e] Conciliũ Tridentinũ) nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari posit, ad cuius, inquã, comparationem, omnes creaturæ censentur imundæ: sicut & cæli ipsi in conspectu eius non sunt mundi: Deinde, quia sacrificia illa legalia [f] carebãt spiritu & veritate: sed erant tantùm signa emortua, ac veluti cadauer, quod immundum à lege censebatur. Ideò secundùm Chrysostomum, hæc oblatio intelligitur munda, non solùm secundũ causam, sed etiam secundùm effectum, quia per illam mundamur à peccatis nostris: adeò vt secundùm Isaiam, Si fuerint rubra vt coccinum,

a Fides antiquæ & nouæ legis eadem, sed quasi in vmbra & veritate.

b 1. Petr. 1. v. 9. Irenæus lib. 4. Cap: 13. Epiph: initio lib. con hæreses. Euseb: Cæs: lib. 1. historiæ Ecclesiasticæ Cap. 1. Ioan 4. vers. 35. Iren: lib: 4 Cap. 40.

c August: lib. 10. Ciuit. Cap 20. Et lib. 17. Cap. 29.

d Oblatio nouæ legis quomodo dicitur munda.

e Conc Triden. sess: 22. Cap. 1. Iob 15. vers: 15.

f Ioan. 4. vers: 23. Leuit. 11. vers: 8. Isai. 1. vers: 18.

num, veluti nix dealbabũtur. Qualis sensus colligitur etiam ex verbis consequentibus apud Malachiam, [a] quibus exprobrat Dominus, quod & ipsi sacerdotes legales, experientia edocti, illas oblationes esse infirmas, quæ elemento ignis absumerentur, imũdas quoq;, & inutiles sua reprobatione statuerent, & quasi ab altari exsufflarent. Quãobrem lex ipsa & mandatũ alioqui sanctum, fuisset dolosum & maledictum, nisi tandem depromeret & substitueret agnum illum, ab origine mundi promissum, & imaculatum Christum, qui nouam & acceptabilem nouæ legis ex gentibus oblationem, in perpetuum stabiliret. [b] Istam etiam munditiam oblationis Christi, ipsius discipulus Martialis sic describit: Non solùm in ara sanctificata, sed vbiq; Deo offertur oblatio munda: sicut testatus est: (subaudi per Malachiam prophetam ipse Dominus) cuius corpus & sanguinem in vitam æternam offerimus dicentes: Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Ipse enim corpus habens & immaculatum, & sine peccato, quod conceptum est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine, in ara crucis ipsum permisit immolari. Sic ille. Ex qua sententia (vt etiam adstipulantur Eusebius [c] Cæsarieñ, Theodoretus, Irenæus, Rupertus in hunc locũ, & antiqui Doctores obseruauerunt) locus præsens Malachiæ conuenit cũ illo, quando Christus Samaritanæ veluti Gentilium Apostolæ obijcienti: Patres nostri in monte hoc adorauerunt: Et vos dicitis: quia in Hierosolymis est locus, vbi adorare oportet. Sic respondet: Mulier crede mihi: quia veniet hora, quando neq; in monte hoc, neq; Hierosolymis adorabitis Patrẽ. Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus: quia salus ex Iudæis est. Sed venit hora & nunc est, quãdo veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Nam & Pater tales adoratores quærit. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. [d] Adorationem autẽ pro sacrificio vsurpari, docent clarissima exempla, veteris quidem testamenti in Abrahamo, noui autem in Eunucho, & alijs. Quo sensu etiam Samaritana sine dubio adorationem intelligebat, quæ fiebat per summum cultum sacrificij seu holocausti, cui etiam singularis locus mons in Samaria Garisim dictus, fuisset destinatus: qui teste Chrysostomo, ab aliquibus putabatur esse ille, in quo Abraham filiũ suum imolasset, & Moyses populo Dei vltimam benedictionem impendisset: & in quo, secundũ Cyrillum, Iacob rediens ex Mesopotamia opulentus, Dominũ adorasset, vt dicitur Genesis, cap. 33. Quod clarius euadit ex verbis ipsius Domini, qui adorationem Hierosolymis, per sacrificia & oblationes fieri intelligebat: vt etiam ex Deut.

[a] Malach: 1. v. 13.

[b] In spiritu & veritate adorare quid. Martialis Epist: ad Burdegalen. Cap. 3.

[c] Euseb: Cæs: lib. 1. Demonst. Cap. 6. Irenæus lib: 4. Cap. 34. Theodoretus & Rupertus in hũc locum.

[d] Adoratio potissima per sacrificium. Genes. 22. vers. 5. Actorũ. 8. v. 27. Ioan. 12. vers. 22. Deut: 11. vers. 29. Chrysost: hõ: 31. in Ioannem. Cyrill in Ioan. lib. 2. Cap. 80.

cap. 12. constat. Iam ergo talis adoratio per sacrificia & oblationes transferenda erat, immò iam transferebatur, sicut in vnum locum vniuersalem totius mundi, videlicet Ecclesiam Catholicam, vel (vt S. [a] Clemens vocat) Oecumenicam, seu ex omnibus gentibus collectam, sic in sacrificium ipsum & oblationem, quod esset vniuersale ac perenne: quando nõ ampliùs creatura creaturã imperfectam ac immundam, sed creator seipsum in assumpta humanitatis creatura, ministerio etiam creaturæ, iugiter offerret: vt sic Deus qui natura spiritus est, gratia autem caro factus, adoraretur verè & propriè, in spiritu & veritate, secundùm vtramq; naturam in Christo, qui simul sit & offerens & oblatio ipsa. Eo etiam modo adorationem istam accipit [b] B. Clemens quando dicit: Dominus pro sacrificio cruento, rationale (oppositum illi quod fiebat ex brutis) & incruentum ac mysticũ sacrificium instituit: quod in mortẽ Domini per symbola corporis & sanguinis sui celebratur. Pro adoratione locali ab ortu solis vsq; ad occasum, in omni loco imperij sui, (hoc est, Ecclesiæ suæ) nomen suum celebrari statuit. Hoc etiam sensu scribit alibi: Christum naturâ sacerdotem, obtulisse Deo Patri ante ipsam passionem, hostiã spiritualem. Statuit autem celebrari nomen suum non alio modo quàm quando dicebat: Accipite & manducate hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei. Hoc facite quotiescunq; manducaueritis, vel biberitis, in meam comemorationem. [c] In eum sensum istam Malachiæ Prophetiã intellexerunt omnes ferè Doctores Orthodoxi, quorum ex primis locum assignamus: vt miranda, vel potiùs damnanda, sit nouatorum, aut ignorantia, vel impudentia, qui hanc Prophetiam de nouæ legis sacrificio incruento agere, vel prorsus inficientur, vel ad spirituales oblationes tanquam Christianis communissimas detorqueant. Si enim apud aliquos ex Doctoribus sacris simile quid reperiunt, si rectiùs attendant, videbunt illos, vel oblationẽ incruentam in tali expositione, tanquam præcipuam præmittere, vt Eusebius Cæsarieñ. attestatur: vel spiritualia reliqua sacrificia in ista vnica comprehendere. Siquidem scribit [d] Augu. In Missa seu sacrificio, quod celebrat & frequentat Ecclesia, omne precum, orationum, laudumq; genus, de quo Apostolus ad Timotheũ scribit, contineri. Atq; ista ratione aduersarij incurrunt indignationem, quam Dñus ibidem per Malachiam Leuitis incutit, sic inquiens: Maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum, & votum faciens, immolat debile Domino. Siquidem & ipsi pro sacrificio nouæ legis æterno & diuino, substituant claudũ atq; defectuosum, ab actibus humanis (quos illi culpæ perpetuæ mancipare solent) profectum, & ipsis Iudæis cõ-

[a] Clemens Constit: lib: 7. Cap. 38.

Ioan 4. vers. 23.

[b] Clem. lib. 6. Const. Cap: 23. Et lib: 8. const. Cap. 52. Euseb. Demõstr. lib. 1. Cap. 10.

[c] Negantes sacrificium, nubẽ testium conuincũtur. Clemẽs locis citatis. Iren. lib. 4. Cap. 32. &c. Martialis loco citato. Iustin. cũ Triphone aliquoties. Tertull. lib. 3. cõ: Marcionem. Cypr. cõn Iudæos Cap: 16. Chrysostom. in Psalm. 95. Euseb. Cæs: Demonstr. libro 1. Cap. 10. Hieron. super Malachiam. August. Ciuit lib. 18. Cap. 35. & lib. 19. Cap. 23. & lib. 1. con: aduersariũ legis. Cap. 20. Damascenus de fide lib. 4. Cap: 14. Theodoretus in hunc locum.

[d] August. Epist. 59 ad Paulinum. 1. Timoth: 2. v. 1. Malach: 1. v. 14.

mune: interim autẽ turpiùs quàm ipsi hostes Euangelici Iudæi, reijciunt vel reprobant, agnum ex grege Ecclesiæ, cuius est ipse caput immaculatum: vt propter eiusmodi dolum, maledictionem diuinã ibi interminatam, ni tandem resipuerint, non euadant.

a Sacrificium, Sacerdotium, & legem disiungẽtes perdunt Hæretici.

c Hebr. 7. vers. 12.

a Sanè Apostolus ponit regulam generalissimam, & consequentiam necessariam, hæc tria, sacerdotium, sacrificium, & legem, adeò inuicem alligata esse, vt translato vno ex illis, aliorum quoq; translatio necessariò consequatur: & hoc potissimo argumento, legem veterem degenerasse in nouam, Hebræos suos conuincit. Eodem quoq; modo nostros aduersarios Ecclesiæ hæreticos vrgeamus. Iactant illi se habere & colere legem nouam Christi Euangelicam, in tantum vt eam (si Deo placet) ex tenebris Papisticis, ad puram & putam (potiùs putatiuam) sinceritatem reuocauerint: b sacerdotium etiam externum eidem nouæ legi peculiare, in tantum admittunt, vt ad Apostolicum morem (nos dicimus, ipsorum errorem) promiscua etiam per sæculares manuum impositione, synagogarum, si quas habent, & conuenticulorum suorum, ex omni fœce generis humani, Superintendentes ministros, Diaconos, & Catechistas, passim instituant, sed etiam quando libet, destituant: quinetiam sæpiùs mulierculas ad prædicationem verbi admittant. Cur igitur ad legem adeò externam & sensibilem, quæ etiam cuiuslibet iudicio, vel sensui, vel (vt illi loquuntur) conscientiæ, patet diiudicanda: cur, inquam, sacerdotio, quod adeò notum est, vt etiam commune sit, sacrificium quoq; externum & sensibile denegant? cur suorum sacrificiorum internorum & spiritualiũ, non angelos potiùs quàm vxoratos vel confœminatos (alios namq; non admittunt) ministros constituunt? Cur altaria sacrificijs in omni lege propria, repudiant, interdum etiam demoliũtur, & mensas quas pransionis crapula paulò ante polluissent, cœnæ suæ quam sacram reputant, substituunt? c Certè antiquitas Christiana post Apostolos, ibi veram religionem constituebat, vbi sacerdotium quod altaris sacrificio vteretur vigeret: contrarios verò ritus pro schismate & hæresi reputabat. Succurrit eius discriminis in scriptura notabile exemplum. Elias enim Propheta religionem suam veram ab Idololatris hoc symbolo discernit: vt sumantur duo boues, quorum vnum ministri Baal in frusta dissectum, immolandũ apponerent: ipse quoq; bouem suum faceret, hoc est, per sacrificium olim legale immolaret. Quæ autem victima cælitùs accenderetur, eius auita & vera comprobaretur religio. Illos ergo sacrilegos, à manè ad meridiem, frustrà Deum suum Baal inclamasse: Eliæ verò hostiã subitò cælitùs fuisse igne deuoratam. Eodem namq; modo, ad cœnam

b Ecclesiæ Hæreticæ forma deformis.

c Religionis & sacrificij veri à falso discretio.

Cyprianus lib. 1. Epist: 9. Lib: 2. Epist: 1. 3. Lib. 3. Epist. 13. Optatus lib. 6. cõ. Parmen: Chryso. homil. 6. & 19. in Matth. operis imperfe. 3. Regu 18. v. 22.

nam Domini, quam nos sacrificium vocamus, cum hæreticis conuenimus in materia panis & vini: triplici tamen discrimine. a Primò, quia Ecclesia Catholica per totũ orbem vno ore fatetur, in hoc sacrificio, ex pane & vino, per verba Christi, fieri mutationẽ in verũ & reale corpus & sanguinem Christi, & ipsum Christum. Illi verò sicut inter se sectas, sic sententias de hac re, sic habent dissectas, vt eas numerare non possint. Deinde, quòd nos Catholici sub istis diuersis quamùis speciebus, vnum Christum indiuisum constituimus: ipsi autem temeraria specierum separatione & extorsione ipsum diuidunt. Tertiò, nos fatemur sub eisdem speciebus, vnicum nouæ legis contineri sacrificium, quod est ipse Christus, simul sacerdos, & ipsa hostia seu sacrificium: Illi autem tot interna & spiritualia sacrificia comminiscuntur, quæ & plebi communia sunt, & ad certum numerum & qualitatem reuocari non possunt. b Alterum discrimen erat, quòd Elias faciendo seu offerendo victimã suam Deo immolabat: illi verò vanis inclamationibus, idolum suum frustra euocabant. Sic & nos verbis Domini (Hoc est corpus meum, &c. Hoc facite in meam commemorationem) corpus & sanguinem ex pane & vino conficimus, & in suæ passionis memoriam offerimus. Illi autem verbis scripturæ historicis, pani & vino, nescio quid inclamant, & post longam moram, nulla mutatione vel consecratione consecuta, eadem quæ deprompserant ægena c (vt Apostolus loquitur) elemẽta plebi à se decepte propinant. d Deniq; hostia & sacrificium e Ecclesiæ Catholicæ, cælesti incensu adoletur, quia eius holocaustum simul & sacerdos est, qui teste Apostolo cælos penetrans, in tabernaculo quod fixit Deus non homo, sedens ad dexteram Dei Patris, sacerdotiũ suum æternum secundùm ordinem Melchisedech exequens, idem quoq; sacrificium quod eius iussu in terris geritur, virtute sua cælitùs adolet: vnde etiam in Catholicis dignè communicantibus subsequitur feruor charitatis, vt aliquos ad martyrium quoq; disponat. Quemadmodum ipse eiusmodi effectum sic prædicebat: f Baptismo (passionis) habeo baptizari: & quomodo coarctor donec veniat? Ignem veni mittere in terram: & quid volo, nisi vt accendatur? Lutherani verò, vel hæretici, sic à suis cœnis assurgunt, & sic ex cœtibus domum redeunt, vt de illis dici posit illud, quod de vituli adoratoribus legimus: g Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere. Siquidem corporalem tantùm specierum refectionem, corporalis vel carnalis quoque vigor ad maiorem licentiam consequi soleat: h vt ipsi eorum Pseudoprophetæ conqueruntur. i Gloriatur alicubi Thraso ille Pseudoeuangelicus Lutherus, & pro nouo nouæ sectæ miraculo reputat, tantam fuisse doctrinę suæ efficaciam,

Cap. xxxi.

Cap. xxxij.

a Cœnæ Domini materia Catholicis & hæreticis quæ.

b Cœnæ Catholicæ & Hæreticæ discrimen in forma.

c Galat: 4. vers. 9.

d Cœna Catholicorum ab hæretica differt causa efficiente & finali.

e Hebr: 4. vers. 14. Hebr. 9.

f Lucæ 12. v. 49. Exod. 32. v. 16.

g Exod. 32. v. 6.

h Erasmus Epist. ad fratres inferioris Germ. Lutherus in Postilla Dominicæ 1. Aduẽ.

in Lutheri & hæreticorũ Ecclesiã quo miraculo creuit,

Lutherus Epist. ad Argentinẽs.

vt breui tempore, magnam Europæ partem ad se pertraxisset. Egregiam verò laudem: refugam & Apostatam sui adiurati ordinis, & ipsius religionis perduelem, subitò sibi similium prædonum turbam comparasse. Quid minùs fecit superbissimus in cælo Lucifer: quid in terris dissolutissimus Mahumetes? Quid in decursu sæculorū non magis præstabit execratissimus Lutheri emissor Antichristus? Facilis descensus auerni: (cecinit olim [a] Ethnicus Poëta) At reuocare gradum, &c. hoc opus, hic labor est. Arduam virtutis viam, lubricā verò vitiorum, optimi quiq; censuerunt Philosophi. Sed consummatissimè omnium magister noster cælestis, edocuit, [b] Latam esse viā perditionis, quam plurimi sequantur: arctam verò salutis, quam pauci inueniant. Sicut ergo Catholicorum vox est, ex ore magistri sui Christi: Qui vult venire post me, abneget seipsum, tollat crucem suam, & sequatur me: [c] sic Lutheri vox ex suo Antichristo hausta est: Doce & prædica, quomodo leges humanæ nihil sunt. Prohibe & dissuade, ne quis fiat sacerdos, Monachus, aut Monialis, & quisquis in eo statu est, vt exeat. Et plura his similia sacrilego ore & stylo eructat ac pessundat, ad similitudinem illius bestię apud Danielem, quæ dentibus & vnguibus ferreis comedebat & comminuebat vniuersa, & reliqua pedibus suis conculcabat. [d] Talibus igitur fidei & comunitatis Christianæ desertoribus, & proprij sensus Idololatris, qui exploso vero externo sacrificio, consequenter etiam neq; altaria, neq; templa habent, sed aliena Catholicorum vel inuadunt, vel spoliant, vel depopulantur, conuenit illud, quod primis Christianis falsò olim obiectum fuisse legimus, quòd nulla templa, nullas aras haberent, & propterea nulla religione tenerentur. Hactenus enim satis demonstratum est, Christianos à Christo & Apostolis, semper habuisse vsum sacrificij & altaris: nisi quòd in persecutionibus publico templorum & altarium vsu destituebantur. Diuersa prorsus hæreticorū nostri temporis conditio est, qui in statu libertatis, vel potiùs licentiæ, imò etiam vsurpati vel tyrannici imperij, nō solùm templa, aras, & sacraria non ædificant, sed more Iudæorum, vel Paganorum, & energumenorum, intrare formidant, illaq; prorsus non ferunt, quinpotiùs spolient & demolientur. [e] Quocirca & illorum occultis cōuenticulis conuenit illud decretum quod apud Minutium Felicem Cæcilius sic prosequitur. Cùm abscōdere & occultare illud, quicquid illud colunt, tantopere nituntur, aut pudendum est, aut puniendum: quod quidem iustè facit Ecclesia, vt resipiscentes tanquam mater cōplectatur, iterū autem relabentes, puniendos sæculari potestati committat. Nos igitur, charissimi, gratias agamus Domino Deo nostro,

a Virgilius Aeneid. 6. Et Carmine de litera Pythagoræ.
b Matth. 7. v. 13
c Lutherus in Epistola fidelis admonitionis fucum præferentis.
Daniel. 7. vers. 19.
d Heretici sine templis & aris Athei.
e Hæretica labes aut pudenda, aut punienda. Apud Minutium Felicē Cæcilius.

stro, quòd nos, secundùm [a] Psalmistam, in loco isto congregauerit, in sanctitate, ad ordinandum testamentum suum super sacrificia: ipsumq; vicissim humiliter exoremus, vt ipse à nobis in isto sacrificio laudis, syncerè & fideliter honoratus, per tantum beneficium ostendat nobis iter, quo tandem salutare Dei, quod in ænigmate celebramus, in veritate cælestis beatitudinis plenè excipiamus, Amen.

a Psalm. 49. v. 5. & 23.

Sermo nonus.

DE SACRIFICII NOVÆ LEGIS institutione, & vsu antiquo.

Cap. I.

OMnis qui inter homines sacerdos est (inquit magister ille Ecclesiarum quondam appellatus Origenes) si attendas ad illum sacerdotem, de quo dixit Deus: Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, paruus est & exiguus. Ille est autem magnus sacerdos, qui potest penetrare cælos, & vniuersam supergredi creaturam, & ascendere ad eum, qui lucem habitat inaccessibilem, Deum & Patrem vniuersitatis. Propter quod & ille, qui apud Iudæos magnus dicebatur sacerdos, introibat quidem in sancta, sed manu facta, sed lapidibus exstructa: non ascendebat in cælum, nec adstare poterat apud [b] Patrē luminū. Sed quia horum vmbram implebat & imaginem, idcirco etiā magni sacerdotis nomen per vmbram gerebat & imaginem. Vnde & Iudæi per hoc quod ad fidem proximi esse debuissent, quia apud ipsos adumbratio quædam & imago præluxerat veritatis, dum typos veritatem putant, veritatē ipsam tanquam mendacium respuerunt. Nos autem qui recipimus magnum sacerdotem, intelligere debemus quomodo verè ipse sit magnus sacerdos. Verè magnus sacerdos est qui peccata dimittit, non per sanguinem taurorum & hircorum, sed per sanguinem suum. Quia ergo cognouimus qui sit magnus sacerdos, & confitemur ea quæ in lege scripta sunt, de magno sacerdote scripta esse, id est, de Saluatore, quem verè magnum sacerdotem esse superior tractatus ostendit: videamus nunc quæ sint. Hucusq; Origenes. [c] Accommodatum nobis, Christiani auditores, occurrit iam per verba adducta, ad tractatum quem modò molimur, exordium. Postquam enim superiùs, præsertim Sermone proximè præterito cōprobauerimus authoritate legis naturæ, Mosaicæ, & Propheticæ, sacerdo-

Sacerdos magnus quomodo proprie Christus. Origens homel: 12. in Leuitici Cap. 12.
b Iac. 1. vers. 17.
c Propositio sermonis & Argumentum.

sacerdotium & sacrificium Christi, omnium aliorum quotquot vnquam extitissent, maximum & perfectissimum: iam iure quodam à nobis exigitur, vt ipsius originem, institutionem, ritum, & effectum, illius ipsius authoritate eiusq; Apostostolorum, eorumq; postmodũ discipulorum testimonijs ostendamus. Magnus siquidem sacerdos cùm sit Christus, (vt modò ex Origene audiuimus) magna etiã opera eius in hoc sacrificij opere sunt nobis expendenda.

a Sacerdotij. Christi magnitudo & excellentia. Psalm. 109. vers. 4. & seq. Psalm. 110. vers. 1 & seq.

a Quod nobis Regius Propheta præmonstrauit, quando Psalmo 109. postquam sacerdotium & sacrificium Messiæ secundùm ordinem Melchisedech descripsisset, magnũ vtiq;, quia eius qui ex vtero Dei Patris ante Luciferum genitus esset: magnum, quia æternum: magnum, quia iureiurando diuino sine pœnitentia firmatum: sequenti statim Psalmo, in consilio iustorum & congregatione, hoc est, in vniuersa terrena & supercælesti Ecclesia, prædicat magna opera Dñi, exquisita in omnes voluntates eius. Quænam autẽ potissima sint opera illa, postmodum declarat: Primum, quòd idem Dominus Saluator misisset redemptionem populo suo, hoc est, per passionem suam & mortem: Alterum, quòd non satis habuit pro humana salute tradere seipsum ad passionem & mortem, sed etiam fecerit memoriam mirabilium suorum, dando escam timentibus se, eandem nimirum carnem quam tradidisset, & sanguinem quem profudisset, reliquisse fidelibus suis in escã, qua non solùm per fidem & gratiam, sed etiam per spiritualem substantiam ipsi vnirentur: Tertium opus eius insigne & magnificum, quòd eandem corporis & sanguinis sui participationem, stabiliuit firmo & perenni pacto seu testamento, vt per iugem quam instituisset corporis & sanguinis sui oblationem, perpetua remaneret passionis suæ, & redemptionis nostræ memoriam. Hoc igitur quod in typo prælibauimus, iam magistro nostro cælesti edocente, in veritate ab ipso fuisse præstitum ostendemus:

b Partitio sermonis.

b In prima quidem parte: ex ipsa Christi institutione, & praxi Apostolorũ: In secunda autem ex antiquissimis Ecclesiæ eiusq; Pastorũ & Doctorũ successiuis testimonijs.

c Curiositas infidelitatis mater. Prouerb: 25. v. 27. Prouerb. 9. v. 4.

Cap. 11.

c Quoad primùm. Expendamus verba ipsa institutionis, quæ Dominus noster apertis verbis elocutus est: humana verò vel imbecillitas, vel curiositas, dum illa discutere præsumit, factum est, vt quæstionum de illis ac disceptationum finem inuenire vix possit, iuxtà illud quod sacer Sapiens edixit: Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria. Nos igitur tanquam insipientes paruuli, ad hanc mensam à sapientia ipsa Diuina euocati, in simplicitate fidei, non in curiositate sensus vel intellectus, illa aggrediamur.

d Cœnę Domini apparatus mysticus, quasi clauis sacrificij. Sermo 8. Cap. 16.

d Principiò autẽ ad hunc locum reuocanda sunt, quæ superiùs ex Ioanne Euangelista

diximus,

diximus, de cœnæ istius apparatu, & de Pascha à Dño celebrato cum panibus azymis. His enim subsequitur apud Euangelistas, Christum misisse Hierosolymã Petrum & Ioannem, qui ingressi in ciuitatem, prospicerent hominem vas aquæ baiulantem: & quamcunq; domũ intraret, dicerent hospiti domus illius, quòd apud eum Dñus facturus esset Pascha cũ discipulis suis, in cœnaculo grandi & strato, quod ille præparatum demonstraret. Et discipulos quidem sic inuenisse sicut prædixerat illis Iesus, ibiq; cœnam Paschalem præparasse. Omnia quæ hîc dicuntur, non vacant suis mysterijs.

a Petrus & Ioannes mystici Cœnę Domini præparatores. Lucæ 22. vers. 8. Ioan. 21. v. 15. 20.

a Eliguntur enim ad præparationem tanti conuiuij, duo Apostoli primarij, & amore cæteros superantes, Petrus quidem erga Dominum, Ioannes verò ab ipso Domino: vt intelligeretur cœnam istam futuram esse symbolum sum̃æ charitatis, quam Dominus erga homines, & ipsi vicissim erga Dominũ, & proximos suos, essent exhibituri. Deinde, sicut postmodũ in visitatione sepulchri Dominici in die resurrectionis,

b Ioan. 20. vers. 4 Gregorius hom: 22. in Euangelia.

b teste D. Gregorio, Ioannes quidem Synagogam, Petrus verò Ecclesiã præsignabat: sic & modò, eædem duæ personæ, satis conuenienter designare possunt duo testamenta, & duo Paschata, quorũ vetus Dominus esset consummaturus, alterum in perpetuum consecraturus.

c Aquam baiulans in domũ cœnæ, quid signabat. Marci 14. vers. 13.

d Cypr: de Cœna Domini.

c Porrò baiulus aquæ viam Apostolis præmonstrans, erat symbolũ baptismi, per quem patet ingressus ad legem nouæ regenerationis: simul etiam futuram ablutionem veteris fermenti legalis, ad nouam azymę, hoc est, synceræ legis & oblationis Euangelicæ mox instituendæ conspersionem. Non oportet enim (inquit S. d Cyprianus) esse fermentarios noui testamenti ministros: puras synceraseq; mentes sanctum requirit conuiuium. Hæc ille. Per promptitudinem autem hospitis, ad Christum nouum legislatorem excipiendũ, potest intelligi fides gentilium, ad prædicationem Euangelij per Apostolos præparata: sicut prædixerat Dominus, inquiens:

e Azymorũ mysterium. Ioan. 4. vers. 35.

e Nonné vos dicitis quòd adhuc quatuor menses sunt, & messis venit. Ecce dico vobis: Leuate oculos vestros, & videte regiones quæ albæ sunt iam ad messem. Locus insuper seu domus propriè huic mysterio correspondet.

f Cœnæ Domini locus Ecclesiam signat. Act. 1. v. 13. Cap. 5. vers. 12

g Cœnaculũ stratum & grande locus sacrificij nouæ legis. Marci. 14. vers. 15.

f Constat enim eum fuisse in monte Sion, & in porticu Salomonis, templo ipsi contiguum, quem ex illo tempore cœnæ peractæ Apostoli, non solùm pro habitatione, sed pro Ecclesia habuissent, qui etiã locus proprius ad mittendum cælitùs Spiritum sanctum à Domino fuisset consignatus. Nec vacat mysterio, quòd locus ille vocetur g ab ipso Christo cœnaculum stratum grande: quia sicut vetus lex comparabatur prandio, quòd opera & labores inchoati consequerentur: sic Euangelica lex comparatur cœnę, quam optata quies, ab Aposto-

lo legi

lo legi gratiæ attributa exciperet. Hoc autem propriè conuenit Ecclesiæ Catholicæ vbertate charismatum diuinorum ad veram requiem stratæ seu præparatæ: quæ incipiendo ab illo Hierosolymæ loco, orbem impleret vniuersum: iuxta illud [a] Isaiæ vaticinium, quando Dominus de nouæ & mundæ legis, mundis quoq; cultoribus, sic dicit: Adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ: holocausta & victimæ eorum placebunt mihi: Quia domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis. Ista enim verba propriè conueniunt Apostolis, & post ipsos, eorum in cælibatu successoribus. Illos namq; Dominus vespere illo adduxit in montem Sion, ibiq; circa templū Salomonis, locum Ecclesiæ nouæ legis (quem [b] Lucas templum vocat) fundauit: qui quidem esset domus orationis, non solùm Iudæis (vt Christus Samaritanæ, [c] & in ea mercaturam exercentibus, profitebatur) sed vt Propheta loquitur, cunctis gentibus, à quibus nomen illud magnum Dei per Malachiam denunciatum, hoc est, fides & professio incomprehensibilis Trinitatis, tum etiam eius nominis inuocatio, & per sacrificiū adoratio, simulq; oratio, post acceptum Spiritum sanctum, in reliquas orbis partes diffunderetur. [d] Ideóq; ad firmandum hoc mysterium, postridie postquam Dominus in cruce consummationem legis antiquę promulgasset, velum templi veteris scissum fuisse dicitur, à summo vsq; deorsum: in signum nimirum reprobationis loci & cultus pristini, nouiq; à Domino fundati stabilitionem. Huc etiam reuocari potest simile eiusdem Prophetæ vaticiniū, vbi dicit: [e] Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, &c. quod suprà inter testimonia ex Isaia adducta require. Cui affine est & illud: [f] Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montiū, & eleuabitur super omnes colles: & fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, & dicent: Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domū Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem. Hæc ibi.

[a] Lucæ 24. v. 47. Ecclesia domus orationis. Isai. 56. vers. 7.

[b] Act. 2. vers. 46.

[c] Lucæ 19 vers. 46. Isai. 56. vers. 7.

[d] Velum templi quo mysterio scissum fuit. Matth: 27. v. 51.

[e] Isai. 25. vers. 6. Euseb. Cæsarien: Demonstr. Euāg. lib. 1. Cap. 10.

[f] Isai. 2 vers. 2. Vide supra Sermone 8. Cap. 22.

Cap. III.

[g] Prosequuntur deinde Euangelistæ, Dominum postquam cœnæ sic præparatæ accubuisset, hæc verba dixisse: Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis, quòd ex hoc, non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Istis verbis docet Dominus, Pascha quod aggrederetur, non esse commune secundùm legem, quod singulis annis ipsum, qui non venerat soluere legem, sed adimplere, cum discipulis suis exegisse, dubium non est, Sed contestetur se celebrare Pascha verum & prototypū, quo per

[g] Pascha Christi vltimum eiusq; desideriū quale. Lucæ 22. vers. 15.

quo per proprium sanguinem, verum transitum ad gloriam paternam sibi tanquam capiti, & fidelibus suis tanquam membris, perficeret. Quod insinuant verba, quando dicit: Desiderio desideraui: quale desiderium non congruebat comestioni agni, vel panis simplicis, sed propriæ carni, quæ simul esset panis verus de cælo, quę quidē exhibiturus erat per passionem suam, de qua alibi dicebat: [a] Ignem veni mittere in terram, & quid aliud volo, nisi vt accendatur? Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, vsq; dum perficiatur. Hoc ipsum magis exprimit, quando addit (antequam patiar) per hāc enim adiectionē declarat, Pascha illud, quod incruento modo in pane & vino præmittebat, referri ad Pascha seu immolationem cruentam, cuius esset iugis repræsentatio, donec in fine sæculorum ad iudicium rediret, vt supplet Apostolus. Quem sensum satis apertè declarant verba sequentia, quamuìs aliquibus ambigua vel summè difficilia videantur: [b] quando Dominus apud Lucam sic subinfert: Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice, gratias egit, & dixit: Accipite & diuidite inter vos: Dico enim vobis, quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Quod etiam de calice dictum fuisse S. Matthæus & Marcus sic referunt: Amen dico vobis, quia à modò iam non bibam de hoc genimine vitis, vsq; in diem illū, cùm illud bibam vobiscum nouum in regno Dei, (vel) Patris mei. In quibus verbis, illud, quod Dominus se manducaturum promittit cum discipulis, non potest referri ad agnum, quia nulla tunc illius fit mētio, cuius etiam comestio in priori cœna præteriisset: neq; de pane & vino, vt sunt species seu elementa, accipi potest, quamuìs de ipsis etiā res tunc peragatur: quia comestio seu refectio illa promittitur, quādo implebitur in regno Dei, & quidem Dei Patris, quod non nisi de vera beatitudine potest intelligi: Nam [c] secundùm Apostolum, regnum Dei, non est esca & potus. Et ipso Domino attestante, in illo statu non nubent neq; nubentur, (sic consequenter non comedunt nec bibunt) sed sunt sicut angeli Dei. Necessariò igitur intelligenda sunt verba ista, de Pascha, quo seipsum cum tanta expectatione & desiderio imolabat Christus, antequā pateretur. Altera ratio est: [d] Quia sicut verba ista Matthæus & Marcus referunt ad solum calicem, iam vtiq; consecratum, quem Dominus Apostolis porrigebat: sic Lucas eadem ipsa accommodat, primò quidem ad ipsum Pascha, per quod propriè designatur agnus, non typicus, cuius manducatio non erat tanti momenti, & iam erat peracta, (vt diximus) sed intelligitur ille agnus tollens peccata mundi, cuius sanguis non solùm profunderetur ad

Lucæ 12. vers. 49.

[b] Genimen vitis in Regno Dei bibendum, quale. Lucæ 22. vers: 18. Matth: 26. vers. 29 Marci 14. vers. 25. Origens tractatu 35. in Mathæum. Cyprianus Epist. 63. ad Cæcilium. Epiph: con: Encratitas. Augustinus lib: 1. quæst: Euangelica Cap. 42. Euthimius, Theophilactus, Beda hoc loco.

[c] Rom: 14. v. 17. Matth. 22. v. 30.

[d] Mādūcatio & bibitio in regno Cælorum in Eucharistia inchoatur.

tur ad aspersionem & salutarem consignationem, vt habetur Exodi 12. Sed etiam (vt inquit [a] B. Cyprianus) biberetur, eiusq; bibitio seu fruitio, in regno quoq; cælesti explenda commendaretur. His namq; (inquit ille) supernæ gratiæ priuilegijs, esu sanctificati panis refecti, loti, & vncti, non eam quam amiserant, sed ampliorem & digniorem recuperant libertatẽ: & eiecti de Paradyso nudi, ad lignum vitæ hodie reuertuntur vestiti. Hæc Cyprianus. Propterea sicut S. Lucas mãducationem refert (vt diximus) non ad panem, sed ad Pascha: [b] sic ipse & reliqui duo Euangelistæ, qui cœnam Domini describunt, bibitionem non referunt ad vinum vel calicem, sed ad generationem, seu genimen vitis, cum pronomine demonstratiuo, vt per vitem intelligatur fruitio cælestis vera & perfecta, cuius symbolum & arrha quædam est sacratissima Eucharistia. Quod ipsemet Dominus ibidẽ apud S. [c] Lucam declarat dicens: Ego dispono (quasi testamento ordino) vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo: & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Isráël. Sicut enim iudicium illud verum erit & reale, similem manducationem etiam promitti necessè est. [d] Cui simile est illud: Beatus qui manducabit panem in regno Dei. Quod tamen Dominus non reprehendit, sed potiùs parabola illustrauit. Idipsum etiã de calice sic intelligi attestatur [e] S. Cyprianus his verbis: Nobis pro quibus sanguis Christi oblatus est in cruce, & quos reconciliauit Deo, omnes excedens victimas, hoc sacrificium singulare ipse Christus pincerna hoc porrexit poculum, & docuit, vt non tantùm hoc sanguine exterius liniremur, sed & interius aspersione omnipotenti, in anima muniremur, &c. Et alibi citatis eisdem verbis: [f] A modò non bibam de genimine vitis, &c. sic scribit: Vnde apparet sanguinem Christi non offerri si desit vinum calici: nec sacrificium Dominicũ legittima sanctificatione celebrari, nisi oblatio & sacrificium nostrum respondeat passioni. Hactenus ille. Cùm enim cibus vel potus fiat ad necessitatem, vel ad voluptatem, in corporibus gloriosis cessabit necessitas, manebit autem vel potiùs inchoabitur voluptas, de qua Psalmista: [g] Satiabor (inquit) cùm apparuerit gloria tua. Et alibi: Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Sicut enim visio Diuinitatis satiabit animas beatorum: sic corpora in suis sensibus, quibus non priuabuntur, ex humanitate supergloriosissima, tanquam membra à suo capite, sua quoq; voluptate seu refectione non destituentur.

[h] Et in hunc sensum accomodari quoq; potest illud, quando Dominus Capharnaitis dicentibus: (Quomodo hic potest carnem suam nobis dare ad manducandum? Durus est sermo, quis potest audire illum?) Respondet: [a] Hoc vos nunc scandalizat? Quid si videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius? quasi diceret: magis possibile esse sensui, carnem mortalem mortalibus (præsertim sub specie competenti) communicare, quàm corpus gloriosum corporibus itidem glorificatis. [b] Quod enim hîc dicitur in specie, ibi cõplebitur in re. Status enim præsentis vitæ, in fide & gratia, comparatur per Apostolum imbecillitati paruulorum seu infantium, status verò beatorum, perfectioni virorum. Verbum igitur æternum hominem perfectè reparans in vita mortali, post spiritualem regenerationem præbet illi seipsum sub Sacramento, in spirituale alimentũ & augmentũ. Quod elegantissimè [c] Clemens Alexandrinus sic expressit: Verbum est omnia infanti, & pater & mater, & pædagogus & altor. Comedite (ait) carnem meam, & bibite meum sanguinem. Hæc apposita & conuenientia elementa nobis suppeditat Dominus: & carnem præbet, & effundit Sanguinem, & ad incrementum nihil deest infantibus: Idem rursus ibidem: Tincti (inquit) illuminamur: illuminati, in filios adoptamur: adoptati, perficimur: perfecti, immortales reddimur: Ego, inquit, Dij estis, & filij excelsi omnes. Hæc ille. Hanc igitur perfectionem & immortalitatem conseruat in nobis Dominus, cibo illo verè [d] Angelico & inuisibili, qui à mortalibus videri non potest, qui ipsemet in sua propria essentia existit. Tunc enim non ampliùs sub aliena specie seu ænigmate, sed in spiritu & veritate implebitur illud: [e] Qui manducat meam carnem, & bibit meũ sanguinem, in me manet & ego in illo. Et alibi: In illo die cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Et rursus: Et pro eis ego sanctifico meipsum, (hoc est, merito passionis secundũ carnem) vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis (Apostolis) autem rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint: sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint. Certè tanta coniunctio fieri nequit, nisi per charitatem essentialem, quæ Deus est: quando nimirum creatura per beatitudinem suo principio & fini perfectè vnietur. Quod etiam intendit Apostolus quãdo dicit: [f] Qui Deo adhæret, vnus spiritus est. Sed (vt loquitur Clemens Alexandrinus) quoniam Deus hominem ex spiritu & corpore contemperauit: ideò sicut spiritus diuinus animæ, quæ ab ipso fertur, verè coniungitur & familiaris efficitur: sic & caro verbo, propter quod Verbum caro factum est. Et sic filius Dei propriè in ipsa glorificatione reparati hominis α & ω, hoc est, principium & finis euadat. Sic ille.

Marginal notes (p. 178):

a Cyprianus de vnctione Chrismatis.
b Ioan 15. vers. 1. Hierõ: Epist: 150. ad Edibiam.
c Lucæ 22. v. 29.
d Lucæ 14. v. 15.
e Cyprianus ser: de Cæna Domini Idem Epist: 63. ad Cæcilium.
f Matth. 26. v. 29.
g Psalm: 16. v. 25 psalm. 35. vers: 9
h Refectio futuræ vitæ fit ad similitudinem refectionis corporalis.
Cap. IIII.

Marginal notes (p. 179):

a Ioan. 6. vers. 60.
b 1. Cor. 13. v. 11.
c Clem: 1. Strom: Cap. 6. Vide etiam Iren. lib. 5. Cap. 2.
d Tobię 12. v. 19.
e Ioan 6. vers. 56. Ioan. 14. vers. 20. Cap. 17. vers: 22.
f 1. Cor: 6. v. 16. Clem: Pędagogię, lib. 1, Cap. 6. & lib. 2. Cap. 2.

a Beatitudo essentialis & accidentalis, quibus comparata.
Apoc: 19. vers. 7.
Apoc. 22. vers. 2.

a Hæ sunt illæ nuptiæ agni, ad quas vxor, hoc est, quæuis anima beatorum, præparauit se, iuxta meritum suum: & cuius corpori datum est, vt cooperiat se byssino splendenti & candido, hoc est, immortalitatis & gloriæ, vt sic sponso suo in cælesti thalamo vniatur. Hoc est, illud lignum vitæ, quod fructu suo in singulos menses, hoc est, perpetua & indeficienti fruitione, eos qui vocati sunt ad nuptias illas cælestes reficit, & perpetuò saciat & saginat, b Ideò istud genimen vitis, quod Dominus promittit, apud S. Matthæum & Marcum addit esse, nouum. Sicut enim de statu gratiæ, respectu legalium dictum fuit: Comedetis vetustissima veterum, & aduenientibus nouis, vetera proijcietis, (vt alibi explicuimus) ita de fruitione gloriosa, respectu eius, quæ hîc per sacramentum geritur, dicitur istud genimen vitis, sed nouum, quando nimirum Christus seipsum exhibebit beatis, nõ ampliùs sub specie & velamine, sed in ipsa essentia, eiusq; (vt loquitur Apostolus) plena tum cognitione, tum fruitione, & saciatione. Quod præclarè sic expressit c Ambrosius: Vmbra (inquit) in lege: imago in Euangelio: veritas in cælestibus: ante agnus offerebatur, offerebatur vitulus, nunc Christus offertur. Sed offertur quasi homo recipiens passionem: & offert seipse quasi sacerdos, vt peccata nostra dimittat. Hîc in imagine, ibi in veritate, vbi apud Patrem pro nobis quasi aduocatus interuenit. Hîc ergo in imagine ambulamus, in imagine videmus: illic facie ad faciem, vbi plena perfectio, quia perfectio omnis cui veritas est. Sic ille. In hunc etiam sensum ipse Dominus dicit: d Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur ampliùs: & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei nouæ Ierusalẽ, quæ descendit de cælo à Deo meo, & nomen meum nouum. e Hanc expositionem cælesti veluti eloquio sic comprobat B. Cyprianus: Et nos quidem (inquit ille) cùm caro essemus & sanguis, corrupta & infirma corporis animæq; natura, reformari non poteramus, neq; ad similitudinem Dei reuerti, nisi morbo inueterato imponeretur malagma conueniens, & in curatione desperatæ infirmitatis, contraria remouerentur contrarijs, & similia similibus cõuenirent. f Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed naturâ mutatus, omnipotentia verbi factus est caro: & sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat diuinitas: ita sacramento visibili ineffabiliter diuina se infudit essentia, vt esset religioni circa sacramenta deuotio, & ad veritatem cuius corpus sacramenta sunt, syncerior pateret accessus, vsq; ad participationem spiritus: g non quod vsq; ad consubstantialitatem Christi, sed vsq; ad societatem germanissimã eius

b Genimen vitis nouum quod.
Matth. 26. vers. 29.
Marci 14. vers. 25.
Leuit: 26. vers. 10.
Suprà sermonẽ 6. Cap. 1.
1. Cor: 13. v. 12.
c Ambr. 1. offic. Cap. 48.
d Apoc: 3. v. 12.
e Reparatio hominis per Eucharistiam conuenientissima.
Cypr. de Coena Domini.
f Natura Eucharistiæ notanda.
g Vnio cũ Christo per Eucharistiam, eiusq; effectus qualis.

Cap. V.

eius hæc vnitas perueniret. Solus quippè filius Patri consubstantialis est, nec diuisibilis est, nec partiabilis substantia Trinitatis: nostra verò & ipsius coniunctio, nec miscet personas, nec vnit substantias, sed affectus consociat, & confœderat voluntates. Ita Ecclesia corpus Christi effecta obsequitur capiti suo: & superiùs lumen in inferiora diffusum claritatis suæ plenitudine, à fine vsq; ad finem attingens, totum apud se manens, totum se omnibus comodat, & caloris illius identitas, ita corpori assidet, vt à capite non recedat. Panis itaq; hic azymus, cibus verus & syncerus, per speciem & sacramentũ nos tactu sanctificat, fide illuminat, veritate Christo conformat. Et sicut panis comunis, quem quotidie edimus, vita est corporis: ita panis iste supersubstantialis vita est animæ, & sanitas mentis. a Panem angelorũ sub sacramento manducamus in terris, eundem sine sacramento manifestiùs edemus in cælis, non ministerio corporali, sæpè repetitis actionibus ad eundem reuertentes, sed consumato sacerdotio nostro, erit & permanebit perpetua & stabilis, implens & reficiens nos sufficientia, quà proferet se palàm absq; vllis integumentis, omnibus conspicabilis summi præsentia sacerdotis. Hactenus Deificus Martyr Cyprianus.

a Eucharistia in terra & in cælo, diuerso modo manducatur.

Cap. VI.

b Iam verò ex præcedentibus verbis sic explanatis, faciliùs intelligentur verba ipsius institutionis, quæ aduersarij multùm & variè obscurare nituntur. Suprà enim probatum est, Christum in illa cœna vltima exegisse & instituisse Pascha, in quo nimirum participationem seu comunionem necessariò præcedebat oblatio. Istud autem Pascha non fuisse agnum irrationalem & typicum, nec panem aut vinum simplex, sed ipsummet agnum rationalem & antitypum, id est, Christum, & quidem non eo modo nouo in propria essentia, secundùm quem promisit seipsum exhibiturũ gloriosum in regno Patris sui: sed modo sacramentali sub speciebus panis & vini, quatenus nimirum ipse est panis, qui de cælo descendit, c supra quem lignum crucis, secundùm Ieremiam, fuisset immissum: vt sic per passionem, carne quidem nos sua viuificaret, & precio sanguinis sui nos redimeret, atq; Deo Patri reconciliaret: eamq; reconciliationem in sacrificio externo rememoratiuo, nobis subinde in hac mortalitate relabentibus, iugem ac indeficientẽ conseruaret. d Quod quidem secundùm tres Euangelistas, & Apostolum, his verbis commendauit: Manducantibus, seu cœnantibus illis, (hoc est, post cœnã typicam & communem, lotione pedum præmissa, mensæ eidem accumbentibus) accepit Iesus panem, & gratias agens, intuens in cælũ, benedixit, fregit, deditq; discipulis suis, & dixit: Accipite & comedite, Hoc est enim corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam

b Institutionis Eucharistiæ verborum sensus, per recapitulationem præcedentiũ, collectus.
c Ierem. 11. v. 19.
d Verborum institutionis & cõsecrationis expositio.
Matth. 26. vers. 26
Marci 14. vers. 22.
Lucæ 22. vers. 19.
1. Cor. 11. vers. 25.

meam cōmemorationem. Similiter & calicem postquam cœnauit (hoc est, absoluta cœna legali, & sui corporis distributione) accipiens gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus noui Testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur, in remissionem peccatorum. [a] Accipiamus ista verba sic, vt ea prolocuta est Sapientia æterna, quæ linguas etiam infantium facit esse disertas, vt aduersariorum etiam testimonio nunquam sic locutus sit homo: & sciat magis propriè omnia exprimere, quàm vlla creatura concipere, & cogitare. Sicut igitur in præcedentibus atq; in cōsequentibus, sic in intermedijs quoq; recitatis verbis, non tropicè, sed propriè asserit, se accepisse panem, & postea vinũ seu calicem: vtramq; rem veram naturalem & terrenam (vt loquitur [b] Irenæus) in quibus vita hominum potissimè consisteret: & gratias egisse, hoc est, præmisisse laudem & gratiarum actionem, Deo in sacrificijs libari solitã: & intuitus in cælum, illa quæ depromebat benedixisse, hoc est, cælestem & diuinam virtutem suam illis indidisse, vt quemadmodum simili benedictione [c] antehac quinq; & septem panes, stupendæ multiplicationis, ac miraculosæ refectionis seu saciationis corporalis, vigorem accepissent: sic multò pleniùs, panis & vinum à sacerdote vero atq; æterno secundùm ordinem Melchisedech prolata, mutationẽ & vigorem supernaturalem corporis & sanguinis sui reciperent, ad conciliandam benedictionẽ victoriæ ex hostibus inuisibilibus nobis mox referendæ per suã passionem. [d] Sic & Apostolus istam Domini benedictionem, vocat ipsam consecrationem & oblationem, quãdo scribit: Calix benedictionis cui benedicimus, (ex Domini vtiq; institutione) nonnè cōmunicatio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nonnè participatio corporis Domini est? Vbi similiter fractio non solùm sonat distributionem, sed ipsam quoq; consecrationem, & oblationis seu sacrificij administrationem, quæ in actis Apostolorum cōmuniter fractio panis denominatur. Inde etiam colligimus, quando & hoc loco benedictioni iungitur fractio, non solùm partitionem panis ad manducandum propriam intelligi, sed etiam actum ipsius oblationis, quatenus ad subsequentem passionem referebatur, vt mox dicetur. Vnde consequitur, quòd illud, quod Dominus ad comedendum & bibendum porrigebat, post benedictionem vel fractionem, non erat ampliùs panis & vinum, sed corpus & sanguis Christi. [e] Quod declarant verba ipsa, quando dicit, Accipite & manducate, hoc est enim corpus meum. Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus noui Testamenti, &c. Vbi non solùm per antecedentia, vt diximus, sed etiam per consequentia, & causatiuã particulam

a Christus instituendo Eucharistiam propriè per omnia locutus. Sapient. 10. v. 21. Ioan. 7. vers. 46.

b Irenęus lib. 4. Cap: 32.

c Ioan 6. vers. 11. Marci. 8. vers. 9. Genes. 14. ver. 18.

d Benedictio Eucharistiæ erat cōsecratio. 1. Cor. 10. v. 16.

e Post benedictionem, panis & vinũ sunt corpus & sãguis Christi.

ticulam declarat, hoc quod Dominus ad comedendum & bibendum porrigebat, esse corpus & sanguinem suũ. Quod ampliùs confirmat, quando contestatur in sequentibus, corpus istud, esse nõ aliud quàm ipsum quod pro illis tunc dabatur, tradebatur, frangebatur. Isti enim termini conuincunt, corpus illud quod in specie frangebatur, fuisse illud ipsum, quod tunc dabatur ad passionem, cuius initium iam in sese experiebatur Dominus, quando dicebat: Tristis est anima mea vsq; ad mortem. Nam (vt alibi ex [a] Chrysostomo adduximus) quod in cruce passus non est, id in oblatione (incruenta panis) patitur, propter te frangi sustinet, vt omnes saciet. Hæc ille.

a Chrysost: hom. 83. in Matth. Matth. 26. v. 39.

Cap. VII.

[b] Hoc ipsum elicitur ex verbis de calice dictis. Antequam enim Dominus accepisset ad hunc vsum vinum seu calicem, præmonuit (vt suprà explicuimus) se Pascha suum summè desideratum, ante ipsam passionem peragere, in illo vitis germine seu genimine, quod vsui quoq; æterno & cælesti inseruiret, & nouũ in regno Dei Patris compleretur. Hic autem dicitur esse sanguis Christi, agni nimirum [c] nõ iam occisi, (quod præstitit semel) sed tanquam occisi, qui ex mortuis resurgens non moriatur: & tamen secundùm Apostolum, in sancta cælestia ingressus, per proprium sanguinem noster apud Deum Patrem Pontifex & aduocatus esse non desinat, idq; in vigore & merito cruentæ passionis & sacrificij semel in ara crucis peracti. Ideò dicitur à Domino non solùm simpliciter & absolutè, sanguis meus, sed etiam sanguinis calix, qui symbolum est passionis & mortis: dicitur etiam sanguis noui Testamenti, vel calix nouum Testamentum in meo sanguine: vt eius participatio seu communio referatur, ad passionem suam & mortem, quæ testamenti valorem, [d] iuxta Apostolum, præcedere debet, illiusq; in oblatione cruenta iugem repræsentationem: sicut & comestionem eorum quæ animata sunt, mors necessariò antecedit. Estq; allusio ad illa verba veteris sacrificij: [e] Hic est sanguis fœderis, quod ad vos mandauit Deus. Hac ratione etiam dicitur, quòd sanguis vel calix iste pro nobis fundetur, vel (vt habet Matthæus) effundetur: vt eius proprietas non tàm ad bibitionem (sicut volunt Nouatores) referatur, quàm ad mortem Christi, quæ effusione sanguinis & aquæ simul ex latere Christi fuisset contestata, & ipsis militibus explorata. Quod etiam confirmat Dominus, quando apud Matthæum addit: [f] Qui (sanguis meus) pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hic enim effusio ista sanguinis attribuitur per passionem & mortem Domini redemptioni humanæ, non solùm sufficienti sed etiam efficaci, quæ erat in Apostolis & alijs electis. Qualem phrasim explicuit Apostolus sic scribẽs:

Saluator

b Verborũ Christi de sãguine vel calice expositio.

c Roman: 6. v. 9. Hebr. 9. vers. 25. Apoc. 5. vers. 6.

d Hebr: 9. v. 26.

e Exodi 24. v. 8. Hebr: 9. vers. 20.

f Matth: 26. v. 28.

a 1 Timot. 4. v. 10:

a Saluator eſt omnium hominum maximè fidelium. Sed nec illud vacat myſterio, quòd ſi Græcam lectionem cum vulgata conferas, quando ſermo, eſt tàm de traditione vel datione (vt ſic neceſſariò dicam) corporis, & ſanguinis effuſione, in diuerſis & tamen probatis lectionibus inuenies tempus præſens, præteritū, & futurum: vt etiam exinde colligi poſsit in hoc actu æternitas ſacerdotij & ſacrificij Chriſti iuxta ordinem Melchiſedech, quòd omnia tempora includat, vel potiùs menſuram temporis excedat.

b Hoc facite in meam cōmemorationem exponitur.

Lucæ 22. verſ. 19. 1. Cor: 11. v. 24.

Cap. VIII

b Iam ſequuntnr verba Domini, quæ Eccleſia ab Apoſtolis proprijs & diſertis inſtitutionis incruenti ſacrificij ſemper agnouit, quādo addidit Chriſtus: Hoc facite in meam commemorationem. Quæ verba poſſunt per quatuor principales cauſas expendi. Hoc, enim, ſignare poteſt cauſam materialem: facite, cauſam formalem ſimul & efficientem: finalem autem verba vltima: in meam commemorationem. c Particulam enim (Hoc) ſi accipias demonſtratiuè, referet illud ipſum quod Dominus exhibebat, quod licèt ſub ſpeciebus panis & vini, corpus tamen & ſanguinem ſuum priùs diſertè conteſtatus eſt. Et huic ſubiecto conueniet prædicatum, facite, hoc eſt, offerte: vt ſit ſenſus: hoc corpus & ſanguinem meum, vel calicem, offerte. Quod argumentum aduerſarios pro leuiſsimo reputare miror: primò, quòd facere pro offerre paſsim accipit lingua Hebræa vel Chaldaica, d tum Græca & Latina, quibus Dominus legem ſuā tradi & promulgari potiſsimùm voluit: vt etiam titulus paſsionis & victoriæ Dominicæ atteſtatur. Deinde, quòd literæ ſacræ, quorum ſe tenaciſsimos obſeruatores iactant nouatores, quando res eſt de ſacrificio, plus quàm quadrageſies, verbum facere, pro offerre vſurpant. Sufficiat ex Euangeliſtis, & quidem de eodem ipſo Domino noſtro, vnum atq; alterum exemplum ponere. Primò enim S. Lucas deſcribens oblationem in templo Chriſti adhuc infantuli, apertè loquitur ſecundùm legem Moyſi, pro ipſo hoſtiam Domino fuiſſe oblatam. Quam tamen oblationem poſtea repetit per verbum (facere) dicens: vt faceret ſecundùm conſuetudinem legis pro eo. Deinde e S. Marcus & Lucas, diem, qua Chriſtus cœnaturus eſſet, fuiſſe primam azymorum, in quo neceſsè erat occidi ſeu immolari Paſcha: Dominum autem per Apoſtolos dixiſſe hoſpiti: Apud te hodie facio Paſcha cum diſcipulis meis. Conſequitur ergo, quando de eodem actu res eſt, idē eſſe, facere, immolare, & occidere. Iam verò quando addit Dominus, Facio cum diſcipulis meis, eos quoq; ad ſacrificandi conſortium ſe admittere non obſcurè indicat. f Ex his elucidatur ſecunda particula (facite) quæ indicat ſimul & formam iſtius actus quæ eſt oblatio & ſacrifi-

c 'Hoc, quomodo demonſtratiue intelligendū.

d Facere pro offerre ſcripturę vſitatiſsimum. Conſule Cōcordātias, Bibliæ maximas, Georgij Bulloci.

Lucæ 2. verſ. 25. & 27.

e Marci. 14. v: 12. Lucæ 22. verſ. 7. & 11. Matth: 26. v, 18.

f Hoc facite quomodo exponitur.

cium, ſoli Chriſto ſacerdoti ſecundùm ordinem Melchiſedech proprium: & ſimul cauſam efficientem, vel potiùs inſtrumentalem, vel miniſterialem, quando per hoc verbum Apoſtoli, eorumq; ſucceſſores, poteſtatem conficiendi & offerendi corpus & ſanguinem Chriſti acceperunt. a Quòd ſi particula (Hoc) ſumatur relatiuè ad ſuperiora, quæ dicta & acta fuerunt, tunc in eundem recidit ſenſum: Quamuìs enim verbum (facite) ſimpliciter ſumatur, eſſet tamen ſenſus: Hoc quod ego egi (nimirum in panis & vini benedictione, fractione, effuſione, ſeu oblatione, & diſtributione) idipſum & vos facite. b Quod magis adhuc elucidatur, quando addit Dominus: In meam cōmemorationem: non quidem quatenus Chriſtus eſt incarnatus, hominibus doctrina & miraculis declaratus, ſed in quantum per paſsionem & mortem ſeipſum obtulit Deo Patri ad noſtram redemptionem, quam ſacerdos æternus exiſtens ſecundùm ordinem Melchiſedech, pro nobis (vt ſæpè dictū eſt) continuat. Alioqui comeſtio & bibitio, ad quam ſolam aduerſarij memoriam iſtam referunt, non paſsionem & mortem, ſed voluptatem potiùs & vitam præſeferunt. At vt nullus contentioni relinquatur de hac re locus: declarat id Apoſtolus, quando iſtis verbis Domini ſubijcit: c Quotieſcūq; enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortē Domini annunciabitis. Vbi Græcè ſonat καταγγέλλετε, hoc eſt, annunciatis, quod vtiq; præſentem ac iugem memoriam ſeu repræſentationē paſsionis Domini hoc in nouæ legis ſacrificio determinat. d Sicut enim Paſcha legale redemptionis temporalis, conſtitutum erat in oblatione agni irrationalis, quouſq; veniret & offerretur agnus rationalis tollens peccata mundi, & ſua oblatione redemptionem ſpiritualem perageret: Sic agni iſtius idem Paſcha ſeu oblatio, in æternū ſub ſacerdotio perſeuerabit, donec ipſe exacta plenitudine redemptionis e veniat non ampliùs agnus, ſed iudex, regnum peractum redemptionis Deo Patri traditurus: vt ſit Deus omnia in omnibus, ſicut Apoſtolus prædicit. Quod alibi expreſsiùs declarat ſic ſcribens: f Quemadmodū ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autē iudicium. Sic & Chriſtus ſemel oblatus eſt, ad multorum exhaurienda peccata: Secundò, ſine peccato apparebit expectantibus in ſalutem. Et alibi: Hic autem (Chriſtus) vnam pro peccato offerens hoſtiam, in ſempiternū ſedet in dextera Dei: de cætero expectans, donec ponantur inimici eius ſcabellum pedum eius.

a 'Hoc, quomodo relatiuè accipiendum.

b In meam commemorationem quid ſonat.

c 1. Cor: 11. v. 26.

d Paſcha vetus, noui, & nouum æterni, typus.

e 1. Cor. 15. v. 25.

f Hebr. 9. v. 27 Hebr. 10. verſ. 12.

Cap: IX.

Hoc ſenſu ab ipſis Apoſtolis iſta verba inſtitutionis intellexerunt Doctores Oothodoxi: g Vt autem antiquiores commemorem, Clemens S, Petri diſcipulus & ſucceſſor, ſic Apoſtolorum nomine præ-

g Hoc facite in meam cō memoratione, ſacrificio nouæ legis applicant Doctores ſacri.

Clemens Constit: Apost. lib. 5. Cap. 20. & lib. 8. Cap: 17. & 52.

scribit Christianis: Vos quoq; resuscitato Domino (loquitur enim de solennitate Paschali) offerte sacrificium vestrum, de quo vobis præcepit per nos dicens: Hoc facite in meam commemorationem. Et in descriptione Liturgię Apostolicæ, postquam in Canone Missæ Apostolico, quo hactenus vtitur Ecclesia, protulisset verba consecrationis ex Apostolo deprompta, sic prosequitur: Quare memores passionis eius & mortis, eiusq; resurrectionis à mortuis, & reditus in cælum, atq; aduentus eius secundi, qui futurus est, cùm veniet in gloria & potestate ad iudicandum viuos & mortuos, & reddendum vnicuiq; secundùm opera eius: Offerimus tibi regi & Deo, sicut ipse constituit, panem hunc, & calicem hunc: gratias agentes tibi per eum, quia à te dignati sumus stare in conspectu tuo, & tibi fungi sacerdotio. Et alibi: [a] Primus igitur naturâ Pontifex, vnigenitus Christus, nō sibi honorem rapuit, sed à Patre constitutus est, qui factus propter nos homo, & hostiam spiritualem Deo suo, eidemq; Patri, ante passionē offerens, constituit nobis solis vt hoc faceremus: cùm essent alioqui nobiscum alij etiam ex eorum numero, qui in eum crediderant: sed non protinus quicunq; credidit factus fuit sacerdos, aut gradū Pontificalis dignitatis obtinuit. Nos verò post assumptionem eius offerentes, vt idem constituit, sacrificium mundum & incruentum, eligimus Episcopos, & Presbyteros, &c. Hæc ille. [b] Martialis verò, vnus ex septuaginta discipulis, sic testatur: Quod Iudæi per inuidiam imolauerunt, putantes se nomen eius à terra abolere, nos causa salutis nostræ in ara sanctificata proponimus: scientes hoc solo remedio nobis vitam præstandam, & mortem effugandam. Hoc enim ipse Dominus noster iussit nos agere in sui commemorationem. [c] Dionysius Areopagita S. Pauli discipulus, in descriptione Liturgiæ Apostolicæ: Quocirca, inquit, reuerenter simul ex Pontificali officio, post sacras diuinorum operum laudes, quod hostiam salutarem (expende) quæ suprà ipsum est litet, se excusat: ad ipsum primò decenter exclamans: Tu dixisti: Hoc facite in meam commemorationem. " Deinde tanto ministerio ad imitationem Dei instituto, dignus fieri postulat, & similis ipsi Christo pro viribus euadere, vt & sacramenta sanctè (expende rursus) conficiat, & castè distribuat. [d] Iustinus Martyr explicans gentilibus persecutoribus rationem sacrificij, seu Liturgiæ Christianæ, postquam veritatem Eucharistiæ tantam, quanta est ipsius Incarnationis adstruxisset, hęc verba subijcit: Nam Apostoli in Commentarijs à se scriptis, quæ Euangelia vocantur, ita tradiderunt, præcepisse sibi Iesum: Eum enim pane accepto, cùm gratias egisset, dixisse: Hoc facite in meam commemorationem: Hoc est cor- "

a Christus natura pontifex ad suum officium non omnes admitit, sed electos.

b Sacrificium à Christo demandatum quale. Martial. Epist. ad Burdegalenses Cap 3.

c Dionysius Ierarch. Ecclesiast. Cap. 5.

d Iustinus Oratione ad Antoninum versus finem.

pus me-

" pus [a] meum. Et poculo similiter accepto, & gratijs actis dixisse: Hic est sanguis meus: ac solis ipsis ea tradidisse. Sic ille. Ex quibus verbis constat: Eucharistiam quidem sacram confici verbis, Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus. [b] Institutionem autem ipsius sacrificij simul & sacerdotij contineri in verbis: Hoc facite in meam commemorationem. Simulq; sacrificium & oblationem distingui ab vsu, seu laica communione: cùm Apostolis, qui potestatem conficiendi accipiebant, solis mysteria illa à Domino fuerint communicata. Idem alio loco sic habet: Typus erat panis Eucharistiæ, quem in memoriam passionis suæ Iesus Christus Dominus noster facere pręcepit. [c] Irenæus Martyr describens idipsum nouæ legis in pane & vino sacrificiū, inter alia verba, quæ suo loco adducemus, sic habet: Eum qui ex creatura panis est, accepit (Iesus) & gratias egit, dicens: Hoc est corpus meū. Et calicem similiter ex creatura, quæ est secundùm nos, suum sanguinem confessus est: & noui Testamenti nouam docuit (quod idem est quod instituit) oblationem: quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso mundo offert Deo. Quod postea cōfirmat Prophetia illa Malachiæ, quam suo loco explicuimus. [d] Cyprianus: Sacrificium, inquit, Deo Patri ipse primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit, &c. Et alibi: [e] Significata olim â tempore Melchisedech prodeunt sacramenta, & filijs Abrahæ facientibus opera eius, sumus sacerdos panem profert & vinū: Hoc est, inquit, corpus meum. Manducauerant & biberant de eodem pane secundùm formam visibilem, sed ante verba illa, cibus ille comunis, tantùm nutriendo corpori commodus erat, & vitæ corporalis subsidium ministrabat. [f] Sed ex quo â Domino dictum est: [g] Hoc facite in meam commemorationem, hæc est caro mea, & hic est sanguis meus: quotiescunq; his verbis & hac fide actum est, panis iste substantialis, & calix benedictione solemni sacratus, ad totius hominis vitam salutemq; proficit, simul medicamentum & holocaustum ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates existens. Idem (vt semel concludamus) reperies apud alios Doctores sacros, præsertim apud Tertulianum, Origenem, Chrysostomum, Ambrosium, Augustinum, Theodoretum, &c.

Cap. X.

[h] Atq; ex his quæ dicta sunt, satis constat, verba præmissa (Hoc facite in meam commemorationem) verè & propriè continere institutionem nouæ legis, tum sacrificij, tum ipsius sacerdotij: & per illa, Apostolos non solùm pro seipsis, sed etiam pro successoribus suis in officio sacerdotali, ad finem vsq; sæculi, donec Dominus ad iudicandum redeat, accepisse potestatem, sicut alibi in corpus Christi mysticum, ita hoc loco ad corpus Christi

a Soli Sacerdotes Ministri Eucharistiæ.

b Institutio & consecratio Eucharistiæ quibus verbis fit: eiusq; vsus.

c Irenæus. lib. 4. Cap. 32.

d Cypr. Epist. 63. ad Cæciliū. Et de Coena Domini. Genes: 14. v. 18. Matth. 26. v. 26. Marc. 14. v. 22.

e Trāsubstātiatio.

f Lucæ 22. v. 19. Tertull: in Apologetico. Orig. homel. 13. in Leuit. Cap. 24. Chrysost. hō. 17. ad Hebr: Ambr. in Caput 10. ad Hebr.

g Aug: Ciuit. lib. 18. Cap. 35. & lib. 19. Cap. 23. Theodor. in Cap. 8. ad Hebr.

h Apostolorū potestas duplex in Corpus Christi verū & mysticū. Actorum 1. v. 10.

 verum.

verum. Quando enim Dominus post resurrectionem suam, per qua-
draginta dies conuersabatur cũ suis discipulis in carne, sed quasi præ-
ter carnem imortalis & gloriosus: tunc effundebat in illos potesta-
tem quoq;, licet sensibus consignatam, sed propriè spiritualem, super
a Psalm. 44. v. 14. corpus suum mysticum, quod est Ecclesia, [a] secundùm quòd omnis
gloria eius ab intus propter vnctionem diuinorum charismatũ con-
sistit. Primò enim generalem ad eiusdem Ecclesiæ regimẽ subdelega-
b Ioã. 20. vers. 19. tionem illis reliquit, [b] quando clausis ianuis, veluti nouo nouæ legis
Philip. 4. vers. 7. aditu, ingressus, stetit in medio eorum dicendo: Pax vobis. Per hoc
enim ostendere voluit, se pacem veram, omnem sensum exuperantẽ,
quam mundus dare non potest, per Apostolos eorumq; successores,
c Apostolorum missio quomodo similis Christi missioni, & quibus gradibus facta. Ioan. 20. v. 21. &c. in orbem diffundere vniuersum. [c] Ideò infert: Sicut me misit Pater,
ita ego mitto vos: hoc est, potestatem humanæ redemptionis, quam
ego effectiuè quidem, tanquam filius Dei in sinu Patris existens, in-
strumentaliter verò, tanquam homo, generaliter exegi & consum-
maui, vobis qui proxima membra mea tanquam mystici capitis estis,
in speciali & singulari eã exequẽdi visibiliter relinquo, & quasi de ma
nu in manum trado. Deinde singularem potestatem clauium cæle-
stium, in statu, vel in diebus carnis suæ, promissam depromendo, re
ipsa tradit; quando subijcit Euangelista: Insufflauit in eos dicens:
Accipite Spiritum sanctum: quorũ remiseritis peccata, remittuntur
eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Et ista quidem prima cæle-
d Matth: 25. v. 15. stia [d] talenta, ipso primo resurrectionis die, inter illos partitus est: re-
liqua ad vltimum similiter diem suæ cum illis conuersationis reser-
uando. Nam in cælum conscensurus, sic vltima vicissim depromit,
e Marci 16. v. 15. & liberalissimè orbi profundit vniuerso dicens: [e] Euntes in mundũ
Matth: 28. v. 18. vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Et rursus: Doce-
te omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiri-
tus sancti. Vbi iacto fundamento doctrinæ & fidei, in professione di-
uinissimæ Trinitatis, symbolo Baptismi, Ecclesia sponsa Christi præ-
scribitur in vnum corpus eius congreganda, ad fidelium quidem sa-
lutem, infidelium autem reprobationem. Ad eundem etiam modum
dignissimum ex istis talentis, hoc est, corpus & sanguinem suũ, eiusq;
viuificam & salutarem oblationem & comunionem, Dominus tunc
reliquit & instituit, quando in vera carne, & verè inter mortales con-
f Vnio Christi cum hominibus triplex, in vtraq; lege promissa. uersatus, veritatem quoq; & proprietatem tanti sacramenti comen-
dabat dicens: [f] Accipite & manducate: hoc est enim corpus meum,
quod pro vobis datur; Hic est sanguis meus, qui pro vobis fundi-
Leuit: 26. vers: 12. tur. Hoc facite in meam commemorationem. Filius namq; Dei, vt
2. Cor. 6. vers. 16. sufficienter præstaret illam promissionem; Inhabitabo in illis & in-

ambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus: fecit cũ
hominibus triplicem vnionem: primam per Incarnationẽ, qua sese
vniuersæ naturæ humanæ coniunxit: quando nimirum [a] Verbum a Ioan 1. vers. 14.
caro factum est, & habitauit in nobis: secundò, vniuit sese homini- Rom: 8. vers: 27.
bus magis intimè per gratiã, quando ijs, qui fide receperunt eum, de-
dit potestatem filios Dei fieri, hæredes quidem Dei, cohæredes autem
Christi: & hac ratione Deus, quodam modo in hominibus inambu-
lauit: deniq; vniuit se nobis Dominus arctissimè in Eucharistia, sicut
ipse testatur: [b] Qui manducat meam carnem, & bibit meum sangui-
nem, in me manet, & ego in illo. Sic enim verè & in perpetuum ef-
ficitur ille Deus noster, nos autem populus eius, vt ibi promittitur.
Cap: XI. [c] Restat iam, vt Apostolos Magistri sui iussa & institutionem ex- c Sacrificij ab Apostolis celebrati exempla.
ecutos fuisse demonstremus. Quamuis enim tantum mysterium solis
offerentibus secretum, traditione potiùs priuata, quàm publica scri-
ptura communicabatur: eius tamen in Actis Apostolicis non obscu-
ra exstat testificatio. Statim enim post ascensionẽ Domini, eius iussu
leguntur Apostoli cum Maria matre Iesu reuersi fuisse Hierosolymã Act. 1. vers. 12.
in illud ipsum Cœnaculum, in quo Pascha fuisset celebratum: ibiq;
perseuerasse in orationibus, quarum certè prima & potissima pars
est oblatio, seu sacrificium: propter quod etiam ex Domini manda-
to continuandum, non alius locus quàm illud ipsum Cœnaculũ fuit
eidem congregationi deputatum, quod etiam templum paulò post
denominatur. [d] Signantiùs hoc declarat S. Lucas sequenti capite, d Missæ tres partes à S. Luca adumbratæ.
quando scribit: Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorũ,
in communicatione fractionis panis, & orationibus. Ecce triplicem Act. 2. v. 42. & 46.
Missæ seu Liturgiæ partem: in qua solet fieri doctrina ex Euangelio
& alijs scripturæ partibus: tum oratio laudis, obsecrationis, & gra-
tiarum actionis: præcipuè autem ipsa panis fractio, quam includere
etiam oblationem suprà ostendimus: & postmodum huius fractio-
nis seu oblationis communicatio, vt addidit S. Lucas: quam partim
in Cœnaculo illo, quod ibidem templum denominatur, fuisse admi-
nistratam, partim aucto fidelium numero, ad domos etiam priuatas
delatam, [e] S. Lucas paulò post meminit. [f] Idipsum etiam colligi- e Act: 2. vers: 46.
tur ex alio exemplo in eisdem Actis Apostolicis descripto: quando f Eucharistia in Cœnaculo ad tẽpli formam celebrata.
S. Paulus in ciuitate Troâde prima Sabbathi, hoc est, die Dominico
congregauit multitudinem, ad prædicationem verbi, & ad frangen-
dum panem, quem etiam ipse prægustasset, idq; in Cœnaculum, in Act: 20. v. 8. & 11.
quo essent lampades copiosæ accensæ. Vbi etiam satis innuitur, locũ
illum vel templum dictum fuisse Cœnaculum, à potissimo actu ora- g Missa cum accensis luminibus peracta.
tionis, hoc est, à cœna Domini sic denominatũ: [g] in quo memoran-

tur copiosæ lampades accensæ, non alia proculdubiò ratione, (quis
enim noctu sine lumine, exceptis fortè Anabaptistis, conuentū tàm
solemnem ageret?) quàm quòd cultus diuinus, præsertim Liturgi-
cus, apud antiquissimos Christianos, cum accēsis luminibus fieri so-
leret: vt ex antiqua quoq; constat traditione. [a] Hæc enim est vera
illa mundissima mensa, & illi recentissimi panes propositionis, qui-
bus (sicut olim in lege) veri sacerdotes discreti à filijs Belial, lumina &
lucernas ministrant, vt hoc etiā ritu verū antiquum Dei sui cultū pro
fiteātur. Accedit, quòd in vtroq; loco citato, vbi dicitur panis fractio,
pro pane apud Syrios legitur Eucharistia, vt linguæ illius periti an-
notauerunt. [b] Cæterùm istum cœnæ Domini ritum, cum sacrificio
vel Liturgia, directore Spiritu sancto, S. Paulum accepisse ab Eccle-
sia Antiochæna, cui initio præsidebat S. Petrus, & in qua primùm fi-
deles Christiani fuerunt denominati, testatur S. Lucas sic scribens:
Erant autem in Ecclesia quæ erat Antiochæ, Prophetæ & Doctores,
in quibus Barnabas, & Simon, qui vocabatur Niger, & Lucius Cyre-
nensis, & Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus, & Sau-
lus. Ministrantibus autē illis Domino & ieiunantibus, dixit Spiritus
sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod as-
sumpsi eos. Tunc ieiunantes & orantes, imponentesq; eis manus, di-
miserunt eos. Et ipsi quidem missi à Spiritu sancto abierunt, &c. Hîc
enim apparet, Ecclesiam illam ex Gentibus primam, quando debebat
prædicationem Euangelij in alias quoq; nationes diffundere, implo-
rasse ad hoc opus inspirationē [c] Spiritus sancti, idq; per ieiunia & o-
rationes, quarum potissimus ritus erat sacrificium, seu Liturgia, cui
semper præmitti solet ieiunium. [d] Vtrumq; etiam horum adhibuisse
Apostolos ad impositionem manuum, vel ordinationem sacerdotū,
S. Dionysius, Clemens, & alij testantur. Ideò quod editio Latina ver-
tit, Ministrantibus illis, Græca germana lectio habet λειτουργούντων
δὲ αὐτῶν τῷ κυρίῳ, hoc est, Sacrificantibus autem illis Domino, ver-
tit Syrius Interpres, & Erasmus. Quod vtiq; non de alio, quàm nouæ
legis sacrificio dictum est: id verò nullum aliud demonstrari potest,
quàm quod (vt diximus) Christus in vltima cœna instituit, quod eti-
am apud Græcos Liturgiæ nomen hucusq; obtinuit. Non tamen
versio vulgata reprobanda est, quandoquidē verbū idem λειτουργεῖν
in alijs locis scripturæ vertatur pro ministrare, vbi tamen de sacrifi-
cio sermonem esse, nullum est dubium: vt in exemplo apud Isaiam,
vbi de sacerdotibus nouæ legis sermo est, vulgata versio habet:
[d] Vos autem sacerdotes Domini vocabimini ministri Dei nostri, di-
cetur vobis: vbi (ministri) Græci septuaginta verterunt λειτουργοί,
hoc est,

[a] 2. Paral: 13. v. 11. Guilelmus Allotus in Thesauro Bibliorum Verbo Eucharistia.

[b] Liturgia Apostolica præside Spiritu Sācto Antiochiæ: Act. 13. vers. 2.

[c] Missa Apostolis dicta Liturgia vel Ministerium.

[d] Dionys. Ecclesi Hierach. Cap. 6. p. 3. Clem: lib. 8. Cōst. Apost. & Epist. ad Iacobum. Act. 13. vers. 2.

[d] Isa. 61. vers. 6.

hoc est, sacrificatores. Item, quando Apostolus dicit: [a] Omnis sacer-
dos præstò est quotidie (λειτουργῶν) ministrans. Et postea: Omnia
vasa (τῆς λειτουργίας) ministerij. Sed & ipse cuius locum pertracta-
mus S. Lucas … sic habet: [b] Et impleti sunt dies (τῆς λειτουργίας)
ministerij seu officij eius. [c] Quin etiam ipsi Lutherani, & sacramen-
tarij cœnam ipsam suam vocant Ministerium, (lingua nostra, postu-
gowánié) & cœnæ administratores, Ministros denominant: vt quā-
do sacrificium re ipsa denegent, nomine tantùm fateri & profiteri
Cap: XII.
cogantur. [d] Huc referri potest duplex locus, quem suprà ex eo-
dem Apostolo adduximus & explicuimus. Primus est 1. ad Cor. 10.
quando Apostolus sacrificium nouæ legis satis indicat triplici anti
thesi: prima est, mensæ Domini cum mensa Iudæorum, atq; Genti-
lium. Sicut enim mensam Gentilium & Iudæorum exponit postea
altare: sic mensam quoq; Domini pro altari intelligi oportebit. Quod
quidem elucidat Apostolus, primò, quando mox postea, mensam Do
mini opponit immolationi, & calici Dæmoniorum. Deinde, quando
alibi scribit: [e] Habemus altare, de quo edere non habent potestatem
qui tabernaculo deseruiunt: vt nos quoq; suo loco fusius explicui-
mus. Secundam antithesim facit Apostolus, ex comparatione Eu-
charistiæ ad sacrificia Gentilium & Israëlitarum: quòd nimirū Chri-
stiani ita sumant de mensa Domini corpus & sanguinem suum, sicut
Iudæi quidem hostias legales, Gentiles verò sua Idolothyta, ex suis
altaribus participant. Cùm autem tàm Hebræi, quàm Gentiles, per
sacrificium id peragant: consequitur & Christianos nō aliter sua de-
sumere. Tertia comparatio fit, ex effectu & cōmunione eiusmodi sa-
crificiorum. Si enim libantes Dæmonijs, & ex Idolothytis partici-
pantes, idolis quæ nihil sunt socij fiunt, vt vocentur etiam Idolola-
træ: magis id proprium erit fidelibus imolantibus vero Deo, qui est
ipsum Ens, & ex tali immolatione participantibus, de quibus ipse
dixerit: [f] Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem,
in me manet, & ego in illo. [g] Ab illo igitur verbo λειτουργεῖν, di-
ctum est sacrificium & oblatio Christianorū, seu Missa, quod in Deu-
teronomio, voluntariam oblationem sonat: siue (quod probabiliùs
est) à dimissione, quando vel olim Catechumeni ante Canonem, vel
fideles post Canonem (vt & modò seruatur) hac voce dimittebantur.
Qui igitur ab Apostolis Græca lingua vsi sunt, Canonem minorem,
qui essentialis pars Missæ est, propriè Liturgiam denominauerunt.
Hanc cum reliquis cærimonijs, Apostolis, præsertim verò magistro
suo Paulo, vsitatam, describit [h] Dionysius Areopagita. De omnibus
reliquis Apostolis nominatim idipsum testatur Epiphanius, eos ni
mirum

[a] Hebr. 10. v. 11. Cap. 9. vers. 21.

[b] Lucæ 1. v. 23.

[c] Hæretici ignorantes, Missam concedunt.

[d] Sacrificium verum nouæ legis, à sacrificio Idolorum & legaliū discernit Apostolus. 1. Cor. 10. v. 21.

[e] Hebr: 13. v. 10. Supra sermone 6. Cap. 22.

[f] Ioan. 6. vers. 16.

[g] Missa seu Liturgia quid, eiusque Apostolicus vsus Deuter. 16. v. 10.

[h] Dionys. Eccl. Hierach. Cap. 3.

a Epiphanius hęresi 79. con: Collyridianos.

b Sacrificij ministerio, fęminę exclusæ.

c Liturgiæ singulorũ Apostolorũ. Abdias in vitis singulorũ Apost. Egesippus lib. 3. de Excid. Hiero. Ca. 2. Isid. de officijs Diuin. Cap 15. Linus de Pasione S. Petri. Clemens Const. Apost. lib. 2. Ca. 61. &c. Et lib: 8. Cap. 2.

d Iustin. Oratione ad Antoninũ. Presbyteri Achaiæ in vita Andreę Apostoli.

e Vide Abdiam, Metaphrastẽ, & alios, in vitis Apostolorum.

f Liturgiæ antiquisimæ, earũq; partes, & ordo.

g Psalm. 49. v. 23.

mirum [a] per totum orbem terrarum Liturgias seu oblationes, cum Euangelica prædicatione coniunxisse. Quod de proprio sacrificio illum intelligere, vel exinde colligitur, [b] quòd ab eiusmodi officio fœminas, & ipsam etiam Dei matrẽ excludat: quibus tamen reliqua sacrificia, præsertim spiritualia, cum viris sunt communia. Mentionem etiam Missarum faciunt Canones Apostolorum, præsertim tertius, & nonus, & vigesimus octauus. [c] Idipsum etiam de singulis Apostolis, non difficilè esset demonstrare. Petrum enim Liturgias seu Missas celebrasse testantur, Abdias, Egesippus, Isidorus, & alij: sed inprimis Linus, & Clemens Romanus, eius discipuli & successores, quorum posterior, & alij, Liturgiam tàm diui Petri, quàm reliquorũ Apostolorum copiosissimè describit. Idem facit Iustinus [d] Martyr, rationem reddens Gentilibus, quid mysterij singulæ Liturgiæ partes contineant. S. Andream Proconsuli Aegeo se ad imolandum Idolis cogenti, sic respondisse legimus: Ego omnipotenti Deo omni die sacrifico, non thuris fumum, nec hircorum sanguinem, nec taurorum mugientium carnes: sed immaculatũ agnum quotidie in altari (nota cruenti sacrificij veram repræsentationem) crucis sacrifico. Cuius carnes postquam omnis populus credentium manducauerit, & eius sanguinem biberit, agnus qui sacrificatus est, integer perseuerat & viuus. (expende iteratam asseuerationem veri tum sacrificij, tum ipsius corporis Christi,) Et cùm verè sacrificatus sit, & verè carnes eius manducatæ sunt à populo, & verè sanguis eius sit haustus: tamen (vt dixi) integer permanet, & immaculatus & viuus. Hęc ibi. [e] Sanctum Ioannem, Iacobum, Thomam, Matthæum, Barnabam, & reliquos Apostolos Missas celebrasse, & aliquos circa illas martyria subijsse, gesta illorum attestantur. Vnde tot Missarum formulæ seu Liturgiæ, quæ ad nostram etiam ætatem peruenerunt: quarum vel Apostoli, vel illorum in pastoratu successores extiterunt. [f] Sic Liturgia Hierosolymitana, Iacobi: Romana, Petri: Alexandrina, Marci: Aetyopica, Matthęi: Constantinopolitana, Chrysostomi: Cappadociæ, Basilij: Mediolanensis, Ambrosii: tum Armenorum, Syrorum, & si quę sunt aliæ. Quæ tamen omnes in tribus partibus essentialibus conueniunt. Primò namq; præmittitur sacrificium laudis, [g] quo Deus honoratus, secundùm Psalmistam, ostendat nobis salutare Dei. Cui etiã annexa doctrina ex libris Propheticis, Apostolicis, & Euangelicis. Succedit in Canone, qui propriè Missa est, ipsa consecratio, oblatio agni cælestis incruenta, qui tamen pro nobis in speciebus visibilibus frangitur, funditur, & immolatur, in mortis suæ, eiusq; efficaciæ repræsentationem. Cui oblationi annexa est sumptio offerentis, & ali-

orum

a 1. Timoth: 2. v. 1.

b Clemens Cõstit: Apost. lib: 2. Cap. 61. 63. &c. Dionys: Eccles. Hierarch. Cap. 3.

orum fidelium, si qui se iuxta monitionem Apostoli præparauerunt, eiusdem hostiæ communio & distributio. Ista demum omnia concomitantur vel consequuntur, [a] secundùm præscriptum Apostoli, obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro varijs Ecclesiæ Dei, & fidelium, tàm viuorum, quàm defunctorum, expiationibus, & necessitatibus. Quæ omnia latissimè prosecuta reperiuntur in Liturgijs apud S. [b] Clementem in Cõstitutionibus Apostolicis, apud B. Dionysiũ Areopagitã, quas sermoni proximè sequenti inseremus, & in reliquis superiùs nominatis. Eam Liturgiarũ prolixitatem, seruatis omnibus essentialibus, Ecclesia Romana in compendiũ quasi, & aptiorem ordinem redegit, quam hactenus vniuersæ Occidentis conseruant Ecclesiæ: vt proximè sequenti Sermone ostendemus.

Secunda pars, continens testimonia antiquorum Doctorum de sacrificio.

Cap. XIII.

Sacrificio nouæ legis. Vniuersali, totus orbis attestatur.

c Testimonia Clementis Romani. Clemens Const: Apost: lib. 8. Cap. vltimo.

d Christus solus natura Pontifex.

SVperioribus Sermonibus, pręsertim ex doctrina Apostoli Pauli: deinde ex Prophetia Malachiæ, probauimus, sacrificium nouæ legis institutum fuisse, ab ipso Dei filio, & quidem in humanitate gerente sacerdotium, quod esset æternum: ideóq; non determinandum tempus, nec vnam aliquam gentem, sed perennitatẽ temporis, & vniuersitatem populorum, & indefinitatem locorũ, requireret. Quæ vniuersalitas, cùm hucusq; satis sit declarata testimonijs vtriusq; paginæ, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, ipsiusq; vnici Magistri & Domini nostri. Reliquum est, vt idipsum, praxi etiam succedentium Ecclesię pastorum, & Doctorum, tàm Orientalium, quàm Occidentalium Ecclesiarum, confirmemus. Quamuis autem nullum, tàm ex Græcis, quàm ex Latinis meminerim, qui non hoc ipsum sentiat, vt vniuersitas particularitatem non videatur exigere: Tamen in gratiam Catholicorum, qui vel Authores ipsos non habent, vel eos reuoluere minus possunt: & ad confusionem aduersariorum, qui antiquos scriptores de tali sensu, vel subtrahunt prorsus, vel peruertunt: aliquot ex antiquioribus hîc inserere visum est necessarium. [c] Clemens igitur Romanus, Principis Apostolorum discipulus & successor, cûm sæpiùs in scriptis suis de tali sacrificio agat, inter alia in Constitutionibus Apostolicis, sic scriptum reliquit: Primus [d] natura Pontifex vnigenitus Christus, nõ sibi honorem rapuit, sed à Patre constitutus est: qui factus propter nos homo, & hostiam spiritualem Deo suo, eidemq; Patri, ante pasionem offerens,

 consti-

constituit nobis solis vt hoc faceremus: [a] cùm essent alioqui nobiscum alij etiam ex numero eorum, qui in eum crediderant: sed non protinus quicunq; credidit, factus fuit sacerdos, aut gradum Pontificalis dignitatis obtinuit. Nos verò post assumptionem offerentes, vt idem constituit, sacrificium mundū & incruentum, elegimus Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, &c. Et iterum: Tabernaculū testimonij per omnia figuram Ecclesiæ referebat. [b] De quo cùm plura dixisset, subinfert: Vos igitur hodie, ô Episcopi, estis populo vestro sacerdotes & Leuitæ, qui ministrant sacro tabernaculo sanctæ & Catholicæ Ecclesiæ: atq; assistentes ad altare Domini & Dei nostri, & adducentes ei rationales & incruentas hostias, per Iesum magnum Pontificem. Et alibi: [c] Baptismum, inquit, sacrificium, sacerdotiū, corporis & sanguinis Domini, localem adorationem mutauit: pro quotidiano baptismo vnum solum: pro sacrificio cruento, rationale & incruentum ac mysticum sacrificium instituit, quod in mortē Domini per symbola corporis & sanguinis sui celebratur. [d] Et alibi rursus in deprecatione, quam Apostoli in ordinatione sacerdotum faciebant, hæc verba ponit: Da illi Domine potestatem quam dedisti Apostolis, placendi tibi in mansuetudine & corde mundo, offerendo tibi sine culpa semper, & sine crimine sacrificium mundum & incruentum, quod per Christum constituisti, mysterium noui testamenti in odorem suauitatis, per sanctum filium tuum Iesum Christum, Deum & Saluatorem nostrum: per quem tibi gloria, honor, & veneratio in sancto Spiritu, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. [e] S. Martialis vnus ex septuaginta duobus discipulis Domini, in schola Christi eruditus, & reputatus ille puer, qui subministrabat in deserto quinq; panes hordeaceos, & duos pisces: quiq; de seipso testatur se vidisse Christum miracula facientem, & in cælos ascendentem: qui etiam insuper dicitur in cœna vltima ministrasse: is ipse oculatus & auritus testis sic scribit: Sacrificium Deo creatori offertur in ara, nō homini, neq; angelo, nec solùm in ara sanctificata; sed vbiq; offertur Deo munda: sicut testatus est, cuius corpus & sanguinem in vitam offerimus, &c. Et postea subijcit verba: Quod Iudæi per inuidiam immolauerunt, &c, quæ suprà citauimus, Cap. 9.

[a] Ad Sacerdotium in Coena tātum Apostoli admissi.

[b] Clemens Constit: lib: 2. Cap. 29.

[c] Lib. 6. Constit: Cap. 23.

[d] Constit: lib: 8. Cap. 3.

[e] S. Martialis oculatus testis sacrificij Christi. Epist: ad Burdegalenses. Cap: 3.

Cap. XIIII.

[f] Dionysius à S. Paulo conuersus, baptizatus, & mysterijs cælestibus instructus, in libro Ecclesiasticæ Hierarchiæ Cap. tertio, primò ex doctrina præceptoris sui S. Pauli, vocat hoc mysterium sacramentum sacramentorum, & sacrificium sacrificiorum: deinde copiosè describit ritum sacrificij seu Missæ temporibus illis Apostolicis vsitatum, qui nostro absimilis non est. Ibi enim legitur circuitus Ecclesiæ,

[f] Missæ Apostolicæ antiquus ritus. Dionys. Areopagita Eccles: Hierarch: Cap: 3.

clesiæ Processionalis, thuris seu incensi vsus: laudes diuinæ, lectio scripturarum, symboli professio, manuum ablutio, &c. quorum singulorum mysteria explicat. [a] Deinde exclusis Cathechumenis & Energumenis, describuntur ipsa Missarum mysteria, inchoata à confessione, panis & vini oblatione, Orationis Dominicæ recitatione, pacis communicatione. Tum demum astante clero, Pontifex sacrosancta & augustissima mysteria conficit, [b] populo ostendit, sub speciebus participanda tradit: ipse inuisibilibus mysterijs, supra ea quæ in symbolis spectantur, cælitus existens imbutus, eaq; participans, cū gratiarum actione finem mysterijs imponit. Vbi etiam sacram quæ offertur Eucharistiam exprimit [c] sequentibus Epithetis: vocando salutaris hostiæ oblationem, excellentiùs sacrificium, diuinorum altissimam, & maximè venerādam celebrationem, mysteria sacrosancta, omniq; digna veneratione suscipienda, sacramentorum omnium summam, Diuinum augustissimumq; sacramentum. Ibi etiam describit, quomodo Pontifex post diuinorum operum laudes (nos Præfationem vocamus) hostiam salutarem sacrificet, Pontificem cælestem sic compellando: Tu dixisti, Hoc facite in meam commemorationē.

[a] Missæ potissima pars.

[b] Eucharistiæ ostensio seu eleuatio.

[c] Eucharistia Epitheta.

[d] Similiter & Iustinus, Philosophus & Martyr: postquam ritus & cæremonias eiusdem Liturgiæ seu Missæ descripsisset, hæc subinfert verba: Non enim vt communem panem, neq; communem potum ista sumimus: [e] Sed quemadmodum per verbum Dei, caro factus Iesus Christus Saluator noster, & carnem & sanguinem salutis nostræ causa habuit: ad eundem modum etiam eam alimoniā, in qua preces verbi eius ab ipso profecti, (nota consecrationem & oblationem) virtute ipsius Christi gratiæ sunt actæ, vnde sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Iesu carnem & sanguinem esse edocti sumus. [f] Nam Apostoli in Commentarijs à se scriptis, quæ Euangelia vocantur, ita tradiderunt, præcepisse sibi Iesum. Eum enim, pane accepto, cùm gratias egisset, dixisse: Hoc facite in meam commemorationem: hoc est corpus meum: & poculo similiter accepto, & gratijs actis dixisse: Hic est sanguis meus: ac solis ipsis ea tradidisse. [g] Idem alio loco, sacrificium nouæ legis in pane & vino scribit correspondere oblationi similæ. Sicut enim hæc mundabat corpus, sic ista animam, & plura alia beneficia credentibus confert. [h] S. Ignatius, tertius S. Petri in Sede Antiochena successor, sic scribit ad Philadelphios: Obsecro vos, vt vna fide, vna prædicatione, vna Eucharistia vtamini. Vna enim caro Domini nostri Iesu Christi, & vnus illius sanguis, qui pro nobis effusus est, & vnus calix, qui pro omnibus nobis distributus est, vnus panis qui omnibus fra-

[d] S. Iustinus Martyr Oratione ad Antoninū prope finem.

[e] Sicut Verbum caro factum est: similiter ex pane corpus Christi.

[f] Sacrificiū in pane & vino à Christo institutum. Matth. 26. v. 26. Marci. 14. vers. 22. Lucæ 22. vers. 19.

[g] Dialogo cum Tryphone.

[h] S. Ignatius Epist. ad Philadelphienses.

bus fra-

bus fractus eſt, & vnus Epiſcopus cum Presbyterorum collegio, & Diaconis conſeruis meis. Et alibi rurſus: [a] Non licet, inquit, ſine Epiſcopo, neq; baptizare, neq; offerre, neq; ſacrificium immolare, ὔτε δοχὴν ἐπιτελεῖν: quod probatiores interpretes verterunt, Miſſas facere ſeu celebrare. Idem Epiſtola ad Epheſios, vocat lupum ſub pelle ouis latitantem illum, qui ab Epiſcopo ſeiunctus eſt, nec conuenit in cœtu ſacrificiorum & Eccleſia. [b] B. Irenæus (quem S. [c] Auguſtinus hominem Dei antiquum vocat) pluribus locis oblationem legis nouæ adſtruens, inter alia loca ſic habet: Vt ipſi (Apoſtoli) nec infructuoſi nec ingrati ſint, eum qui ex creatura panis eſt, accepit (Ieſus) & gratias egit, dicens: Hoc eſt corpus meum. Et calicem ſimiliter, " qui eſt ex ea creatura, quæ eſt ſecundûm nos, ſuum ſanguinem " confeſſus eſt, & noui teſtamenti nouam docuit oblationem: quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens, in vniuerſo mundo offert Deo. Cui ſenſui applicat prophetiã [d] Malachiæ, quã nos ſuperiùs explicuimus. Et inferius addit: Igitur Eccleſiæ oblatiò, quam Dominus docuit offerri in vniuerſo mundo, purum ſacrificium reputatum eſt apud Deum, & acceptum eſt ei. [e] Clemens Alexandrinus Magiſter Origenis ſcribit: Melchiſedech Sacerdotem Dei altiſsimi panem & vinũ ſanctificatum dediſſe in typum Euchariſtiæ. Et alibi damnat hæreſim Hydroparaſtarum, quòd pane & vino in oblatione non vterentur, iuxta regulam Eccleſiæ. [f] Origenes qui Magiſter Eccleſiarum Orientis quondam appellatus fuit, Celſo hæretico ſacra Chriſtianorum calumnianti, reſpondet: Chriſtianos quidem habere templa, aras, & ſtatuas, ſed in quibus vero & viuo Deo ſeruiant & ſacrificẽt, illumq́; in ſpiritu colant, non cruento illo cultu, quem ſibi Dęmones in gentilitate manciparent. Et in eodem libro: Nos, inquit, qui rerum omnium conditori placere ſtudemus, cum precibus & gratiarum pro beneficijs acceptis actione, oblatos panes edimus, corpus iam per precationem factos, ſanctum quoddam & ſanctificans, vtentes eo cũ ſano propoſito. Ibidem poſtea: Hoc cauemus, ne ingrati erga Deum habeamur. Habemus etiam eius gratiarum actionis ſymbolum, panem qui Euchariſtia vocatur. S. Cyprianus Martyr, in adſtruendo & extollendo ſacrificio Euangelico frequentiſsimus eſt. Inter alia autem ad Epiſcopum Cæcilium ſic ſcribit: Inuenimus in Geneſi, circa ſacramentum Noè hoc idem præcurriſſe, & figuram Dominicæ paſsionis illic extitiſſe, quod vinum bibit, &c. Et poſt pauca: [g] Item in ſacerdote Melchiſedech, ſacrificij Dominici ſacramentum præfiguratum videtur, ſecundùm quod diuina ſcriptura teſtatur, & dicit: " Et Melchiſedech Rex Salem, protulit panem & vinum: fuit autem ſacer-

[a] Epiſtola ad Smyrnenſes.

[b] Irenæus lib. 4. Cap. 32. & 34.

[c] Auguſt: lib. 1. con. Iul. Pelagianum.

[d] Malach. 1. v. 10.

[e] Clemens Alexand. lib. 4. & 1. Stromatum.

[f] Origenes lib. 8. con. Celſum.

Cap. XV.

[g] Melchiſedech figura Sacerdotij Chriſti. Geneſ: 14. v. 18. Pſalm: 109. verſ. 4. Cyprianus Epiſt. 63. ad Cæcilium.

„ ſacerdos Dei ſummi, & benedixit Abraham. Quod autem Melchiſedech typum Chriſti portaret, declarat in Pſalmis Spiritus ſanctus, ex perſona Patris ad filium dicens: Ante Luciferum genui te: Tu es ſacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech. [a] Qui ordo vtiq; hic eſt, de ſacrificio illo veniens, & inde deſcendens, quòd Melchiſedech ſacerdos Dei ſummi fuit, quòd panem & vinum obtulit, quòd Abraham benedixit. Nam quis magis ſacerdos Dei ſummi, quám Dominus noſter Ieſus Chriſtus? Qui ſacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchiſedech obtulerat, id eſt, panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem. Et infrà: Vt ergo, inquit, in Geneſi per Melchiſedech ſacerdotem, benedictio circa Abraham poſſet ritè celebrari, pręcedit ante imago ſacrificij Chriſti, in pane & vino ſcilicet cõſtituta. Quam rem perficiens & adimplens Dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit: & qui eſt plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimpleuit. Idem alio loco: Salem, inquit, pax exponitur: cuius noſter Seruator Rex deſcribitur, quem dicit Moyſes, Melchiſedech Rex Salem ſacerdos Dei altiſsimi, qui vinum & panem ſanctificatum dedit nutrimentum in typũ Euchariſtiæ. [b] Alibi autem addit: Dominum noſtrum, panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem, obtuliſſe inter cœnandum, vt Melchiſedech typum adimpleret: vtq; ſanguinẽ Chriſti propinatum poſſemus bibere, priorem ipſum, tanquam pincernam noſtrum (quæ verba etiam habet [c] Chryſoſtomus) bibiſſe. Sacerdotem etiam ad altare, Chriſti ipſius vice perfungi, & ſacrificium verum & plenũ Deo Patri, in paſsionis vnigeniti ſui recordationẽ offerre. [d] Ad eundem modum magiſter eiuſdem Cypriani Tertulianus, Apoſtolorum temporibus vicinus, non minùs frequenter hoc idem ſacrificium inculcat. Sacerdotum enim officia hæc tria potiſsima recenſet, docere ſeu prædicare, tingere, hoc eſt, baptizare, & alia ſacramenta adminiſtrare, & offerre, quod eſt ſacrificare. Et alibi: Vbi Epiſcopi non adeſſent, tingendi & offerendi facultatẽ ſacerdotibus præſcribit: [e] taléſq; oblationes faciendi, pro recentibus & ãniuerſarijs ſuffragijs defunctorum. Illud etiam matrimonium eſſe felix & ſtabile inter Chriſtianos, quod Eccleſia conciliaret, eiuſq; oblatio cõfirmaret. Inſuper mulieres in publicum progredi vetat, niſi cùm aut imbecillis frater viſitandus eſt, aut ſi ſacrificium offertur, aut verbũ Dei adminiſtratur. [f] S. Hieronymus de eodem nouæ legis ſacrificio, tanquam de re fidelibus notiſsima, ex occaſione, ſatis tamen clarè loquitur. Nam verba conſecrationis, Accipite & manducate, &c. ſic commentatur: » Poſtquam typicum Paſcha fuerat impletum, & agni carnes cum A- poſtolis

[a] Ordo Melchiſedech quid notet.

[b] Idem ſerm: de Coena Domini.

[c] Chryſoſt: hom. 85. in Cap. 26. Matthæi.

[d] Tertull. de Poenitentia. Et lib. 2. ad vxorẽ. Idem lib: de exhortatione ad caſtitatem. Et lib: de cultu fęminarum. lib. de velandis virginibus.

[e] Miſſæ Anniuerſariæ pro defunctis: & circa Matrimonia.

[f] Sacrificij noui inſtitutio. Hieron. in Cap. 26. Matth. Epiſt: 17. ad Marcellam.

Et Epist. 150. ad Edibiam. Idem ad Damasum de filio prodigo.

postolis comederat (Dominus), assumit panem, qui confortat cor hominis, & ad verum Paschę transgreditur sacramentū: vt quomodo in præfiguratione eius, Melchisedech summi Dei sacerdos, panem & vinum offerens fecerat, ipse quoq; veritatem sui corporis & sanguinis repræsentaret.

a Melchisedech typus Sacerdotij Christi. Genes. 14. ver 18.

a Idem in Epistola sub nomine Paulæ & Eustachij: Recurre, inquit, ad Genesim, & Melchisedech Regem Salem, huius principem inuenies ciuitatis, qui iam tunc in typo Christi, panem & vinum obtulit, & mysterium Christianum, in salutari sanguine & corpore dedicauit. Et alibi rursus de ipsis sacerdotibus Christianis:

b Sacerdotes corpus Christi ore suo conficiunt.

b Absit, vt de ipsis quicquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, &c. Et iterum alio loco sic scribit: Nec Moyses dedit nobis panem verum, sed Dominus Iesus,

c Christus conuiua & conuiuiū.

c ipse conuiua & conuiuium, ipse comedens, & qui comeditur: illius bibimus sanguinem, & sine ipso potare non possumus: & quotidie de sacrificijs eius, de genimine vitis eius Verem, & vineæ Sorec, quæ interpretatur electa, rubentia musta calcamus. Deniq; ad Damasum Papam: Christus, inquit, quotidie fidelibus imolatur.

d S. Ambrosij de sacrificio Missæ doctrina. Vide supra sermone 6. Cap. 19.

d S. Ambrosius quid de sacrosancto hoc mysterio senserit, declarant eius sententiæ, quas suprà in Sermone sexto posuimus: Super hæc autem, libro de Sacramentis, ipsum Missæ sacrificium, eiusq; ritus luculentissimè pertractat, vbi inter alia sic scribit: Cap. XVI.

e Et Lib. 4. de Sacramentis Cap. 4.

e Ergo author sacramentorum, quis est, nisi Dominus Iesus? De cælo ista sacramenta venerunt. Consilium enim omne de cælo est. Verè autem magnū est & diuinum miraculum, quòd populo pluit Deus manna de cælo, & non laborabat populus, & manducabat.

f Trāsubstātiatio fit verbis Christi, per consecrationem.

f Tu fortè dicis: Meus panis est vsitatus, sed panis iste, panis est ante Verba sacramentorum: vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur astruamus, quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio igitur quibus verbis est, & cuius sermonibus? Domini Iesu. Nam reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur: oratione petitur pro populo, pro regibus, pro cæteris: vbi venitur vt conficiatur venerabile sacramentum, iam nō suis sermonibus sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi.

g Verborum cōsecrationis expositio.

g Postea verò in expositione formulæ ipsius consecrationis, sic inter alia habet.

h Lib. 1. de Sacramentis. Cap. 1.

h Vide, omnia verba illa, Euangelistæ, sunt vsq; ad accipite, siue corpus, siue sanguinē. Inde verba sunt Christi: Accipite, bibite ex eo omnes, hic est enim sanguis meus. Vide singula. Qui pridie, inquit, quàm pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem. Ante quàm consecretur, panis est: vbi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi. Deniq; audi dicentem; Accipite & edite ex eo omnes, hoc est enim corpus meū.

Et ante

Et ante verba Christi, calix est vini & aquæ plenus: vbi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit. Ergo videte quantis generibus potens est sermo Christi vniuersa conuertere. Deinde ipse Dominus Iesus testificatur nobis, quòd corpus suum accipiamus & sanguinem. Nunquid debemus de eius fide & testificatione dubitare? Et deinceps:

a Melchisedech æternam naturā & Sacerdotiū prę signabat in Christo. Hebr. 7. vers. 3. Apoc: 1. vers. 18.

a Vbi sunt, inquit, qui filiū Dei dicunt esse de tempore? De Melchisedech dictum est, quia neq; initium, neq; finem dierum habet. Si Melchisedech non habet initium dierū, num Christus habere potuit? Sed non est plus figura, quàm veritas. Vides ergo, quia ipse primus & nouissimus: Primus, quia author est omnium: nouissimus, non quòd finem inueniat, sed quòd vniuersa concludat. Diximus ergo, quòd in altari constituatur calix & panis. In calicem, inquit, mittitur vinum. Et quid aliud? aqua. Sed tu mihi dicis: Quomodo ergo Melchisedech panem & vinū obtulit?

b Aquæ ad vinū admixstionis mysteria.

b Quid sibi vult admixtio aquæ? Rationem accipe. Primò omnium, figura quæ antè præcessit tempore Moysi, quid habet?

c Num. 20. v. 11. 1. Cor: 10. vers. 4.

c Quia cùm sitiret populus Iudæorum, & murmuraret quòd aquam inuenire non posset, iussit Deus Moysi vt tangeret petram de virga: tetigit petram, & petra vndam maximam fudit, sicut Apostolus ait: Bibebant autem de consequenti petra, petra autem erat Christus. Non immobilis petra, quæ populum sequebatur. Et tu bibe, vt te Christus sequatur. Vide mysterium: Moyses, hoc est, Propheta: virga, hoc est, verbū Dei: sacerdos verbo Dei tangit petram, & fluit aqua, & bibit populus Dei. Tangit ergo sacerdos calicem, redundat aqua in calice, salit in vitam æternam, & bibit populus Dei, qui Dei gratiam consecutus est. Didicisti ergo hoc. Accipe & aliud

d Sanguinis ex latere Christi mysterium.

d In tempore Dominicæ passionis, cùm Sabbathum magnum instaret, quia viuebat Dominus noster Iesus Christus, vel latrones missi sunt, qui percuterent eū: venientes inuenerunt defunctū Dn̄m Iesum Christum: tunc vnus de militibus lancea tetigit latus eius, & de latere eius aqua fluxit & sanguis. Quare aqua? quare sanguis? Aqua vt emundaret, sanguis vt redimeret. Quare de latere? Quia vnde culpa, inde gratia: Culpa per fœminā: gratia per Dominum Iesum Christum.

e Testimonia ex S. Augustino. August: lib. 10. Ciuit. Cap. 20. Et Epistol. 23. ad Bonifacium. Idem lib. Octuaginta trium quæstionum Cap. 61. Et lib: 16. Ciuit: Cap. 22. August. in Psalm. 33. Cōcio. 2. v. 13. Et lib. de fide. Cap 17.

Cap. xvij. e Ex Augustino si singula proferremus, tempus nos deficeret: hæc tamē potiora depromimus. Sic ergo habet libro de Ciuitate Dei:

f Christus quomodo simul hostia Sacerdos, & exauditor.

f Vnde verus ille Dei mediator, in quantum formam serui accipiens, mediator effectus est Dei & hominum, homo Christus Iesus, cùm in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo & vnus Deus est: tamen in forma serui sacrificiū maluit esse, quàm sumere: ne vel hac occasione quisq; existimaret, cuilibet sacrificandum esse creaturæ. Per hoc & sacerdos, & offerens

ipse,

ipſe, & oblatio. Cuius rei ſacramentum quotidianum eſſe voluit Eccleſiæ ſacrificium: quæ, cùm ipſius capitis corpus ſit, ſeipſam per ſeipſum diſcit offerre. Huius veri ſacrificij multiplicia variaq; ſigna erant ſacrificia priſca ſanctorum, cùm hoc vnum per multa figuraretur, &c. In eandem ſententiam alibi ſcribit: a Huius ſacrificij caro & ſanguis, ante aduentum Chriſti, per victimas ſimilitudinum promittebatur: in paſſione Chriſti, per ipſam veritatem reddebatur: poſt aſcenſionem Chriſti, per ſacramenti memoriā celebratur. Et rurſus: b Nonnè ſemel immolatus eſt Chriſtus in ſeipſo? & tamen in ſacramento, non ſolùm per omnes Paſchæ ſolennitates, ſed omni die populis immolatur: nec vtiq; mentitur, qui interrogatus, eum reſponderit immolari. Si enim ſacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum, quarum ſacramenta ſunt non haberent, omninò ſacramenta non eſſent. Et alibi: c Ipſe eſt, inquit, ſacerdos noſter in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech, qui ſeipſum obtulit holocauſtū pro peccatis noſtris, & eius ſacrificij ſimilitudinem celebrandam, in ſuæ paſſionis memoriam commendauit: vt illud quod Melchiſedech obtulit Deo, iam per totum orbem terrarum Chriſti in Eccleſia videamus offerri. Et rurſus: d Cùm Melchiſedech Abrahæ benediceret, ibi primum apparuit ſacrificium, quod nunc à Chriſtianis offertur Deo, toto orbe terrarum. Idem priùs ſacrificium Chriſti ſecundùm Aaron, per opprobrium paſſionis mutatum fuiſſe in glorioſum ſacerdotium Melchiſedech, oſtendit e in figura Dauidis, quando mutabatur coram Achis Rege, vt & Græca ſonant, collabebatur in manibus ſuis. Hoc enim myſterio, poteſt intelligi Chriſtus in cœna nouiſſima, ante agonem mortis, inter manus diſcipulorum propter exinanitionem diuinitatis veluti collabens, ſeipſum tamē ſuis manibus ſubleuaſſe, illiſq; per ſacrificiū diſtribuiſſe. Idem, vel Fulgentius, de fide ad Petrum, ſic ſcribit: f Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, ipſum vnigenitum Deum verbum carnem factum, ſe pro nobis obtuliſſe, ſacrificium & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis: cui cū Patre & Spiritu ſancto à Patriarchis, Prophetis, & ſacerdotibus, temporis veteris Teſtamenti animalia ſacrificabantur: & cui nunc, id eſt, tempore noui Teſtamenti, cum Patre & Spiritu ſancto, cum quibus illi eſt vna diuinitas, ſacrificium panis & vini, in fide & charitate, ſancta Eccleſia Catholica, per vniuerſum orbem terræ, offerre non ceſſat. In illis enim carnalibus victimis, figuratio fuit carnis Chriſti, quam pro peccatis noſtris, ipſe ſine peccato fuerat oblaturus, & ſanguinis, quem erat effuſurus in remiſſionem peccatorum noſtrorum. In iſto autem ſacrificio, gratiarum actio, atq; commemoratio, eſt car-

nis

a Sacrificiū Chriſti omnes oblationes & tempora compræhendit.

b Chriſtus in Miſſa Sacramentaliter immolatur.

c Sacrificiū Chriſti ſecundum ordinem Melchiſedech. Pſalm. 109. verſ. 5.

d Gen. 14. v. 18.

e Dauid figura Chriſti, circa paſſionem mutati. 1. Regum 21. v. 13.

f Sacrificij Chriſti triplex reſpectus. Fulgentius de fide ad Petrum Cap. 19.

nis Chriſti, quam pro nobis obtulit, & ſanguinis, quem pro nobis idē Deus effudit, &c. a Chryſoſtomus in tractatu de ſacerdotio, plura habet huic argumento ſeruientia, quæ omittimus: ſufficiet vnum atq; alterum locū aliunde adnotare. Verba conſecrationis Chriſti apud S. Matthæum ſic interpretatur: Hac de cauſa, deſiderio deſideraui, inquit Dominus, hoc Paſcha vobiſcum comedere, hoc eſt, tradere vobis res nouas, & Paſcha dare, quo vos ſpirituales faciam. b Ipſe quoq; bibit ex eo, ne auditis verbis illis dicerent: quid igitur ſanguinē bibimus, ac carnem comedimus? ac de eo pertubarentur. c Nam & quando priùs de his verba fecit, multū ſolum modò propter verba ſcandalum paſſi ſunt. Ne igitur tunc id quoq; accideret, primus ipſe hoc fecit, vt tranquillo animo ad cōmunicationem myſteriorū induceret. Quid porrò vetus quoq; illud (inquies) facere oportet? Minimè: ideò enim hoc facite dixit, vt ab illo abduceret. Præterea, ſi remiſſionem hoc peccatorum facit, ſicut certè facit, ſuperuacaneū illud omninò eſt. Sed ſicut in veteri, eodem hîc modo in beneficio reliquit, & memoriam myſteriorum colligauit, etiam hinc hereticorum ora frænando. Vbi intelligit & adducit Marcionem, Valentinū, & Manichæum, Chriſto veram carnem denegantes: cuius tamen veritas, vera & iugi oblatione in Eccleſia comprobatur. d Idem verba Apoſtoli ad Corinthios, per nos alibi explicata, ſic etiam commentatur: Et in veteri quidem teſtamento, cùm imperfectiores eſſent, quē Idolis offerent ſanguinem, eum ipſe accipere voluit, vt ab Idolis nos auerteret. Quod etiam inenarrabilis amoris ſignum erat. Hîc autem multò admirabilius & magnificentius ſacrificium præparauit, & quum ſacrificium ipſum commutaret, & per brutorum cædem, ſeipſum offerendum præciperet. Et paulò poſt: Sed quare addit: Quem frangimus? e Hoc in Euchariſtia videre licet, in cruce autē minimè, ſed omninò contrà: Os enim eius, inquit, non conteretur. Sed quod in cruce paſſus non eſt, id in oblatione patitur propter te: frangi ſuſtinet, vt omnes ſaciet. Idem in Epiſtolam ad Hebræos, vnicam iſtam duplicis ſacrificij Chriſti oblationem ſic adſtruit: f Imperauit (Chriſtus) ſemper offerri propter infirmitatem, vt & memoria peccatorum fieret. Quid ergo nos? Nonne per ſingulos dies offerimus? Offerimus quidem, ſed ad recordationem facientes mortis eius. Et vna eſt hæc hoſtia, non multæ. Quomodo vna & non multæ? Quia ſemel oblata eſt, oblata eſt in ſancta ſanctorum: hoc autem ſacrificium exemplar eſt illius: idipſum ſemper offerimus. Ne nunc quidem alium agnum, craſtina alium, ſed ſemper eundem ipſum. Proinde vnum eſt hoc ſacrificium; & meritò. Alioquin quoniam in multis locis

Cap. xviij.

a Chryſoſtomi teſtimonia de ſacrificio nouæ legis. Lucæ 22. ver 15. Chriſoſt: homel: 83. in Mattheum.

b Chriſtus prægustauit Corpus & ſanguinē ſuū.

c Ioā. 6. v. 41, 60.

d Expoſitio verborum Apoſtoli. 1. Cor. 10. ver. 16. Chryſoſt. homel. 24. in Epiſtolam 1. ad Corint.

e Chriſtus fractionē Corporis ſui altari reſeruauit. Ioan. 19. verſ. 36. Exodi 12. ver. 46.

f Sacrificium iuge & tamen vnicum quomodo. Chryſoſt homel: 17. in Epiſtol. ad Hæbr:

offertur,

offertur, multi Christi sunt? Nequaquam. Sed vnus vbiq; est Christus, & hîc plenus existens, & illic plenus, vnum corpus. Sicut enim qui vbiq; offertur, vnum corpus est, & non multa corpora: ita etiam & vnum sacrificium. Pontifex autem noster ille, qui hostiam mundantem nos obtulit, ipsam offerimus & nunc, quæ tunc oblata quidem consumi non potest. [a] Hoc enim facite, inquit, in meam commemorationem. Non aliud sacrificium, sicut Pontifex, sed idipsum semper facimus: magis autem recordationem sacrificij offerimus.

a Luce 22. v. 19.

b Sacerdotiū Melchisedech ppriū Christi. Genes: 14. v. 18. Eusebius Cæs. De mōstration: Euāg. libro. 5. Cap. 3. Et lib. 1. Cap. 10.

[b] Non prætereamus doctissimum quoq; & antiquum scriptorē Eusebium Cæsariensem, sic scribentem. Et sanè oraculis exitus admirabilis ei, qui contempletur, quomodo Saluator noster Iesus, qui est Christus Dei, ipsius Melchisedech ritu, ea, quæ ad sacerdotium in hominibus gerendū spectant, per suos ministros perficiat. Nam quemadmodum ille, qui sacerdos gentium erat, nusquam videretur sacrificijs corporalibus (animalium) functus, sed vino solo & pane, dum ipsi Abraham benedicit: ita sanè primus est Saluator ac Dominus noster, deinde qui ab ipso profecti sunt sacerdotes in omnibus gentibus, spirituale secundùm Ecclesiasticas sanctiones sacerdotij munus obeuntes, pane & vino, & corporis illius, & salutaris sanguinis, mysteria representāt: quæ sanè mysteria Melchisedech tanto ante spiritu diuino cognouerat, & rerum futurarum in imaginibus vsus fuerat, sicut etiā Moyses scriptura testificatur, vbi ait: Et Melchisedech Rex Salem protulit panes & vinum: erat autem sacerdos Dei altissimi, & benedixit Abraham. [c] Cyrillus Alexandrinus scriptor grauissimus, sic etiam sacrificium nouæ legis attestatur: Dum Iesu Christi mortem, & ex mortuis resurrectionem annunciamus, eiusdemq́; in cælum assumptionem, profitemur incruentum in Ecclesia Dei cultū nos obire, mysticasq; benedictiones (sic sacrificium Missæ vocabat) adire, eaq́; ratione sanctificari: vtpotè sacræ carnis, & pretiosi sanguinis Christi, omnium nostrûm Seruatoris participes effecti. [d] Et alibi: Sanctum, inquit, viuificum, incruentumq́; in Ecclesia sacrificium offerimus: corpus & pretiosum sanguinem, quæ proponuntur, non communis nobisq́; similis hominis esse credentes, sed verbi. Et rursus explicans illud Isaiæ Cap. 25. Bibent vinum, &c. Per vinum mysticā benedictionem, & incruentæ hostiæ modum (Propheta) significat, quem in sacris Ecclesiis consueuimus administrare. Porrò [e] Cyrilli Hierosolymitani Liturgiam integram, quæ â S. Iacobo Apostolo edita fuisse creditur, Sermone sequenti ponemus.

Cap. XIX.

c Cyrilli Alexādrini de sacrificio Missæ attestatio. Cyrillus Epistola ad Nestorium.

d Idem Cyrillus in declaratione Anathe.

e Vide infra Sermone 10. Cap. 10.

f Sacrificiū Christi perfecit Legalia, Basilius in Caput 1. Isaiæ.

[f] S. Basilius etiam sic scribit: Qui igitur ex semine Aaronis consecrabantur, exclusi sunt: vt istis succederet sacerdos secundùm ordinem

Cap. XX.

dinem Melchisedech: non iam illud iuge sacrificiū aut victimæ continuò repetitæ. Non ampliùs quotidianæ hostiæ placationis, neq; posthac cinis vitulæ ad immundorum purificationem. Vna enim hostia, Christus, & quæ pro eius confessione celebratur sanctorū mortificatio: vna aspersio, nempè lauacrum regenerationis: vna expiatio peccati, nimirum sanguis ille pro salute mundi effusus. Ob hoc abrogat ac rejcit prima, vt secunda statuat. Et alibi: [a] Ieiunium sacerdotem reddit sacris idoneum. Neq; enim fieri potest, vt is absq; ieiunio sanctum ministerium cum fiducia peragat, non tantùm in mystico horum temporum veróq; cultu, verùm etiam in eo qui iuxta legem in figuris peragebatur. [b] Gregorius Nazianzenus contra Iulianum Apostatam sic inuehitur: Non ampliùs ædes nostras sacras sinistrè adspiciant. Non ampliùs sanguine detestando, purissimi ac incruenti sacrificij purissima inquinabunt altaria, nec aris sacrilegis inaccessa defœdabunt. Idem in carminibus ad Episcopos:

a Idē de laudibus ieiunij homil. 1.

b Gregorius Nasian: quanti ducat sacrificium & Sacerdotium. Oratione 2. in Iulianum. Et in carmine ad Episcopos.

O sacrificia mittentes incruenta sacerdotes,
O animarum custodes gloriosi, ô magni,
Figmentum Dei manibus in vestris ferentes.

[c] Theodoretus, inquit, Si sacerdotium, quod est ex lege, finem accepit, & sacerdos, qui est secundùm ordinem Melchisedech, obtulit sacrificium, & effecit, vt alia sacrificia non essent necessaria: cur noui Testamenti sacerdotes mysticam Liturgiam seu sacrificiū peragunt? Sed clarum est ijs, qui sunt rebus diuinis eruditi, [d] nos non aliud sacrificium offerre, sed illius vnius & salutaris memoriam peragere. Hoc enim nobis præcepit ipse Dominus: Hoc facite in meam commemorationem: vt per figurarum contemplationem, earum, quæ pro nobis susceptæ sunt, perpessionem recordemur, & in benefactorem beneuolentiam conseruemus, & futurorum bonorum perceptionem expectemus. [e] Epiphanius arguens eos, qui Melchisedech putabant esse spiritum sanctum, efficacissimè ostendit, eum fuisse quidem hominem & legis naturæ sacerdotem, sed verum & æternum sacerdotium Christi Pontificis nostri cælestis, in typo gerentem, & penitus exprimentem. [f] Concludamus ista testimonia authoritate Gregorij Magni, ad cuius tempora Ecclesiam veram agnoscere solent hæretici. Is inter alia, quæ omittimus, sic scriptum reliquit: Debemus Deo quotidiana lachrymarum sacrificia, quotidianas carnis eius & sanguinis hostias immolare. Hæc namq; singulariter victima, ab interitu animam saluat, quæ illam nobis morte vnigeniti per mysterium reparat. [g] Qui licèt resurgens à mortuis, iam non moritur, & mors ei vltra non dominabitur: tamen in semetipso immortaliter atq; incorru-

c Sacrificiū Christi cur iterant Sacerdotes. Theodoretus.

d Commemoratio Christi in Missa qualis.

e Melchisedech sacrificium propriè spectat Christum. Epiph: hieresi 55.

f In Missa quomodo repræsentatur passio Christi, & quo fructu. Greg. lib. 4. Dialogorū Cap. 58.

g Roman: 6. v. 9.

corruptibiliter viuens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis imolatur. Eius quippè ibi corpus sumitur, eius caro in populi salutem partitur, eius sanguis iam non in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus, quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra, passione vnigeniti filij semper imitatur. [a] Quis enim fidelium habere dubiũ possit, in ipsa imolationis hora, ad sacerdotis vocem, cælos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio, Angelorum choros adesse, sumis ima sociari, terrena cælestibus iungi, vnũ quid ex visibilibus atq; inuisibilibus fieri? Hæc ille.

a Missæ cultui assistunt Angeli.

Iam verò si breuitas instituta pateretur, possemus proferre ipsorum Rabbinorum, & Hæreticorũ testimonia, quæ aliunde peti possunt. Linguæ enim, [b] secundùm Apostolum, datæ sunt in signum fidelibus, non infidelibus. Quorum tamen aliqua (vt aduersarijs satis faceremus) superiori Sermone posuimus. Quibus pro Colophone eorundem testimoniorũ addere visum est, quòd [c] Rabbi Simeon filius Iohai, sic scriptum reliquit: Hoc est sacrificium, quod, postquam venerit Messias, facient sacerdotes, corã Deo sancto & benedicto. Tunc enim cessabunt omnia sacra, quæ priùs fiebant. Facient autem sacrificium illud, ex pane & vino. Quod cùm primùm sacerdotes exercebunt, omnes angeli cæli, [d] audientes illa sacra sanctaq; verba, ex ore sacerdotum prodeuntia, intelligentes, inuidebunt mirum in modum illis, & contremiscent. Itaq; omnes ad Deum venient, dicentes: O Domine mundi, quàm magna est laus ista, quam dedisti Israël, qui peccatis pleni sunt, & non dedisti nobis, qui coram te à peccatis immunes sumus. Deus respondebit illis, dicetq;: Non est vobis locus inuidiæ in Israël: quandoquidem vos oratũ pro illis accessistis. Quia autem illi peccatores sunt, & ad peccandum procliues, ideò vt illis remittam, Messiam misi: docuitq; eos hanc excellentem laudem. Vos verò, qui peccare non potestis, non indigetis huiusmodi laude. Tunc Angeli ab ira discedentes, dicent: [e] Domine Deus noster, quàm admirabile est nomen tuum, in vniuersa terra: quoniã eleuata est magnificentia tua super cælos. Tunc Deus misericordia implebitur, & virtute ingenti verborum sanctorum, quæ ab ore sanctorum manabunt, illud [f] & omne sacrificiũ, quod in vnaquaq; ara celebrabitur, in corpus Messiæ conuertetur. Tunc Angeli coram Deo sancto & benedicto laudes maximas edent, dicentes: [g] Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum. Hæc ibi. [h] Habentes igitur (vt Apostolus similem doctrinam concludit) tantam nubem testium, hoc est, tantam multitudinem virorum doctissimorum, simul & sanctissimorum, cælitus illuminatorum, qui per tot diuersa sæcula, & locorũ, & na-

Cap. XXI.

b 1. Cor. 14. v. 22.

c Rabbini Simeon de sacrificio testimonium Libro Secretorum. Ex Thesauro Iodoci Coccij, lib. 6. art. 4. Tom. 2.

d Angeli laudis Dei in Missa consortes.

e Psalm. 8. vers. 1.

f Trãsubstãtiatio.

g Isai. 6. vers. 4

h Epilogus Sermonis cũ exhortatione.

& nationum interualla, istam doctrinam ad nostra vsq; tempora, per manus nobis tradiderunt: discutiamus tandem & excutiamus fumos & tenebras hereticorũ, qui oblationem istam mundam & indeficientẽ, [a] ab ortu solis ad occasum, nomen Dei in vniuersis gentibus magnificantẽ, sub modiũ & latibula quædam internorum quorundam (si Deo placet) sacrificiorum, protrudunt & occultant. Nos verò, charissimi, Domini iussa exequentes, non deficiamus ab ista mortis suæ annuntiatione, donec veniat: aduersarijs quidem confusionem & pœnam, nobis autem consolationem & præmia retributurus. [b] Deus autem pacis, (vt eiusdem Apostoli verbis finiam) qui eduxit de mortuis pastorem magnum ouium, in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Iesum Christum, aptet vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatem, faciens in vobis quod placeat coram se, per Iesum Christum, cui est gloria in sæcula sæculorum, Am.

a Malach. 1. v. 11. Matth. 5. ver. 16.

b Hebr. 13. v. 20.

Sermo decimus.

DE FORMVLIS SEV LITVRGIIS Missæ Apostolicæ.

Cap. I.

Qvemadmodum legale illud tabernaculum, in quo Deus assistentiam & propitiationem suam, populo suo firmasset, erat quidem exactissimè à Deo præscriptũ, vt Moyses ad exemplar in monte sibi monstratũ, illud in terris quoq; construeret: Insuper tamẽ Deus promittit, quòd specialiter spiritu suo instructurus esset Beseleel, qui illud extrinsecus quoq; singulari artificio exornaret, atq; expoliret. Ad eundem modum (vt [c] secundùm Apostolum, figuræ legales veritati Euangelicæ per omnia responderent) quamuìs Dominus & Saluator noster in monte Sion, sacrificij sui, per quod fidelibus suis [d] ad consumationem sæculi adesset, & cælestem propitiationem exequeretur, certum ritum & formam quoad eiusdem sacrificij essentiam præscripsisset ac tradidisset: nihilominùs eisdem eorumq; in pastorali officio per vniuersum orbẽ successoribus, reliquit spiritus sui, tanquam perpetui Ecclesiæ suæ magistri singularem directionem, secundùm quam, pro ratione crescentis & proficientis in statu populorum Ecclesiæ, eandem, alioqui certam & in substantia immutabilem eiusdem oblationis formam, ritu, temporibus & Ecclesiæ incrementis conformem digererent, & ad solenniorem Dei cultum accommodarent. Garriunt passim indocti vel

Tabernaculũ legale & Euangelicum, reliquit Deus perficiendum. Exodi 31. vers. 1.

c 1. Cor. 10. v. 11.

d Matth. 28. v. 20. Hebr. 10. vers. 12.

peruersi

a Missæ formula antiquissima cōtra hæreticorum commenta.

b Iudæ 1. vers. 4.

c 1. Timoth. 1. v. 7.

d Missa propriè quid, & in quibus aliquando aucta.

a peruersi Hæretici, Missam qua hucusq; Ecclesiæ tàm Orientales quã Occidentales, præsertim verò Romana, vtuntur, esse cultum superstitiosum, impium, & nouum, præter præscriptum diuinæ scripturæ, à posterioribus Pontificibus Romanis, propter turpem quæstum, successiuè & per particulas, inuectum & consarcinatum: atq; sic à Diabolo spiritu Antichristi inspirati, istam cantilenam suis discipulis curiosis, & secundùm Apostolum, ad hoc iudicium b à Deo præscriptis ac reprobis occinunt: vt illi vicissim sacrosanctum istum Missæ cultum cane & angue peius execrentur, & blasphement. Interea autem isti præposteri mendacij & falsitatis magistri c (vt loquitur Apostolus) quid affirment, vel pernegent ignorãtes: & quid ipsa Missa sit, non assequuntur. d Cùm enim illa propriè consistat in Canone præsertim posteriori, quem minorem vocant, in quo consecratio, oblatio, & communio sacratissimæ Eucharistiæ perficitur, quæ Canonis formula quoad rei ipsius essentiam perpetua semper fuit & immutabilis: isti Euangelici idiotæ Missam accipiunt, & alijs intelligendam obtrudunt, præcedentes vel etiam subsequentes istum Canonem laudes, doctrinas, orationes, & gratiarum actiones; in quibus fatemur, secundùm progressum Ecclesię & ipsius Christianismi, aliqua fuisse addita, aucta, vel potiùs (vt suprà ex figura illa Mosaica ostendimus) in commodiorem methodum & formam, pro præcipuarum Ecclesiarum consuetudine redacta & concinnata. Quod vt ad hæreticorum confusionem, Catholicorum autem confirmationẽ & consolationem comprobemus: e In præsenti primo Sermone, ponemus ipsius sacrificij Missæ formulas, quas Græci Liturgias denominant: & quidem antiquissimas, quas ipsi & quidem primi Apostoli à Domino edocti præscripsissent, & successoribus tradidissent: nimirum Petrus cum aliis Apostolis, Ecclesiæ Romanæ, quam eius discipulus, & in Sede Romana successor, tradidisset. Deinde eam quã B. Dionysius Areopagita ex ore magistri sui Pauli Apostoli excerpsisset. Postremò eam, quam ex Liturgia S. Iacobi fratris Domini, & Apostoli, primi Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopi, eius in Sede illa successor, B Cyrillus, posteritati tradidisset. Ex quibus aduersarij velint nolint fateri cogentur, nihil ferè esse in formula Missæ Romanæ, quod non in eisdem Liturgijs reperiatur: nisi quòd pro ratione temporis & necessitatis in commodiorem ordinem, & formulam breuiorem, eodem Diuini spiritus dictamine, fuisset redacta & concinnata. Postea, præmisso Missæ nostræ legali typo, Sermonem ipsum exhortatione morali concludemus.

e Argumentum & partitio sermonis.

Cap. II.

Quoad primum B. Clemens Romanus Pontifex & Martyr, inter alia

a Liturgia seu forma Missæ Apostolicæ per S. Clementem conscripta. Constitutionum Apost. lib. 8. Cap. 12.

b Oratio in accessu altaris. Vestitus sacer, & crucis signatio.

c 2. Cor. 13. v. 13.

d Præfatio Missæ cũ suo exordio, & conclusione.

ter a alia opera pietate & antiquitate commendatissima, conscripsit libros octo Constitutionum Apostolicarum, in quibus totũ ferè administrandarum Ecclesiarum ordinem, quem ipse manibus & oculis excepisset, comprehendit. Vbi inter alia aliquoties ordinem Missę fusiùs prosequitur: præsertim libro octauo Cap. 12. sic scribens: Igitur Episcopus precationem silentio faciens b vnà cum sacerdotibus, & splendidam vestem indutus, & stans ad altare, & facto manu in fronte trophæo crucis, dicat: c Gratia omnipotentis Dei, & charitas Domini nostri Iesu Christi, & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Et omnes vna voce respondeant, Et cum Spiritu tuo. Ac rursus Episcopus, Sursum d mentem: respondeant omnes, Habemus ad Dominum. Et Episcopus, Gratias agamus Domino: & omnes, Dignum & iustum est. Deinceps dicat Episcopus. Verè dignum & iustum est, &c. (Vbi recitat prolixè gratiarũ actionem Deo Patri, pro omnibus & singulis beneficijs, tàm creationis, quàm redemptionis humanæ: quam demum sic concludit:) Te adorant innumerabiles Angelorum copiæ, Archangelorum, Thronorum, Dominationum, Principatuum, Potestatum, Virtutum, æternorũ exercituum, Cherubim, & senis alis e præditi Seraphim, binis quidem tegentes alis, binis verò capita, binis item volantes, & dicentes vnà cum millibus Archangelorum, & centum millibus Angelorum, nullo puncto temporis intermisso, & sine intercapedine vocis clamantium, & omnis populus dicat, Sanctus, f Sanctus, Sanctus, Dominus Sabbaoth: plenum est cælum & terra gloria eius, benedictus in sæcula, Amen. Et dicat postea Episcopus: Sanctus enim verè es, & ex omni parte sanctus, excelsus, & suprà quàm excelsus in sæcula. Sanctus autem vnigenitus tuus filius Dominus noster, & Deus Iesus Christus. Vbi rursus postquàm recensuisset beneficia filij Dei erga genus humanum, ab initio mundi, & post assumptam carnem exhibita, sic prosequitur. g Memores igitur eorum, quæ causa nostra sustinuit, gratias agimus tibi Deus omnipotens, non quas debemus, sed quas possumus, constitutionemq; eius implemus. In qua enim nocte tradebatur, cùm accepisset panem sanctis, & ab omni labe puris manibus suis, substulissetq; oculos ad te Deum suũ, ac patrem, ac fregisset, dedit discipulis suis, dicens, Hoc est mysterium noui Testamenti: accipite ex eo, comedite. Hoc est corpus meum, quod pro multis frangitur in remissionem peccatorũ. Similiter & calicem, postquam miscuit ex vino h & aqua, & sanctificauit, dedit eisdem, dicens, Bibite ex hoc omnes. Hic est sanguis meus, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Hoc facite in meam commemorationem:

e Isai. 6. vers. 2.

f Trisagium Angelicum Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. Missæ vsitatum.

g Canonis minoris quo perficitur Missa, pars præcipua.

Matth: 26. ver. 26. Marc. 14. v. 22. Lucæ 22. vers. 19. 1. Cor. 11. v. 23.

h Calix vino & aqua mixtus consecratus.

quoti-

quotiescunq; enim manducabitis panem hunc, & biberitis calicem "
hunc, mortem meam annunciabitis, donec veniam. "

a Missa passionis Christi cõmemoratio, & quãta in illa postulentur.

a Quare memores passionis eius, & mortis, eiusq; resurrectionis Cap. III.
à mortuis, & reditus in cælum, atq; aduentus eius secundi, qui futurus est, cùm veniet cũ gloria, & postea ad iudicandos viuos, & mortuos, & reddendum vnicuiq; secundùm opera eius: offerimus tibi regi, & Deo, sicut ipse constituit, panem hunc, & calicem hunc, gratias agentes tibi per eum, quia à te dignati sumus stare in conspectu tuo, & tibi fungi sacerdotio. Ac te precamur, vt in hæc munera coram te proposita beneuolè aspicias tu Deus nullius indigens, & beneplaceas in eis in honorem Christi tui:

b Precatio pro dignè communicantibus.

b & mittas super hoc sacrificium sanctum tuum Spiritum testem passionum Domini Iesu: vt ostendas panem hunc corpus Christi tui, & calicem hunc sanguinem Christi tui: vt qui eum participârint, ad pietatem firmentur: remissionem peccatorum consequantur: à fallacijs Diaboli liberentur: Spiritu sancto impleantur: digni Christo tuo fiant: vitamq; sempiternam adipiscantur, te illis reconciliato Domine omnipotens.

c Precatio pro Eccl: eiusq; Pastoratu.

c Adhuc precamur te Domine pro Ecclesia tua sancta, à finibus vsq; ad fines propagata, quam pretioso sanguine Christi tui acquisiuisti, vt eam extra motus, & fluctus, ac tempestates vsq; ad consummationem sæculi conserues, & pro omni Episcopatu rectè tractante verbum veritatis.

d Precatio offerẽtis pro seipso, pro Clero, pro Rege, & varijs statibus.

d Adhuc obsecramus te pro me, qui sum nihili, qui tibi oblationem facio, & pro vniuerso presbyterio, pro Diaconis, & toto clero: vt omnes sapientiam doceas, & Spiritu sancto impleas. Adhuc obsecramus te Domine pro Rege, & omnibus qui in sublimitate sunt, & pro toto exercitu, vt pacem habeant nobiscum: vt totũ vitæ nostræ tempus in quiete & concordia traducentes, glorificemus te per Iesum Christum, qui est spes nostra. (Postea specialiter commendat varios status Ecclesiæ, & populi Christiani varias publicas necessitates, sic demum subinferens:)

e Commendatio oblationis iam cõsecratę alioqui hęreticis ridicula in nostro Canone.

e Etiam atq; etiam deprecemur Deum per Christum eius, pro munere oblato Domino Deo: vt Deus, qui bonus est, suscipiat illud per mediatorem Christum in cæleste suum altare in odorem suauitatis. Item pro hac Ecclesia, & populo: item pro omni Episcopatu, pro cunctis presbyteris, & pro omni ministerio cum Christo, & pro famulatu totius cœtus Ecclesiæ: vt vniuersos conseruet, ac custodiat Dominus: pro Regibus, & ijs qui in sublimitate sunt, vt sit illis nobiscum pax: quietam & tranquillam vitam degentes, in omni pietate & honestate viuamus.

f Precatio pro viuis & defunctis, omniq; statu Ecclesiæ.

f Memoremus Martyres sanctos, vt mereamur certaminis eorum Cap. IIII.
participes fieri. Precemur quoq; pro ijs, qui in fide requieuerunt: item

pro cæli temperatione, & maturitate frugum. Precemur etiam pro recenter baptizatis, vt omnes in fide stabiliantur, cuncti se mutuò hortentur: suscita nos Deus in gratia tua: & suscitati per Christum ipsum, commendemus nos Deo. Et dicat Episcopus:

a Præparatio, & Oratio ante Cõmunionẽ sacram.

a Magne, ac magni nominis, qui es consilio magnus, & factis fortis, Deus, & Pater sancti filij tui Iesu Saluatoris nostri, respice nos, & hunc gregem tuum, quem per ipsum elegisti ad gloriam nominis tui: & sanctificans corpus, & animam nostram, præsta, vt puri ab omni inquinamento carnis, & spiritus, proposita bona adipiscamur: neminemq; nostrum indignum iudices: immò sis adiutor noster, opitulator, defensor per Christum tuum, cum quo tibi gloria, honor, laus, celebratio, gratiarum actio, & Spiritui sancto in sæcula, Amen. Et postquã omnes responderint, Amen: dicat Diaconus, Attendamus: Et Episcopus edicat populo in hunc modum

b Sancta Sanctis.

b Sancta Sanctis. Et populus subaudiat, Vnus Dominus, vnus Christus, in gloria Dei Patris, bene-

c Eucharistię laudes, & communionis modus, & ordo.

" dictus in sæcula, Amẽ. c Gloria in altissimis Deo, & in terra: in ho-
" minibus bona voluntas: Osanna filio Dauid, Benedictus qui venit
" in nomine Domini, Deus, Dominus, & apparuit nobis: Osanna in
altissimis. Et postea sumat Episcopus, deinde Presbyteri, & Diaconi, & Hypodiaconi, & Lectores, & Cantores, & ascetici, & ex fœminis Diaconissæ, ac virgines, & viduæ: postea pueri, & deinde cunctus populus ordine, cum pudore & reuerentia, sine tumultu & strepitu. Atq; Episcopus quidem tribuat oblationem dicens: Corpus Christi: & qui accipit, dicat, Amen. Diaconus verò retineat calicẽ, & tribuens alijs, dicat: Sanguis Christi, calix vitæ: & qui bibit, dicat, Amen. Recitetur verò Psalmus trigesimus tertius, dum cæteri omnes comunicant.

d Eucharistię reliquiæ asseruandę, nõ extra vsum abijciendæ, vt hęretici mentiũtur.

d Et post comunionem omnium tum virorum, tum mulierũ, sumant diaconi reliquias, & inferant in tabernaculum, & diaconus postquã finem fecerit, qui psallit, dicat: Qui pretiosum corpus, & pretiosum sanguinem Christi participauimus, agamus gratias, quia dignatus est nos communione

e Gratiarũ actio post communionem: & finis Liturgiæ.

e sanctorum suorum mysteriorum, & obsecremus, vt non fiat nobis in iudicium, sed in salutem, in vtilitatẽ animæ, & corporis, in custodiam pietatis, in remissionem peccatorum, in vitam sæculi futuri. Surgamus in gratia Christi, & nosipsi Deo soli, ingenito Deo, & Christo eius commendemus, & Episcopus agat gratias. Hactenus Clemens de ea Liturgiæ parte, quæ constat Canone, hoc est, consecratione, oblatione, & comunione: quamuis in alijs aliquot locis ex occasione aliqua similia inserat, quæ breuita-

f Dionysius Areopagita quis, quãtus: & Liturgia Aplicã per eũ de scripta, eiusq; Methodus.

Cap. V. tis causa omittimus. Procedamus ad Liturgiam f Dionysii Areopagitæ, qui erat à Paulo Apostolo, ex doctissimo Philosopho & Are-

opagi iudice, in Chriſtianum, & illuminatiſsimum Theologum cõuerſus, & Athenienſium Epiſcopus creatus. Is inter alia diuina ſcripta ſua, ædidit librum de Eccleſiaſtica Hierarchia, hoc eſt, officiorum & rituum ſacrorum modo & ordine. In cuius Capite tertio deſcribit quoq; Miſſæ ſeu Liturgiæ modum & ordinem: initio quidem ſingula ſuo ordine breuiſsimè quaſi in capita digerens: deinde ſingula præcipua fuſiùs exponit, eorumq; reddit rationem: poſtremò ipſius actionis ſacræ, hoc eſt, Canonis Minoris ritum, ſummariè recolligit. Nos primum & vltimum tractatum, ad verbum hîc inſeremus: expoſitionem autem quæ prolixior eſt, lectori indicare ſufficiet, vt ipſe, vbi expediuerit, authorem conſulere, & ſecundùm noſtram hanc annotationem, meliùs capere (cùm ſublimiùs iſta eloquatur) ac intelligere poſsit. Sic ergo Liturgiæ formulam exorditur: Inſpiciamus per ſingula myſterij ſanctiſsimi ritum, exactiſsimamq; confectionẽ: & quod ſpiritualiter ſignet, indagare pergamus. [a] Itaq; Pontifex quidem vbi orationem ſanctam ſupra diuinum altare peregit, ex ipſo incenſum adolere inchoans, omnẽ phani ambitum circuit. [b] Demum ad ſanctum altare iterum rediens, Pſalmorum incipit melos, concinentibus ſecũ ſacra carmina omnibus Eccleſiaſtici ordinis gradibus: deinde miniſtrorum officio, ſanctarum ſcripturarũ lectio ſuo ordine recitatur. [c] Poſthæc extra delubrum catechumeni fiunt, & cum ipſis energumeni, & ij quoq;, qui in pœnitentia ſunt. Manent autem intùs ſoli, [d] qui diuina ſpectare merentur, atq; percipere. Porrò miniſtrorum, alij quidem pro clauſis templi foribus adſtant, alij proprij aliquid muneris agunt. [e] Qui verò ipſius ordinis præcipui ſunt, vnà cum ſacerdotibus, ſanctum panem & benedictionis calicẽ, ſacroſanctis altaribus imponunt: cùm ante præceſſerit ab omni clero vniuerſalis laus atq; confeſsio. Adhæc venerandus Antiſtes orationẽ ſanctiſsimam peragens, [f] pacem ſanctam omnibus nunciat, & cùm ſe mutuò omnes ſalutauerint, myſtica ſanctorum recitatio fit. Vbi verò manus tum Antiſtes, [g] tum ſacerdotes aqua lauerunt, Pontifex ad medium diuini aſsiſtit altaris: circumſtant autem ſoli cum ſacerdotibus electi quiq; ex miniſtrorum numero. [h] At verò Pontifex cum diuina munera laude proſecutus fuerit, ſacroſancta & auguſtiſsima myſteria conficit, & quæ ante laudauerat, venerãdis operta atq; abdita ſignis, in conſpectum agit, diuinaq; munera reuerenter oſtendens, [i] ad ſacram illorum communionem & ipſe conuertitur, & reliquos vt communicent hortatur. Sumpta demum, atq; omnibus tradita communione diuina, gratias referens, finem myſterijs imponit. Ac multi quidem ſola in ſigna diuina proſpiciunt: Ipſe autem ſemper di-

a Initium Liturgiæ à Proceſsione & thurificatione.

b Laudes diuinæ: & doctrina, ex ſcripturis ſacris.

c Catechumeni, Energumeni: & pænitentes, ſeparantur.

d Euchariſtia nõ vt ſimplex panis aſpicitur, vel ſumitur.

e Conſecrationis & oblationis apparatus.

f Pacis communicatio, & cõmunicandorum catalogus.

g Lotio manuũ.

h Euchariſtiæ cõſecratio, oblatio, iubilatio, & ad adorationem oſtenſio.

i Communio offerentis & aliorum, cum gratiarum actione.

per [a] diuino ſpiritu ad excelſa ſignorũ initia, felicibus & intelligibilibus intuẽda luminibus, Pontificia dignitate ac merito, munditiaq; ſingulari, diuini capaciorisq; ſenſus, attollitur.

a Digne offerentes, ſupra ſpeciem Euchariſtiæ, rem ipſam contẽplati.

Cap. VI. Explicat deinde Dionyſius latiùs ſingulorum rituum cauſas & ſignificationes myſticas. [b] Primò igitur deſcribit, quomodo Pontifex ſacris indutus, rem diuinã inchoet à circuitu, quem nos Proceſsionẽ vocamus, inchoando ab altari, per templi poſteriora, ad ipſum altare redeundo, cum thurificatione. Quo myſterio intelligi vult, Deum ſicut participationem ſuæ bonitatis in creaturas, præſertim in hominem, pro earum captu, veluti in ænigmate, ſic communicat, vt tamen in ſua eſſentia immutabilis permaneat: & quaſi emanatio illa bonitatis elargitæ, ad ſeſe reflectatur: ſimiliter hoc ipsũ filius Dei in communicatione ſui per Euchariſtiam faciat: vt verum quidem corpus ſuum in alienis ſpeciebus, & ſingulis ſumptionibus exhibeat, ipſe tamen non ſolùm in ſe impartibilis remaneat, ſed etiam hoc ſymbolo, ſub ſe tanquam capite, ex diuerſitate membrorum, vnum corpus per charitatis vnionem efficiat: & ſic inuiſibilium ſignorũ veluti quodam circuitu, & participatione, in ſuiipſius integritatem, in myſtico etiã ſuo corpore reflectatur. [c] Secundò, laudes diuinas, quæ ſacrificium præcedunt, deſumit ex ſcripturis ſacris, quarum myſteria & vtilitates ab ipſo Geneſis initio vſq; ad S. Ioannis Apocalypſim ſummatim compræhendit: In his autem recenſendis, dicit fieri laudem & gratiarum actionem, quòd omnia ſcripturæ diuinæ, dicta, geſta, & ſcripta, ad futuram hominis redemptionem & ſalutem, fuerint à ſummo bonorum omniũ opifice præordinata. [d] Tertiò, ſubinfert lectionem & expoſitionem ſcripturæ, priùs quidem veteris, deinde noui etiam Teſtamenti: ea primũ ratione, vt cũ debita gratitudine fideles expendant, quomodo antiqua ænigmata & promiſsiones, nouis effectibus & beneficijs in lege Euangelica per omnia reſpondeant: Deinde vt eiuſmodi ſacris doctrinis, mandatis, & exemplis, populus ad myſteriorum dignam communionem, ſeſe præparet atq; diſponat.

b Expoſitio Dionyſij ſingularum Liturgiæ partiũ. Proceſsionalis circuitus ad altaris terminum ratio.

c Laudis diuinæ ex ſcripturis ſacris depromptæ ratio.

d Lectio & expoſitio ſcripturæ vtriuſq; teſtamẽti, in Miſſa cur fiat.

Cap. VII. [e] Quartò, ponit ſex ſtatus hominum, diuerſamq; illorum, ad participationem rerum ſacrarum propoſitarum habilitatẽ. [f] Primò enim Ethnicos, infideles, incredulos, (ſub quibus hæretici & ſchiſmatici includuntur) ab Eccleſia, & eiuſmodi myſterijs, prorſus arcet & excludit: vtpotè, qui (teſte B. Iob) dicant Deo: „Recede à nobis, viam ſcientiarum tuarum nolumus.„ In ſecunda claſſe ponit Catechumenos: [g] qui tanquam religionis candidati, ſeu diſcipuli ac tyrones, hymnis quidem & laudibus diuinis, tum ipſi doctrinæ intereſſe poſsint: à ſacra tamen Synaxi cum alijs excludantur. Siquidem

e Miſſæ communione qui excluduntur.

f Primo Gentiles, infideles, & hæretici, ſeu ſchiſmatici.

Iob 21. verſ. 14.

g Catechumeni cur ad Euchariſtiam nõ admittũtur.

dem nondum per baptiſmum corpus Chriſti myſticum effecti, corporis quoq; eius veri non poſsint fieri participes. Cuius rei ponit ſimilitudinem ab infantibus, qui ad ſinum & vbera materna non adhibentur, niſi priùs per manus obſtetricum emungantur. [a] Interea autem ad augendum ſacroſancti pabuli deſiderium, ſufficere, vt in aditibus & portis Eccleſiarum, eiuſmodi myſteria picturarum delineationibus illis proponantur. [b] Tertio loco ponit Energumenos, quos duplices ſtatuit: alios quidem qui in corpore tantùm à Dæmonijs vexantur: animam tamen ſanam cum pietate retinent: atq; tales Eccleſia etiam nunc, ſanis eorum interuallis, ſacra menſa non excludit. Alios deſcribit, qui Dæmonia vltrò admiſerunt, ab eiſq; vexantur, non tàm in corpore, quàm in animo: quando nimirum legem Dei, baptiſmi voto ſuſceptam, præuaricantes, aut Apoſtaſiæ, aut varijs animi & corporis criminibus, & huius ſæculi illæcebris, non ex errore aut fragilitate, ſed ex ſtudioſa malitia, ſeipſos dediderunt: [c] & ſic ſeptem ſpiritibus nequioribus qui ſeſe inhabitarent, domũ corporis ſui præparauerunt. [d] In quinto demum ordine, ponit pu- " blicæ pœnitentes: qui, quamuis per contritionem Deo, & Eccleſiæ " per confeſsionem, fuerint reconciliati: quia tamen fructus debitos pœnitentiæ, per ſatisfactionem nondum plenè compenſauerunt, ab vſu menſæ ſacræ, ad deſtinatum ab Eccleſia tempus, ſequeſtrantur.

a Pictura, rudiorum olim Theologia.

b Energumeni vel à Sathana vexati, in corpore, vel anima ſimul qui, eorumq; diſcrimen.

c Lucæ 11. v. 25.

d Publicè pœnitentes ab Euchariſtia ſequeſtrati.

Cap. VIII.

[e] Excluſis ijs, qui ad ſacram Synaxim non pertinent, & ijs ſolùm qui rectè ſunt præparati, ſelectis, Pontifex vel ſacerdos ſacrificans, orditur hymnum, quem alij quidem laudationem diuinã, alij religionis ſymbolũ, alij Pontificalem gratiarum actionẽ, tunc vocabant, quam ego Præfationem nobis vſitatam eſſe conijcio. In illa enim (vt ſuprà dictum eſt) congerebantur cõmemorationes, laudes, & gratiarum actiones, pro omnibus ab initio mundi, creationis, prouidentiæ, & redemptionis humanæ, beneficijs, quæ hodie ad certas & breues formulas, ſecundùm rationem temporis, redactæ ſunt. [f] Finita Præfatione, proponebantur altari oblata panis & vini, ſine dubio per populum qui erat communicandus, per ceremoniam Offertorij, de qua ſuo loco dicemus. Quod vel inde conijcio: quia Dionyſius mox ſubinfert Catalogum ſeu recitationem eorum, qui eſſent communicandi, quam poſt Offertorium ſolitam fieri ibidem oſtendemus. [g] Cuius ſingularis recenſionis cauſam affert Dionyſius: Primò: ad denotandum myſterium: vt qui ex multis particulis diuiſibilibus, vnũ Chriſtum integrum & indiuiſum eſſent ſumpturi, ipſi quoq; inter ſe aliquando voluntatibus vel offenſis diuiſi, vnum corpus & animo, per ſymbolũ Euchariſticum efficerentur. Deinde quòd ea denominatio ſugge-

e Actionis ſacræ in Miſſa exordiũ à Præfatione & quæ illa ſit.

f Offertorium panis & vini, vel ad ſacrificium neceſſariorum. Vide ſermonem proximè ſequẽtẽ. Cap. 8.

g Communicandi cur nominatim recenſebantur.

ſuggerere potuiſſet, ſi inter aliquas perſonas pax non rectè conueniret, vt ſic ad eam reparandam admonerentur. [a] Ideò talem recenſitionem, ſequebatur mox pacis mutuum inter ſe oſculum, quaſi eiuſmodi concordiæ, pacis, & charitatis indubitatum ſigillum, quod moderna ætas ſtipulatione manuum conteſtari potiſsimùm conſueuit. [b] Succedit exinde lotio manuum, ſacrificantis quidem ipſius & miniſtrorum: ſed quæ interioris puritatis baptiſmo deuotæ, & ab interiori anima, ad exteriores veluti fragilitatis partes protruſæ, ipſos etiam communicaturos admoneret: quæ, Deo ipſi nimirũ interiùs eſſet cognita & dijudicanda. Ablutioni manuum præmittit ſcriptor noſter Hierarchicus, ante confectionem ſacramenti, [c] meditationem ſacram, (puto ad ſuperiorem Præfationem referendam) in qua ſublimi affectu & ſermone, præſcribit ſingularem cauſam & effectum Euchariſtiæ: quòd nimirum corruptio hominis per originale peccatũ, & iugum Diabolicum, non poterat aliter reparari, quàm quãdo naturalis Dei filius, genere & adoptione, inſuper & alimento propriæ carnis, homini copularetur: propter quantas vniones, creaturam illam maledictam & infernalem, ab homine depelli omninò oportere. [d] Tanti autem operis & beneficij, maximam eſſe & identidem renouari & vigere efficaciam, in iſta iugi cœnæ Dominicæ cõmemoratione, celebratione, atq; participatione: vtpotè quæ omnis diuinæ laudis, cultus, honoris, orationis, gratiarum actionis, & ipſius ad pietatem eruditionis & inflammationis, apex ſit, & conſumatio.

a Pacis mutuum oſculum.

b Lotio manuũ, ſymbolum internę & integræ puritatis.

c Meditatio ante communionem, effectum & finem ſacramenti ardẽter expendens.

d Miſſa quantum & quã vtile myſterium.

Cap: IX.

Ideò noſter iſte Doctor Hierarchicus, ad inchoatam ſuæ Liturgiæ ſeriem & recapitulationẽ reuertitur, ſic proſequens: [e] Hinc iam venerandus Antiſtes diuinis altaribus adſtans, ſancta & diuina laudat Ieſu opera, quæ ineffabilis prouidentiæ ratione in ſalutem generis noſtri, voluntate ſanctiſsimi Patris, in Spiritu ſancto (vt eloquia diuina tradunt) conſumauit. [f] Peracta verò laude, venerandáq; ipſorũ & intelligibili ſpeculatione ſpiritualibus inſpecta luminibus, tum verò etiam ad ſacra myſteria in ſignis celebranda progreditur, idq; ex traditione diuina. [g] Quocirca reuerenter ſimul, & ex Pontificali officio, poſt ſacras diuinorum operum laudes, quòd hoſtiam ſalutarem (quæ ſupra ipſum eſt) litet, ſe excuſat, ad ipſum primò decenter exclamans, Tu dixiſti: Hoc facite in meam commemorationẽ. De- " inde tanto miniſterio, ad imitationem Dei inſtituto, dignus fieri poſtu- " lat, & ſimilis ipſi Chriſto pro viribus euadere, vt & ſacramenta ſanctè conficiat, & caſtè diſtribuat: & qui ad communionem acceſſuri ſunt, dignè participent: ſicq; venerandiſsima myſteria conſummat, & laudata oculis ſubijcit, in ſignis ſanctè propoſitis. Sanè opertum

e Canonis minoris ad conſecrationem & oblationẽ formula Dionyſij.

f Digne offerentis, viua hoſtiæ cõtemplatio.

g Tractationẽ veri corporis Chriſti, offerens, diuino mandato excuſat, cũ oratione præparatoria.

 panem

panem & indiuiduū aperit, a in frusta concidens, & singularem calicem omnibus impartiens, vnitatem signanter multiplicat atq; distribuit: inq; his consummat cæleste mysterium. Hactenus ille.

Cap. X.

Cæterùm vt secundùm legem b Saluatoris nostri, in ore duorum vel trium consistat omne verbum, seu testimonium: Postquam adduximus testimonium, præcipuarum Occidentis & Orientis Ecclesiarum, superaddamus similem Liturgiæ formam Ecclesiæ Hierosolymitanæ, ex qua veluti orbis terrarum media, c sacrificij istius, sicut & ipsius legis Euangelicæ, veluti ex fonte ad alias peruenit Ecclesias. Illius igitur Ecclesiæ Antistes dignissimus & vetustissimus Cyrillus, proculdubiò ex antecessoris sui B. Iacobi Apostoli, & fratris Domini, primi eiusdem Sedis Episcopi, Liturgiam tunc vsitatam sic describit. d Vidistis Diaconum aquam lauandis manibus porrigentem sacerdoti, & illis, qui circum altare Dei stabant, presbyteris. Num ideò prorsus dabat, vt sordes corporis abluerentur? Nequaquā. Nec enim adeò sordibus corporis fœdati in Ecclesiam ingredi solemus. e Sed illa manuum ablutio, symbolum est, oportere nos à peccatis omnibus, & iniquitatibus mundari. Cùm enim per manus designentur actiones, lauare certè easdem, munditiem & puritatem operum significat. Nonnè audisti Dauid mysteria tractantem ista, & dicentē: f Lauabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine. Itaq; manus abluere, est symbolum, non obnoxiū esse peccatis. Deinde clamat Diaconus: Complectimini & g osculemini vos inuicem: atq; tunc mutuò nos osculo salutamus. Non hoc ita accipias, quasi osculum illud sit eiusmodi, quale in foro inter communes amicos esse consueuit: neq; enim tale est. Hoc igitur osculum animas mutuò conciliat, & omnem malorum obliuionem illis spondet. Signum igitur est hoc osculum reconciliationis animorū, vniuersæq; iniuriarum memoriæ deletæ. Propterea & Christus Dei filius dicebat: h Cùm offers munus tuum ad altare, & illic recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersus te, relinque munus tuum ad altare, & vade priùs reconciliare fratri tuo, & tunc accedens, offer munus tuum. Igitur osculum hoc reconciliatio est, atq; idcircò sanctum. De quo & Paulus dicit: Salutate vos inuicem in osculo sancto. Et Petrus, inquit, in osculo dilectionis. Postea clamat sacerdos: Sursum corda. i Verè enim circa illam maximè tremendam horam, sursum ad Deum corda leuare necesse est, & non deorsum ad terram, terrenaq; negotia deprimere. k In hanc igitur sententiā omnibus præcipit sacerdos, curas scilicet vitæ huius omnes, & domesticas solicitudines, illa hora relinquere, & cor in cælo habere apud Deum, generis hu-

a Eucharistiæ cōmunio in Missa.

b Ioā. 8. vers. 17.

c Isai. 2. vers. 3. Lucæ 24. ver. 46. Act. 1. vers. 8, 13. Act. 5. vers. 12.

d Liturgia B. Cyrilli, Episcopi Ierosolymitani, Catechesi quinta Mystagogica.

e Ablutio manuum ante oblationem.

f Psalm: 25 vers. 6.

g Osculum ante communionem sacram, charitatis symbolum.

h Munus altari inferendum præmissa reconciliatione. Matth. 5. vers. 14. 1. Cor. 16. ver. 20. 1. Petr. 5. vers. 14.

i Tremendū non solum Missæ sacrificium, sed & eius hora.

k Sursum Corda &c. quantam attentionem parat.

ris humani amatorem. Vos deinde respondetis: Habemus ad Dominum: assentientes ei profitendo. Nullus autem sic consistat, vt ore quidem dicat, Habemus ad Dominum, mente verò circa vitæ huius curas vagetur. Ac semper quidem Dei meminisse debemus: sed si id propter infirmitatem humanam fieri non possit, illa tamen maximè hora studiosè istud enitendum est. Dicit deinde sacerdos: a Gratias agamus Dño. Certè gratias agere debemus, quòd nos adeò indignos, ad tantam gratiam vocauit: quòd inimicos sibi reconciliauit, quòd spiritum adoptionis nobis donauit. Ad hæc vos subijcitis: Dignum & iustum est. Cùm enim nos Deo gratias agimus, dignum profectò & iustum opus facimus. Ille autem non iustum, sed suprà iustum agens, tanto nos affecit beneficio, tantaq; nobis bona donauit

Cap. XI.

b Facimus deinde mentionem cæli, & terræ, & maris, solis & lunæ, & syderum, ac vniuersæ creaturæ, tàm ratione præditæ, quàm irrationalis: tàm istius, quæ videtur, quàm illius, quæ sub aspectū nostrum non cadit, Angelorum, Archangelorum, Virtutum, Dominationum, Principatuum, Potestatum, Thronorum, & Cherubim, faciem operientium, quasi diceremus illud Dauidis: c Magnificate Dominum mecum. Cōmemoramus etiam illa Cherubim, quæ in Spiritu sancto cernebat d Isaias, circumstantia thronum Dei, ac alis quidem duabus faciem velantia, atq; dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Propterea enim traditam nobis hanc Seraphicam Theologiam recitamus, vt in illa cælesti hymnodia, cum supramundana militia cōmunicemus: atq; sic per eiusmodi hymnos nos ipsos sanctificantes, e Deum benignissimum oramus, vt super illa proposita, sanctum Spiritum emittat, vt panē quidem faciat corpus Christi, vinum verò sanguinem Christi. Omnino enim quod attigerit Spiritus sanctus, hoc sanctificatur & transmutatur. Deinde verò postquam confectum est illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus, super ipsa propitiationis hostia, f obsecramus Deū, pro cōmuni Ecclesiarū pace, pro tranquillitate mundi, pro Regibus, pro militibus, pro socijs, pro ægrotis & afflictis, & in summa pro his omnibus qui egent auxilio: indigemus autem omnes. Cùm hoc sacrificium offerimus, g postea facimus mentionem etiam eorum, qui ante nos obdormierunt: Primùm Patriarcharum, Prophetarū, Apostolorum, Martyrum, vt Deus orationibus illorum & deprecationibus, suscipiat preces nostras. Deinde pro defunctis sanctis Patribus & Episcopis: deniq; pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes animarum iuuamē, pro quibus offertur obsecratio, sancti illius & tremendi, quod in altari positum est, sacrificij.

a Gratias agamus Domino, de quātis beneficijs.

b In Missa ad laudem Dei aduocātur omnes creaturæ.

c Psalm. 33. ver. 4.

d Sanctus, Sāctus, Sanctus. Isai. 6. vers. 3.

e Transubstantiatio panis & vini in Eucharistia.

f In Missa, propitiatoria commendatio, simul viuorum & mortuorum.

crificij. [a] Quod exemplo vobis demonstrare volumus. Scio enim multos dicere: Quid iuuat animam in peccatis ex hoc mundo decedentem, etiamsi in hoc sacrificio mentio illius fiat? An enim si Rex aliquis, eos à quibus offensus est, in exilium pepulerit, postea verò illorum propinqui, [b] coronam aliquam conficientes, pro his qui sunt in supplicio exulibus, eidem offerrent, nonnē condonationem aliquā suppliciorum ipsis dederit? Ad eundem modum & nos, pro defunctis precationes adhibentes, quamuis sint peccatores, nō quidem coronam plectimus, [c] Sed Christum pro nostris peccatis mactatū offerimus, vt & nobis, & illis, eum qui est benignissimus, propitium reddamus.

Cap. XII.

[d] Postea dicitis illam orationem, quam Saluator suis discipulis tradidit, cum pura conscientia Patrem nuncupantes Deū, atq; dicentes: Pater noster, qui es in cælis. O maximam Dei benignitatem: his qui defecerant ab illo, & in extrema inciderāt mala, tantā præstitit malorum obliuionem, & gratiæ participationem, vt Patrē sese appellari voluerit, Pater noster, qui es in cælis. Cæli sunt, qui cælestis Adam fuerunt imago, in quibus Deus habitat & inambulat. [e] Sanctificetur nomen tuum. Sanctum est naturâ nomen Dei, siue id nos dicamus, siue non dicamus. Quia verò in ijs, qui peccant, aliquando profanatur, sicut scriptum est: " Propter vos nomen meum " blasphematur inter gentes: iccircò petimus in nobis sanctificari nomen Dei: non vt ex eo, quod non fuisset tale, esse incipiat, sed vt in nobis sanctificatis, & quæ sanctificatione digna sunt facientibus, sanctum fiat. [f] Adueniat regnum tuum. Mundæ est animæ, dicere cōfidenter: Adueniat regnum tuum. Audisti enim Paulum dicentem: " Non igitur regnet peccatum in corpore vestro mortali: sed qui se e" mundauerit, & operatione, & cogitatione, & sermone, dicet Deo: Ad" ueniat regnum tuum. [g] Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra. Diuini beatiq; Angeli Dei, voluntatem illius semper faciunt, sicut inquit Dauid: [h] " Benedicite Dominū omnes Angeli eius, potentes vir" tute, facientes voluntates eius. Perinde igitur hoc est, quasi precando dicas: Sicut in Angelis fit voluntas tua, sic & in terra in me fiat Domine. [i] Panem nostrum ἐπιούσιον, id est, supersubstantialem, da nobis hodie. Panis hic cōmunis non est ἐπιούσιος, id est, supersubstantialis. Panis verò iste sanctus, supersubstantialis dicitur, eò quòd substantiam animæ confirmet. Panis hic non in ventrem descendit, & in secessum emittitur, sed per te totum, ad corporis & animæ vtilitatem distribuitur. [k] Hodie autem dicit, pro quotidie: sicut & Paulus: " Donec, inquit, hodie cognominabitur. [l] Et dimitte nobis debita no" stra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Multa enim habemus

a Mortuorū adiuuandorum Paradigma hæreticis notandum.
b Corona Symbolum sacrificij Gentilicij.
Act. 14. vers. 12.
c Christum mactatum pro mortuis offerimus.
d Oratione Dominica, Deus pater, quamuis à peccatoribus interpellatur, eiusque expositio.
Pater noster &c.
e Sāctificetur nomen tuum.
Rom: 2. vers: 24.
f Adueniat regnum tuum.
Rom. 6. vers. 12.
g Fiat voluntas tua &c.
h Psalm. 102. v. 20.
i Panis supersubstantialis quid.
k Hodie pro quotidie.
Hebr: 3. vers. 13.
l Et dimitte nobis debita nostra &c.
a Ioan 1. vers. 10.

mus peccata, & offendimus tum sermone, tū cogitatione, plurimaq; " damnationis opera facimus. Et si dicamus, quia peccatum non ha" bemus, mentimur, vt dicit Ioannes. [a] Cum Deo igitur pacta inimus, quando petimus, remitti nobis peccata, sicut & nos proximis debita remittimus. Cogitantes ergo pro quantulis, quanta accipiamus, ne cunctemur, & mutuas inter nos offensiones ignoscere non tergiuersemur. Exigua, leuia, & facilia, ad remittendum sunt nostra in proximos peccata, quæ verò fiunt à nobis contra Deum, ea sunt maxima, hac sola indigentia benignitate. Aduerte igitur, ne ob aliqua parua & leuia aduersum te peccata proximo non condonata, tibi ipsi præcludas apud Deum grauissimorum peccatorum condonationem.

Cap. XIII.

[b] Et ne nos inducas in tentationē Domine. Numquid hîc docet nos Dominus orare, vt ne omnino tentemur? Quomodo " ergo alibi dictum est: Vir non tentatus, non est probatus. Et iterum: " Omne gaudium existimate fratres mei, cùm in varias incideritis ten" tationes. [c] Sed istud fortè est ingredi in tentationem, cùm aliquis tentatione obruitur. Videtur enim esse tentatio, veluti torrens aliquis transitu difficilis. Qui ergo in huiuscemodi torrente non submerguntur, optimi natatores facti, trajciunt, neq; deinceps vnquam ab illo detrahuntur. Qui verò secus affecti sunt, quum primùm in aliquam tentationem fuerint ingressi, statim submerguntur. Verbi gratia: Iudas in auaritiæ tentationem ingressus, non eam superauit, verùm submersus, & corpus & animam. Petrus ingressus in eam, qua Christum negauit, tentationem, non est submersus, sed strenuè tranans, à tentatione liberatus est. Audi rursus alibi vniuersum sancto" rum chorum, quòd à tentatione liberati sunt, gratias agentē: [d] Pro" basti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. In" duxisti nos in laqueum, posuisti tribulationem supra dorsum nostrū. " adduxisti homines super caput nostrum. Transiuimus per ignem & " aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Vides ipsos liberè de transitu tentationis loquentes, atq; profitentes, sese in illa nō hæsisse. Eduxisti nos, inquiunt, in refrigerium. Educi in refrigerium, est liberari à tentatione. [e] Sed libera nos â malo. Si hoc quod dicitur, Ne inducas nos in tentationem, omninò non tentari significaret, non ampliùs adiecisset, Sed libera nos à malo. Malus autem est aduersarius noster diabolus, à quo liberari petimus. Tum verò expleta oratione, dicit [f] Amen: (quod significat, fiat) totam hanc quam à Deo dicimus orationem. Sacerdos autem postea dicit: [g] Sancta Sanctis. Sancta scilicet ea, quæ in ara proposita sunt, aduentu Spiritus sancti sanctificata: sancti & vos cùm sitis, sancto Spiritu donati, atq; ita Sancta

a Pactum dimittendi cum Deo quale.
b Et ne nos inducas in tentationē.
Eccli: 34. vers. 9.
Iacobi 1. vers. 1.
c Tentationis simile & exempla.
d Psalm. 65. v. 10.
e Sed libera nos à malo.
f Amen significat, Fiat,
g Sancta Sanctis: qualis compellatio ante communionem.

Sanctis conueniunt. Vos deinde respondetis: Vnus sanctus, vnus Dominus Iesus Christus. Verè vnus est ille sanctus, qui est naturâ sanctus: vos autem etsi sancti sitis, non tamen naturâ, sed participatione, exercitio, & precatione. Audistis deinceps diuina quadam melodia psallentem, atq; ad sacrorum mysteriorum comunionem vos adhortantem: [a] Gustate & videte, quòd Christus est Dominus. Num hoc corporeo palato, vt istud diiudicetis, vobis præcipitur? Nequaquam: sed potiùs fide certa, & omnis dubitationis experti. Gustantes enim non panem, aut vinum, vt gustent, iubentur, sed quod sub specie est, (videlicet panis & vini) corpus & sanguinem Christi. Hucusq; B. Cyrillus. Cuius testimonium, eò maiorem authoritatem apud aduersarios habere deberet, quò sæpiùs Romanæ Sedis odio, in eius traditionibus, ad [b] Ecclesiam Hierosolymitanam, à qua initium & progressus Euangelii esset promissus, sese reuocare solent.

a Gustanda prius quàm sensibus expendenda Eucharistia.
Psalm: 33. vers. 9.
b Act 1. versus 8. Isai. 2. versus 3. Lucæ 24. vers. 47.
c Sub specie panis & vini, corpus & sanguis Christi.
Ecclesiasticus quomodo Missæ ritum adumbrauerit.
Eccli. 50. vers. 1.
d Deut. 32. v. 32, 38.
Genes. 49. v. 11.
e Eccli: 50. v. 15.
Cap. xiii.

Tanti [c] sacrificii apparatum, ordinem, maiestatem, & vtilitatem, visus est mihi sacer Ecclesiasticus ad amussim expressisse, vel potiùs præsignasse, in Simone filio Oniæ sacerdote magno, quem temporibus eiusdem scriptoris, vixisse coniicimus, in decursu nimirum sacerdotii & principatus Iudaici, à variis gentibus oppressi ac subiugati. Ideò author iste, in spiritu proximè veluti cernens veritatem & maiestatem sacerdotii in ipso Messia Euangelici, eius formã videtur propriè adumbrare: maximè quòd oblationem eius propriam asserat, [d] libationem sanguinis vuæ: qualis libatio non legalis & Iudaica, sed gentilica reputabatur, signans libationẽ panis & vini in sacerdotio Christi æterno, secundùm ordinẽ Melchisedechi: quod confirmant ista verba: [e] Consummationem fungens in ara, amplificare oblationem excelsi Regis, porrexit manum suam in libatione, & libauit de sanguine vuæ. Et quando mox subiicit, populum cadendo in facies suas adorasse Deum, ad sonitum musicæ ac tubarum: sonitum autẽ eiusmodi factum fuisse in memoriam coram Deo: quod propriè refert sacrificium nostrum, quod Pontifex noster æternus & cælestis instituit, in sui commemorationem. Sed ipsa verba ab initio proferamus: Simon Oniæ filius, [f] sacerdos magnus, qui in vita sua suffulcit domum, & in diebus suis corroborauit templum. Templi etiam altitudo ab ipso fundata est, duplex ædificatio & excelsi parietes templi. In diebus ipsius emanauerunt putei aquarum, & quasi mare adimpleti sunt supra modum. Qui curauit gentem suam, & liberauit eam à perditione. Qui præualuit amplificare ciuitatem, qui adeptus est gloriã in conuersatione gentis: & ingressum domus & atrii amplificauit. Quasi stella matutina in medio nebulæ, & quasi luna plena in

f Christi Sacerdotis magni typus, & ouile duplex.
Eccli. 50. vers. 1.
Ioan 10. vers. 10.

na [a] in diebus suis lucet. Et quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei. Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ, & quasi flos rosarum in diebus Vernis, & quasi lilia quæ sunt in transitu aquæ, & quasi thus redolens in diebus æstatis. Quasi ignis effulgens, & thus ardens in igne. Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso. Quasi oliua pullulans, & cypressus in altitudinem se extollens, in accipiendo ipsum stolam gloriæ, & vestiri eum consũmatione virtutis. [b] In ascensu altaris sancti, gloriam dedit sanctitatis amictum. In accipiendo autem partes de manu sacerdotum, & ipse stans iuxta aram. Circa illum corona fratrum: & quasi plantatio cedri in monte Libano, sic circa illum steterunt quasi rami palmæ, & omnes filii Aaron in gloria sua. Oblatio autem Dñi in manibus ipsorum, coram omni synagoga Israël: & consũmatione fungens in ara, amplificare [c] oblationem excelsi Regis, porrexit manum suam in libatione, & libauit de sanguine vuæ. Effudit in fundamento altaris odorem diuinum, excelso Principi. Tunc exclamauerunt filii Aaron, in tubis productilibus sonuerunt, [d] & auditam fecerunt vocem magnam in memoriam coram Deo. Tunc omnis populus simul properauerunt, & ceciderunt in faciem super terram, adorare Dominum Deum suũ, & dare preces omnipotenti Deo excelso. Et amplificauerunt psallentes in vocibus suis, & in magna domo auctus est sonus suauitatis plenus. [e] Et rogauit populus Dominum excelsum in prece, vsquedum perfectus est honor Domini, & munus suum perfecerunt. Tunc descendens, manus suas extulit in omnem congregationem filiorum Israël, dare gloriam Deo à labiis suis, & in nomine ipsius gloriari: [f] & iterauit orationem suam, volens ostendere virtutem Dei. Et plus orauit Deum omnium, qui magna fecit in omni terra, qui auxit dies nostros, à ventre matris nostræ, [g] & fecit nobiscum secundùm suã misericordiam, det nobis iucunditatem cordis, & fieri pacem in diebus nostris in Israël per dies sempiternos: credere Israël nobiscum esse Dei misericordiam, vt liberet nos in diebus suis. Hæc ibi.

a Epitera personæ Christi conuenientia.
b Missæ forma ab Ecclesiastico adumbrata.
Eccli. 50. vers. 12.
Vestitus Sacerdotis: accessus Altaris, & assistentia ministrorum.
c Missæ oblatio.
d Iubilatio Eucharistiæ & adoratio.
e Laus diuina & oratio per totam Missam.
f Oratio duplex Collecta & complenda.
g Missæ Conclusio imprecatoria. Seu benedictio.

Cap. XV.

Porrò non aliena quoq; sunt à nostro proposito verba, quæ immediatè sic sequuntur: [h] Duas gentes odit anima mea: tertia autẽ non est gens quam oderim: qui sedent in monte Seir, & Philisthiim: & stultus populus, qui habitat in Sichimis. Cùm enim sacer scriptor delineasset sacerdotii & sacrificii excellentiam, in medio synagogæ seu congregatione populi Dei: iam populum eundem, eiq; benedictionem per sacrificium impensam, distinguit ab eiusdem populi hostibus triplicibus: quorum primi erant Idumæi circa montem Seir, à Meridie Iudæis incumbentes; secundò, ab Occidente oppositi illis

h A Missa exclusorum maledicto rum Ecclesiæ hostium triplicium typus.
Eccli. 50. vers. 27

erant Philisthini, Iudæorum perpetui & hæreditarij hostes: deniq; plagam Septemtrionalem occupabant Sichimitæ, seu Samaritani. Primam vtramq; gentem, tanquam apertè infidelem atq; tyrannicā, iusto & sancto odio execratur: [a] tertiam autem non solùm execratione dignam iudicat, sed quæ nec gentis nomen mereatur: siquidem erat colluuies quædam hominum, ex varietate populorum conspirata, quæ locum terræ sacræ occupans, & legitima cultus diuini ignorans, (vt testatur scriptura sacra) à leonibus infestabatur: Postmodū verò Idololatriam non deserens, & sese ad successionem Iacobi Patriarchæ, atq; legis etiam Mosaicæ consortium reuocans, Iudęos perpetua æmulatione religionis diuexabat. [b] Istis gentibus possumus nos comparare triplices Ecclesiæ hostes: per Idumæos, designando sectam Iudæorum: per Phylisthinos, persecutionem gentiliū & infidelium: per Samaritanos verò, vel Sichimitas, rectè intelligamus hæreticos, qui ex colluuione populorum, terram fidelium inhabitantes, & ignorantes legitima Dei terræ, sine lege, sine certa Ecclesia, sine ordine & disciplina, & omnibus erroribus, præter Catholicā veritatē, se socians, gens etiam dici non mereatur. Alia etiam applicatione possumus exponere: per Idumæos, omnes in genere infideles, tā Iudæos, quàm Gentiles: per Phylisthæos autem, singulariter hæreticos: per Samaritas autem mixtos ac indifferentes, accomodè intelligemus Pseudocatholicos seu Politicos, qui nomine tantùm & titulo Christianos referunt, vita autē & operibus infidelibus aliquando deteriores, Ecclesiam magis, quàm hostes externi, affligunt.

[a] Hæretici, gentis seu populi nomine indigni, & quibus similes.
4. Regū 17. v. 25. 32.
Ioan 4. vers. 9. 22.
[b] Ecclesiæ hostes triplices.

Cap. XVI. Accipite igitur Christiani auditores, germanam Apostolicæ Liturgiæ formam, ad quam, si nunc quoq; animos & mores vestros conformaretis, æquiores essent cœtus vestri: atq; cernere esset in vobis illud, quod promisit Dominus, dicens: [c] Vbi duo vel tres vestrū congregati sunt in nomine meo, ibi & ego sum in medio eorū. Quod maximè sacrificio Missæ conuenit, ad quod ad minùs tres vel duos adesse necesse est, & quidem nō solùm nomine, sed officio ipsius Domini adunatos: ideóq; ipse Dominus tanquam sacerdos, hostia & exauditor, verè est in medio eorum. [d] Sed heu, potiùs cernimus similem abusum, quem olim Apostolus in suis Corinthijs ad eum modum perstringebat: In hoc non laudo vos, quòd non in meliùs, sed in deterius conuenitis: vnusquisq; enim (liceat mihi in re prorsus simili sic applicare) Missam suam præsumit ad audiendū. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Plerunq; enim vbi frequentia sacerdotum vel Monachorum adest, negligitur vel potiùs contemnitur Missa ordinaria & communis, quę propterea Maior vel Conuentialis

[c] Congregatio Christianorum, cui Christus interest proprie fit in Missa.
Matth: 18. ver. 20.
[d] Conuentuum ad Missas moderni abusus.
1. Cor. 11. v. 17

tialis dicta est, vt ab omnibus (excepta necessitate) frequentaretur: & conducuntur vel exquiruntur Missæ priuatæ, & interdum verè angulares, & à societate aliorum fidelium sequestratæ, quæ breuissimè, & interdum ad ordinationem conducentium, expeditæ, illum deuotione eius diei vel festi, ad sæculares illæcebras, breuissima mora, & interdum vix dimidia hora emancipant. Inuenias autem, qui ex nationibus exteris magis politicis (dicendum erat politis) non virtutes sed vitia deportantes, regressi à talibus deuotionibus perfunctorijs, alios obuios ab Ecclesijs auertunt, Missas quas ex fabulosa & lasciua interdum in Ecclesia demoratione audiēdo quasi superogassent, ipsis aulica quadam dispensatione impertientes, seu applicantes. [a] Iam verò talis farinæ Christianorum, si ad communem & solemnem Missam cogitur conuentus, plerunq; (ô infelicitatem status Christiani) illud cernere est, quod olim Moyses de populo Dei, ad luxum & idololatriam conuerso dicebat. [b] Cùm enim famulus suus Iosue, à longè vocem populi vociferantis audiens, diceret: Vlulatus pugnæ auditur in castris. Respondit Moyses: Non est clamor adhortantiū ad pugnam, neq; vociferatio impellentium ad fugam: sed vocem cantantium ego audio. Profectò fidelium Christianorum conuentus præsertim solennis ad Missam, est fortissima & [e] ordinata acies castrorum contra hostes inuisibiles atq; infernales, vbi conflictus à duce nostro Christo in cruce cum victoria peractus, per veram repræsentationem, membris eius adhuc militantibus applicatur. Sed verò idem dux & Pontifex de cælo prospiciens, ex eiusmodi quasi profano cœtu, audit voces, non impellentium ad fugam vitiorum, nec adhortantium ad pugnam & victoriam tentationum: sed audit potiùs voces cantantium: quod per alium Prophetam sic exprobrat: [d] Veniunt ad te, quasi si ingrediatur populus, & sedent coram te populus meus, & audiunt sermones tuos, & non faciunt eos: quia in canticū oris sui verterunt illos. Hæc ibi. Tales profecti sunt Concionū nostrarum fructus, vt pascendis auribus plerunq;, vel curiosis disquisitionibus, vel adulatorijs laudibus, vel iniquioribus repræhensionibus, non autem emendationi vel ædificationi pateant.

[a] Pseudochristianorum deuotionis Idæa.
[b] Exodi 32. v. 17.
[e] Cant: 6. ver. 3.
[d] Esech. 33. v. 3.

Cap: XVII. Iam verò, si formam & statum cœtus in Ecclesiam congregatorum expendas, in plerisq; locis theatrico & scænico magis quid, quā Christiano similem, inuenias. Audiuimus certè sæpiùs, & fortassè aliquando legimus, hęreticos & alios infideles, solennioribus eiusmodi ad Ecclesiam Catholicorum conuentibus insultantes, quòd magis scænas theatricas, quàm cœnas Dominicas referant: quando viri fœminis, exquisito & interdum lasciuo cultu intermixti, cantibus,

organis, & varijs musicæ lenocinijs, veriùs ad libidinem quàm ad
deuotionem stimulantur. Et hæc quidem isti per calumniam (vt so-
lent) nobis improperant: a Sed si nosipsos dijudicaremus (inquit A- “
postolus) non vtiq; iudicaremur. Dissimulari enim nō potest nec de-
bet, eiusmodi, (non de omnibus tamen dico) cœtuum formam, longè
ab illa primæua Apostolica degenerasse. b In Ecclesias siquidem ir-
ruunt simul viri & mulieres, & locis commiscentur: cùm in Eccle-
siis Apostolicis separatus fuerit vterq; sexus, non solùm accubitu, sed
ipso ingressu: cui apud viros Ostiarius, apud fœminas verò Diaco-
nissa, vel aliqua probatæ & maturæ pietatis fœmina, præficiebatur.
Deinde ingrediebantur viri habitu humili, & ad deuotionē composi-
to: fœminæ quoq; (vt monet c Apostolus) sobriè ornantes se, sed & “
capita velantes propter Angelos. Iam verò in Ecclesiam veluti ad “
Comœdiam irruitur (quod olim Propheta execratus est) pompaticè, “
& contra edictum Apostolicum, capillatura extrinsecus concinnata, “
in circundatione auri, aliquando à summo vsq; deorsum: tum & ve- “
stimentorum cultus adeò dissolutus, ac sumptuosus, interdum etiam
mimicus vel scœnicus, qualem vix gentilitas agnouerit vnquam: “
& secundùm d Psalmistam: Apparent in Ecclesiis fœminæ compo-
sitæ, & circumornatæ tanquā similitudo templi: sed dixerimus po-
tiùs, vt solitudo templi: quia Ecclesiarum prærepti reditus, ad tales
plerunq; luxus transferri consueuerunt. Tanta est verò aliquarum
mulierculárum proteruitas, vt admonitæ vel repræhensæ, quòd Ec-
clesiæ sint cæli portæ seu vestibula, non sæcularia prostibula: respō-
deant, ad elocandas virgines, nullum tàm publicum quàm Ecclesias
inueniri theatrum. O responsionem gehennę incendio vindicandam.
Contra quales e Chrysostomus iam olim sic inuectus est: Regi qui-
dem cùm astas, ne ridere quidem omninò audes: omnium verò Do-
mino cùm adstiteris, non stas pauidus tremensq;, sed rides, ipso sæpè
irascente? Non cogitas, quòd hoc facto, multò magis quâm pecca-
tis ipsis, eum irritas? Neq; enim vsq; adeò peccantes, vt eos qui post
peccatum non anguntur, auersari solet Deus. Quid agis, ô homo, in
Ecclesia stans? formas mulierum curiosè contemplaris? Non per-
horrescis, tanta iniuria templum Dei afficiens? Lupanar tibi esse vi-
detur Ecclesia, & foro ipso despicabilior? Nam in foro quidem me-
tuis, & erubescis videri mulierē curiosè contemplari: in templo ve-
rò Dei, ipso tecum loquente, deq; his cominante, talia audes eo ipso
tempore, quo audis hæc facienda nō esse? Et non perhorrescis, neq;
de statu mentis deijceris, officinam iniquitatis cor & oculos tuos fa-
ciens? Præstaret huiuscemodi oculos cœcos esse, quàm ad hos vsus
accom-

a 1. Cor. 11. v. 31.

b Antiquorū ad Ecclesias Conuētuum forma quā degenerârit.
Clemens Constit Apost lib. 2. Cap. 57. alias 61.

c 1. Timot: 2. v. 9.
1. Cor: 11. v. 10.
Amos 6. vers: 1.
1. Petr. 3. vers: 3.
Mulierum procacitas, maxime in Ecclesia notatur.

d Psal: 143. v. 13.
Clemens Cōstit: Apost. lib. 2. Cap. 7. Et lib. 1. Cap. 8. & seq:

e Chrysost: Orat. de non contemnenda Ecclesia. Tomo 5.

accommodari. Cogita, propè quem astiteris, o homo, in sacro illo &
horrendo sacrificio, cum quibus Deum sis inuocaturus: cum Cheru-
bim, cum Seraphim, & cum alijs cęlestibus virtutibus. Reputa, quos-
nam gregales & canendi socios habeas. Hæc Chrysostomus. Et hæc
quidem in populo meritò erant per occasionē reprehendenda. a Sed
nec Pastores ipsi culpa vacui sunt, qui talia ferunt, & si verbo nō pro-
ficiunt, tunc comminationibus, & in rebellibus gladio spirituali sibi
dato, non vindicant. Quin & ipsi interdum eiusmodi luxurianti de-
uotioni occasiones & fomenta præbent. Siquidem ab Ecclesiis ple-
runq; exterminatus est simplex ille & auitus psallendi modus, qui
incolatum & peregrinationem Christianorum in hac vita, ad gemi-
tus & lachrymas concitaret: inuecti autem sunt sæculi lasciuientis
& luxuriantis chori, rarissimè ea quæ textus & tonus Ecclesiasticus
præscribit canentes, sed plerunq; ea, quæ sæcularis dissolutio & mol-
lities blanditur obstrepentes, mentesq; à superna (ad quā admonen-
tur) ad terrenam mentis attentionē, abripientes. Vix tamē aliquis est,
qui secundùm sacri b Concilij Tridentini præscriptum talia compe-
scat, vel corrigat: quinpotiùs sub specie laudis diuinæ, talibus pas-
sim ab omnibus applauditur. Non sic veri Christiani, non sic:
Cap. xxviij Missa etenim sacrificij incruenti, de quo nobis est res, non pompas,
gaudia, & triumphos, sed Domini & Saluatoris nostri tristitiā c vsq;
ad mortem agones, probra, pœnas, passiones, & ipsam diram crucis
mortem, denuntiat atq; repræsentat; non alio sanè proposito, quàm
vt nos quoq; per pœnitentiam, gemitus, lachrymas, & orationes, illi
compatiamur in hoc sæculo, vt in futuro resurrectionis & glorificati-
onis participes fieri mereamur. Iste, inquam, sacrificij incruenti cul-
tus, non choros dissolutos, non Pæana, nō tryumphos nobis propo-
nit: sed sicut ipse in seipso propter maiestatis diuinæ præsentiam tre-
medus est: sic nobis veluti ex altissima cælesti specula obijcit & præ-
sagit aditum ad præparata cælestia gaudia, per extremas illas ruituri
mundi calamitates, tragicam illam d Antichristi persecutionem, qui
propterea sacrificium istud iuge tollet, & exterminabit, vt potissimū
auxilij diuini subsidium fidelibus eripiat, suamq; tyrannidem atroci-
ùs exerceat: ipsum deniq; districtissimi extremi iudicis aduentum,
ad quem Apostolus hoc ipsum sacrificium perduraturum esse prædi-
xit. Agite ergo, ô Christiani, per dignam huius mysterij participa-
» tionem: agite Pastores & Prælati, per seriam deformati istius cultus
» reformationem: efficite, inquam, vt Christus districtus iudex adue-
» niens, e inueniat cœtus vestros eo ordine dispositos, qualem sibi ac-
» ceptabilē elegit per Prophetam sic dicentem; Nunc ergo, dicit Do-
minus,

a Cultus & Cantus luxurians, ab Ecclesijs exterminandus.

b Concil: Trid: sess: 22. de seruādis vel vitandis circa Missam.

c Missæ tremenda non iubilanda memoria.

d Antichristi extrema psecutio, in Missa quā sublaturus est deprecāda.
Daniel 8. ver. 12.
Cap. 9. vers. 27.
Cap: 11. v. 31., 37.
Hippolytus martyr de Consūmatione mundi.
Chrysost: hom: 49. operis imperf. in Math:
1. Cor. 11. vers: 26.
Psalm. 49. v. 5. 23.
e Christianorum ad laudem Diuinam optimus apparatus
Ioel 2. vers: 12.

minus, conuertimini ad me, in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu. Et scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & conuertimini ad Dominum Deum vestrum: quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia. Quis scit, si conuertatur, & ignoscat, & relinquat post se benedictionem, sacrificium & libamen Domino Deo nostro. Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, vocate cœtum. Congregate populũ, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes: congregate paruulos, & sugentes vbera: Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo. Inter vestibulum & altare plorabunt sacerdotes ministri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo: & ne des hæreditatẽ tuam in opprobrium, vt dominentur eis nationes. Quare dicunt in populis, vbi est Deus eorum? Zelatus est Dominus terram suam, & pepercit populo suo. Hucusq; Propheta. Quod vobis præstare dignetur iudex ille venturus viuorum & mortuorum, qui cum Deo Patre, & communi atq; viuifico Spiritu, viuit & regnat Deus in sæcula sæculorum, Amen.

Sermo vndecimus.

DE MISSA, EIVSQVE PARTIBVS, Ritibus, seu Cæremoniis, eorumque mysteriis.

Sacrificij Missæ tractatus methodicus.

Cap. I.

QVi de rebus cum ratione disserunt, earum tractatus solent distinguere in sequentes quęstiones. An sit: quid sit: qualis & propter quid sit. Quæ omnia in sacrificij tractatu, quem præmisimus, quamuis sufficienter contineantur: sed quia non distinctè, & sparsim, vt testimoniorum adductorũ ratio postulabat: Operæpretium existimauimus, Missam formalem, quam Ecclesiæ Occidentales ab Apostolis hucusq; conseruant, suo ordine proponere, testimonijs antiquis comprobare, & eam partem, quæ populo cum sacerdote communis est, explicare. [a] Siquidem ea, quæ Canone maiore & minore (quo consecratio & oblatio perficitur) constat, solis sacrificij ministris, in suum tempus & locum sit reseruanda. Reliquam verò partem Missæ, cùm nationes ad linguam & popularem intellectum exigerent, sacrum Concilium Tridentinum, Latinè quidem, iuxta receptum morem, Missam peragi: verun-

a Propositio & partitio sermonis, in Missæ mysterijs explicãdis. Concil: Trid: Sess. 22. Cap 8. & Sess: 24. Cap. 7.

tamen

tamen eius mysteria, populo explicari voluit. Quod nos pro virili, cum diuino auxilio, exequentes: Missæ definitionem, diuisionem, & præcipuarum eius partium intellectum, vel significationem proponemus, & expendemus, secundùm titulos & seriem circumstantiarũ, hoc versiculo vulgò compræhensarum:

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, qm̃o, quando.

Qualem methodum videtur indicasse [a] B. Augustinus, sic scribens: Rectè offertur sacrificium, cùm offertur Deo vero, cui vni tantummodò sacrificandum est: non autem rectè diuiditur, dum non rectè discernuntur loca, vel tempora, vel res ipsæ quæ offeruntur, vel qui offert, vel cui offertur, vel hi, quibus ad vescẽdum distribuitur, quod oblatum est. Sic ille. Primò igitur: [b] Quis sit sacrificij istius nouæ legis author, dictũ est superioribus Sermonibus, ipsum esse Christum verum Pontificem, & aduocatum nostrum. Ipse enim, secundũ Origenem, est vnus Pontifex magnus: & idem non solùm sacerdos, sed & sacerdotum sacerdos: & non solùm Pontifex, sed Pontificum Pontifex: nec sacerdotum Princeps, sed Princeps Principum sacerdotum. Hæc ille. Hic, inquam, est, qui in Sancta Sanctorum cælestia, per proprium sanguinem, semel quidem introiuit, sic tamen, vt iugiter ad nouissimum aduentum suum ad iudiciũ, apud Deum Patrem, pro nobis existat interpellator. Istud autem sacerdotium suum, visibiliter quoq; in militanti ista Ecclesia, exercet per ministros sacerdotes. Quę omnia, cùm superiùs plenissimè fuerint â nobis pertractata, & authoritatibus tàm vtriusq; paginæ sacrę, quàm doctorum orthodoxorum, & praxi Ecclesiæ firmissimè comprobata: [c] placuit testimonium quoq; Ecclesiæ Orientalis, quantumuis Sedis Romanæ æmulæ, ex Græcorum Theologorum fontibus exhaustum, proferre. Quod sic habet: Mediator, inquit est, per quem omnia bona data sunt nobis à Deo, immò dantur semper: non enim semel mediator factus, & omnia nobis largitus, pro quibus mediator fuit, officio mediatoris defunctus est: quinpotiùs semper mediatorem agit, non quidem verbis & orationibus, vt legati faciunt, sed re, vniendo, inquam, secum, & per se gratias suas impartiendo, vt quisq; dignus est, & secundùm mensuram purgationis. Et rursus: [d] Mediator, inquit, Dei, & hominum factus est, nõ sermone & precibus, sed seipso. quia enim idem erat Deus, & homo, Deum cum hominibus copulauit, se communem terminum ambabus naturis immittens: Existimare autem Christum per preces, quæ in Missa fiunt, semper mediatorẽ agere, plenum est blasphemia & absurditate. Etsi enim ipse est, qui sa-

Cap: II.

a August: lib 15. Ciuit Cap: 7. Gen. 4. vers. 6.

b Sacrificij Missę incruenti author & ministri Serm: 6. in expositione Epistolæ Pauli ad Hebr. Origen. hom: 6. in Leuit.

c Simeon Archiepiscopus Thessalonic: in libro de mysterijs Ecclesiæ Cap: 44. Citante Francisco Turritano in Cap. 12. libri 8: Cõstit: Apostolic. Clementis Cap: 12.

d Idem Simeon eiusdem lib: Cap: 45.

crificium

a Christus quomodo mediator in Missa, per seipsum & per sacerdotem.

b 1. Timoth: 2. v. 1.

crificiũ [a] Missæ operatur, non tamen omnia, quę illic fiunt & dicuntur, ipsi sunt attribuenda: opus enim Missæ & finis, sanctificari, inquã, munera, & sanctificare fideles, ipse solus est qui hęc facit. [b] Orationes verò, & obsecrationes, ac supplicationes, quæ in his fiunt, sacerdotis sunt, illa Domini, hæc ministri. Minister orat, Dominus consumat orationes: Saluator dat, sacerdos agit gratias pro datis. Offert quidem sacerdos: sed Dominus suscipit munera.

c Nota transubstantiationem.

d Christus quomodo simul sacerdos hostia, & exauditor.

[c] Offert quidem & Dominus, sed seipsum Patri offert, postquam fiunt ipsa: id est, postquam mutata sunt in corpus & sanguinem eius. [d] Quia enim seipsum offert, idcircò dicitur esse idem offerẽs, & oblatus, & suscipiens: offerens quidem, & suscipiens, vt Deus: oblatus verò, vt homo. Munera verò, cùm adhuc sunt panis & vinum, offert quidem sacerdos, suscipit verò Dominus. Sed quomodo suscipit munera, qui ea facit? nempè sanctificando illa, & in corpus suũ mutando, hoc enim significat suscipere, facere sua, secundùm ea, quæ antea dicta sunt. Hæc Simeon sanè quàm Catholicissimè.

e Definitio Missæ, eiusq; expositio.

Cap. III.

Quoad secundum: [e] Quid sit Missa? quamuìs ex præcedentibus Sermonibus satis fuerit declaratum: tamen memoriæ causa, sic potest definiri. Missa est sacrificium nouæ legis, ex institutione Christi sacerdotis æterni, continens oblationem per ministros visibiles, corporis & sanguinis sui sub alienis speciebus, oblationis eiusdem cruentæ, ad hominum fidelium vtilitatem, repræsentatiua. Cuius definitionis singula puncta expendamus.

f Sacrificiũ summus Dei cultus, omnibus populis.

[f] Primò, Missa reuocatur ad genus sacrificij: quandoquidem in priori tractatu demonstratũ est, nullam gentem & legem extitisse vnquam, quæ numen aliquod diuinum non agnouerit, & cultu etiam summo, qualis in sacrificio est, venerata sit. Quod legi Euangelicæ perfectissimæ, magis congruit.

g Sacrificij nouę legis triplex effectus, ad instar veteris.

[g] Sicut igitur in typo legis diuinæ per Mosen datę, continebatur triplex sacrificium: holocaustum in recognitionem diuinæ maiestatis: hostiæ propitiatoriæ pro peccato: & oblationes pro varijs hominũ necessitatibus: sic in veritate legis Euangelicæ, istud vnicũ & proprium sacrificium, tria similia compræhendit, hoc est, supremum Dei cultum, propitiationem, & deprecationem vel gratiarum actionem, vt postea suo loco dicetur.

h Sacrificium de optimis donis etiã in lege noua.

Ioan 3. v. 15. & 4. vers: 10.

Iacobi 1. vers. 17.

Isai. 9 vers. 6

Ioã. 6. vers. 31, 56.

[h] Secundò, dicitur hoc sacrificium, continere oblationem corporis & sanguinis Christi. Sicut enim Deo optima quæq; offerebantur: sic populus Christianus, nihil meliùs offerendum Deo suo inuenit, quàm donum illud Dei, & datum optimum, descendens à Patre luminum, hoc est, filium Dei, qui nobis natus, & nobis datus, tanquã panis de cælo descendens, seipsum obtulit Deo Patri pro redemptione nostra: quem vicissim nos Deo Pa-

tri, ob

a Causa efficiens sacrificij Missæ.

Hebr. 9. v. 10. 25. & Cap. 10. v. 12. 20.

tri, ob eius honorẽ, & indigentias nostras, offerimus, quatenus apud ipsum per proprium sanguinẽ, ipse existit propitiatio nostra. [a] Tertium punctum asserit, istam oblationem fieri propriè, per sacerdotiũ ipsius Christi æternum, qui, secundùm Apostolum, semel ingressus in sancta cælestia, per oblationem suijpsius, quatenus in corpore suo refert vestigia redemptionis nostræ, tanquam verus Pontifex, apparens vultui Dei, interpellat pro nobis. Quod ipsum sacerdotium, á seipso in vltima cœna initiatum & institutum, hìc in terris exercet per sacerdotes, tanquam visibiles ministros, sub conformibus & sensibilibus speciebus panis & vini, ad sustentationem vitæ spiritualis, passione sua fidelibus acquisitæ accommodis.

Cap. IIII.

b Missa sacrificium incruentum, cruenti repræsentatiuum, & commemoratiuum.

Lucæ 22. ver. 19.

1. Cor. 11. ver. 24.

[b] Quartò, dicitur hæc oblatio repræsentatiua cruentæ oblationis, quam Dominus in cruce per mortem suam semel exegisset. Quod attestatur ipse Dominus dicens: Hoc facite in meam commemorationem. Signantiùs hoc expressit Apostolus, fidelissimus magistri sui interpres, sic scribens: Quotiescunq; enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. In priori enim sententia, ipse Dominus, quãdo præceptum suæ commemorationis non retulit ad panem & calicem, quem dabat ad manducandum & ad bibendum, sed ad posteriùs verbum, (Facite) quod actum sacrificij denotat, vt [c] alibi ostendimus: satis indicat, talem sui memoriam, esse repræsentatiuam passionis & mortis suæ.

c Supra sermone 9. Cap. 8.

Nam & caro animalium, (si licet magna componere paruis) antequam comedatur ab hominibus, præsupponit mortem, & non nisi respectiuè ad mortem, cedit in humanum alimentum: Quod eò magis præstat caro Christi, qui mortem moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit, & non ipse in manducantem, sed manducans in ipsum transmutatur. Sicùt enim sacrificia veteris Testamenti, efficacia erant effusione sanguinis, non præsentis, sed futuri, quem pręsignabant: ad eundem modum oblatio præsens refertur, & vim suã accipit in illo sacrificio, quod semel peractum fuit in cruce.

d Quotiescúnq; manducabitis panem &c. exponitur.

1. Cor. 11. ver. 24.

[d] Quod expressiùs declarat Apostolus: Istam nimirum commemorationem Christi, fieri quidem per manducationem & bibitionem: sed quatenus corpus & sanguis separata sunt, quod per mortem accidit. Dixerat enim superiùs, corpus suum dedisse Christum in ipsa cœna, calicem autem postquam cœnasset: nunc in subsequentibus verbis, de quibus agimus, eadem ratione subinfert annũtiationem mortis Domini: vt ostendat, eiusmodi communicationem corporis & sanguinis Domini, præsupponere [e] mortis suæ annuntiationem, hoc est, mortis semel in cruce susceptæ repræsentationem: in dextera quidẽ

e Hebr. 7. v. 24.

 Patris

a Hebr. 9. v. 24. & Cap. 10. vers. 12.

Patris a in propria specie, quæ maiestati gloriosæ conueniret: in terris autem in specie aliena, & quidem tali, quæ refectioni humanæ competeret, qualis est panis & vinum, præcipua hominis alimenta.

b Origen: hom. 1. in Caput 1. Leuit. Leuit. 1. v. 3. 5.

Cap. V.

In eum sensum intelligendus est b Origenes, quando pertractans typum vituli, ante tabernaculũ bis oblati, (vt nos quoq; suo loco posuimus) sic subinfert: Posuit ergo & manũ suam super caput vituli: hoc est, peccata generis humani imposuit super caput suum. Ipse est enim caput corporis Ecclesiæ suæ. Sed & hoc fortasse non sine causa fit, quod cùm superiùs dixisset, applicabit eum ad ostiũ tabernaculi testimonij, in posterioribus repetit, & iterum dicit, ad altare quod est ad ostium tabernaculi testimonij: quasi non eundem locum, sub eadem narratione, semel designasse suffecerit. Nisi quia fortè hoc intelligi voluit, quòd sanguis Iesu, non solum in Ierusalem effusus est, vbi erat altare, & basis eius, & tabernaculũ testimonij, sed & quod super illud c altare, quod est in cælis, d vbi & Ecclesia primitiuorũ est, idẽ ipse sanguis aspersus erit, sicut & Apostolus dicit: Quia e pacificauit per sanguinem crucis suæ, siue quæ in terra sunt, siue quæ in cælis. Rectè ergo secundò nominat altare, quod est ad ostium tabernaculi testimonij: quia non solùm pro terrestribus, sed etiam pro cælestibus oblatus est hostia Iesus, f & hîc quidem pro hominibus, ipsam corporalem materiam sanguinis sui fudit, in cælestibus verò ministrãtibus (si qui illi inibi sunt) sacerdotibus, vitalem corporis sui virtutem, velut spirituale quoddam sacrificium imolauit. Vis autem scire, quia duplex hostia in eo fuit, conueniens terrestribus, & apta cælestibus? Apostolus ad Hebræos scribens dicit: g Per velamen, id est, carnem suam. Et iterum, interiùs velamen interpretatur cælum, quod penetrauit Iesus, vt assistat nunc vultui Dei pro nobis, semper, inquit, viuens ad interpellandum pro his. Si ergo duo intelliguntur velamina, quæ velut Pontifex ingressus est Iesus, consequenter & sacrificium duplex intelligendum est, per quod & terrestria saluauerit, & cælestia Hucusq; Origenes. h In fine definitionis additur, oblationem quæ fit in Missa, esse incruentam: quod intelligi debet, nõ negatiuè. Verum enim est, panem & vinum carere sanguine: (quamuis in potentia, per digestionem fieri possit,) sed in oblatione post cõsecrationem ex pane fit corpus Christi, & ex vino sanguis: adeò vt corpus Christi, & quidem ipse viuus Christus sanguine carere non possit. Intelligendum ergo est priuatiuè: hoc est, quamuis corpus quod sumitur, verè constet carne & sanguine: tamen cùm in sacrificio cruento Christus semel sanguinem fuderit, i nec ampliùs mori potest; in isto sacrificio secundùm ordinem Melchisedech, quod propter

c Sanguis Christi in altari cælesti funditur repræsentatiuè.
Apoc. 6. vers. 9.
d Hebr. 12. v. 22.
e Colos. 1. v. 20.
f Distinctio ista cautè intelligẽda.
g Hebr. 10. v. 22.
Hebr. 9. vers. 24.
h Missæ oblatio dicitur incruenta, non negatiuè sed priuatiuè.
i Hebr. 9. v. 27.
Hebr. 7. ver. 24.

pter æternitatem diuino iureiurando firmatam, mortem non admittit, offert seipsum iugiter, sicut ad Patris dexteram per seipsum, sic in
sensibili sacramento sub speciebus panis & vini: vt idem ipse qui passus & mortuus est, sed non ampliùs passibili & cruento modo, offeratur. Sed cùm hæc superioribus Sermonibus pertractauerimus, reliqua prosequamur.

Cap. VI.

a Porrò ad quæstionem quid sit, pertinet & alia similis: quotuplex res sit, vel quæ illius partes essentiales. Sciendum igitur Missam trifariam diuidi. Ab initio siquidem, quem Introitum vocamus, vsq; ad oblationem b dicta fuit antiquitus Missa Catechumenorum, id est, candidatorum religionis Christianæ nondum baptismatorum: & Energumenorum: non quòd isti posteriores sacrificij eiusq; sacramenti non essent capaces: sed ne infra tremenda mysteria, quibus assistunt Angeli, c tales homines arreptitij, mysteria sacratissima perturbarent, vel distraherent: quod & modò seruandum esset in veris (& quidem raris) Energumenis: si officium Ostiarij non in titulo tantùm, sed in vsu (vt de talibus sacrum Concilium Tridentinum admonet) seruaretur, & non passim prophanis hominibus, & fœdis bestijs, Ecclesiæ etiam in diuinorũ celebratione, essent peruiæ: Admittebantur autem vtriq; illi, & aliquando excommunicati, ad priorem quam diximus Missæ partem, quòd ea confessionẽ, laudem diuinam, orationem, scripturæ lectionem, & doctrinam (vt infrà patebit) contineret, in quibus potissimũ illi erudiebantur. d Secunda pars Missæ inchoatur ab Offertorio, quod est apparatus quidam, gratiarum actorius Canonis, qui continet Missam seu oblationem. Ideò ad vocem Diaconi, Ite Missa est, dimittebantur Catechumeni, & Energumeni. e Reliquum à Canone, vbi fiunt orationes Complendæ dictæ, continentes gratiarum actionem, dicebatur tertia & vltima pars Missæ. f Non prætereunda quoq; est species Missæ apud antiquos, quæ dicebatur sicca, sic dicta quasi ieiuna: quòd vel propter persecutionem, vel sacerdotis indispositionem, aut aliquem defectum, consecratio fieri non potuit. Tunc enim ne populus fidelis spirituali consolatione careret, fiebant per sacerdotem reliquæ partes Missæ, absq; consecratione & oblatione, in quibus consistit sacrificiũ. ideóq; nec sequebatur Eucharistiæ propria cõmunio. Similes missæ dictæ sunt Nauticæ, quando ad euitandam calicis profusionem propter agitationem nauis, Missa similiter interdum fit absq; consecratione: sed Eucharistiæ consecratæ assumunt copiam ad cõmunionem, siue ordinariam, siue extraordinariam in periculo naufragij: g vt S. Paulum fecisse, Actorum 27. coniicimus. Huic Missæ siccæ & Nauticæ, comparari potest Missa (si modò dici meretur) rigidorum Lutherano-

a Missæ partes essentiales tres.
b Missa Catechumenorũ & Energumenorum.
c Energumenorum status & examen per ostiarios & Exorcistas.
Conc. Trid. sess. 23. Cap. 13. & 17.
d Secunda pars Missæ oblationi & cõmunioni propria.
e Tertia pars Missæ.
f Missa Sicca vel Nautica absq; oblatione.
g Paulus ante naufragium quali cõmunione vsus.
Act. 27. vers. 34.

a Miſſa ſicca & nautica Lutheranorum.
Epheſ. 4. verſ. 14.
1. Timoth. 1. v. 19.
Iudæ 1. verſ. 13.

theranorũ, [a] qui omnia ferè Miſſæ Catholicæ obſeruant, præter Canonem, veluti nucem abſq; nucleo. In tali enim Miſſa tanta ſiccitate laborant, vt propter merum calicem, vnitatem Eccleſiæ Catholicæ deſeruiſſent, atq; exinde cum ſua Miſſa Nautica, ſubinde ex ſecta in ſectam, (vt Apoſtoli loquuntur) fidei naufragia patiantur.

b Miſſæ locus proprius templũ: Altare verò officina.
Gen: 28. verſ. 17.
Cap. VII.

[b] Sequitur ergo tertium quæſitum, Vbi iſtud ſacrificium eſt exercendum? Reſpondemus, proprium eius eſſe locum, & veluti ſacram officinam, Altare: quod vt ampliùs, tutiùs ac honoratiùs conſiſtat, potiſsimùm propter illud (quamuis & propter alia Chriſtianæ religionis officia & exercitia) ædificantur Eccleſiæ, Baſilicæ Templa, Oratoria, Sacella. Quod oſtendi poteſt exemplo Iacob Patriarchę, à nobis ſuperiori Sermone explicato: quando ille in terram, vbi promiſſam benedictionem eſſet conſecuturus, iter faciens, & quaſi ex lege ſeruitutis, ad legem gratiæ commigrans, poſtquam per reuelationẽ vidiſſet cæleſte cum terris, per futuram Incarnationem & paſsionẽ Chriſti, futurum commercium: mox locum illum terribilem, tanquam domum Dei, & portam cæli nominauit: [c] atq; in eadẽ, quaſi iam deſtinata domo Dei Eccleſiam deſignante, lapidem cui capite incubuiſſet, erexit in titulum, vtiq; altaris, quod eſſet veluti cor ipſius domus Dei, ſeu Eccleſiæ: vtpotè ex quo communicatio illa cæleſtis, per aram crucis, veluti ſcalam cæleſtem, fuiſſet perficienda. Propterea etiam lapidem illum vnctione olei, & voto reddendarum ex omni ſubſtantia decimarum, futuro Dei cultui addicit, & quaſi mancipat & deſponſat. Quod re ipſa præſtitit, quando voti eiuſdem ab ipſomet Deo (qui ab illa promiſsione ſe Deum Bethel nominauit) admonitus, poſtquam rediſſet, noua Dei admonitione, in eodem loco legitur ædificaſſe altare Deo quod promiſerat: illudq; denominaſſe Domum Dei, atq; ſuper illud oleo delibutum, libamina Deo loci illius, qui ſibi ibidem apparuiſſet, litaſſe ſeu obtuliſſe. [d] Et quemadmodum antehac in ſimilis altaris erectione, illud Deo fortiſsimo dedicabat: ſic & domus iſta Dei, & altare locusq; ipſe, (ſicut ipſemet Iacob prædixerat) adeò ſpiritualibus & temporalibus poteſtatibus euaſit terribilis: vt primò quidem ablutione in typum baptiſmi præmiſſa, Idola ex Meſopotamia per domeſticos eius aſportata, in terra defoſſa reprobarentur, & nationes in circuitu exiſtentes locum illum haberent formidini. Quod eò veriùs conuenit Eccleſiis ſeu templis nouæ legis, quia ſunt verè domus Dei, & portæ cæli, cùm in eis ordinariè Chriſtiani, & fiunt per baptiſmum, & in vita ſpirituali diriguntur per verbum Dei & ſacramenta: & tandem per extremi deceſſus curam, cælo aſſeruntur: maximè autem quòd ſint (vt dictum eſt) loca

c Eccleſiarum & altarium erectio cõſecratio, & dotatio.
Gen. 35. v. 1, 3, 7.
Cyprianus ſerm. de vnctione Chriſmatis.

d Eccleſiæ quomodo domus Dei, & hoſtibus cur terribiles.

a Altarium vſus arguit externum ſacrificium nouæ legis.
Supra ſermone 6. Cap. 22.
Matth: 5. ver. 24.
Cyril. Ieroſol. Catecheſi 5. Myſtag.

eſt) loca & officinæ ſacræ, tremendi illius ſacrificij, quo poteſtates infernales fuerunt ſuperatæ. [a] Sic & in tota ſcriptura ſacra, vbicunq; fit altarium mentio, non ad alium vſum diriguntur, niſi ad ſacrificia, & quidem non ſpiritualia, quæ in altari cordis perficiuntur, ſed ad externa & viſibilia ad legem alligata, vt alibi oſtendimus. Quod & in noua lege ex doctrina Apoſtoli comprobauimus, qui menſam & altare nouæ legis ſacrificio propriè accommodat. Et ipſe Dominus nouæ legis præcepta antiquis perfectiora edocendo, præparat interiores etiam animi affectus, vt in altari munus Deo deſtinatum dignè offeratur. Sic & apud Apoſtolorum diſcipulos & ſucceſſores, frequens ſicut ſacrificij ipſius, ſic & altaris fit mentio, præſertim apud [b] Clementem, Dionyſium Areopagitam, Martialem, & alios. Sother & Euariſtus, recentes in Sede Apoſtolica Romana Petri ſucceſſores, honorem altarium decretis ſuis indixerunt. Morem fuiſſe antiquiſsimis Chriſtianis in facienda publica pœnitentia, altaribus aduolui & adgeniculari, teſtatur Tertulianus. Cyprianus, pleriſq; locis, & Chryſoſtomus, altaria quaſi præcipua Catholicæ religionis ſymbola & inſignia prædicãt: ibiq; eſſe veram religionem, quæ habet altare verũ: & Eccleſiam eam eſſe Catholicam, quæ habeat vnum altare: Hæreticos autem eſſe, qui altaria vel negant, vel noua erigunt. Optatus autem Mileuitanus, altare vocat ſcalam illam Iacob apparentem, quę vota fidelium cælitibus communicet: & in quibus Dominus inſtituiſſet offerre fraternitatis munera, quæ de pane eſſent cõdita. [c] Propterea acriter inuehitur in Donatiſtas, qui Chriſtiana profeſsione exuti, altaria non ſolùm non venerarentur, ſed etiam crudeliter demolirentur. Inde etiã tàm Eccleſiis quàm altaribus honor à priſcis Chriſtianis delatus: quòd illa non ſolùm certatim oſculari contenderent, vt teſtatur Ambroſius: ſed etiam illis adgenicularentur, vel proni aduoluerentur, vt ſupra ex Tertulliano retulimus. Chryſoſtomus dat rationem, quòd in altari conficiatur, & plerunq; aſſeruetur corpus Chriſti: Ideo ſuo tempore Chriſtianos pro incolumitate & honore altaris, paratos fuiſſe vitam exponere: Huic conſonat illud [d] Græcorum Apophtegma: Amicus vſq; ad Aram: hoc eſt, amicitiam eatenùs ſeruandam, quatenùs religioni non repugnet. [e] Porrò ſicut Deus erectionem altaris in titulum voluit denominari à loco apparitionis ſuę, vel voti emiſsi, vnde ſeipſum Deum Bethel denominari voluerit: Ad eundem modum Chriſtiani (vt Sermone octauo ex Martiali, & D. Auguſtino oſtendimus) templa & altaria propriè quidem & principaliter in titulum, & ad honorem Deo, cui propriè ſacrificiũ debeatur, erigunt: veruntamen vt Deus, ſecundùm Pſalmiſtam, in ſuis

b Clemens lib, 8. Conſt. Apoſt. Cap.
Dyonyſ: Eccleſię Hierarh. c. 3.
Mart. Epiſt. 3. ad Burdegalenſes Cap. 3.
Tertull. lib. de Pœnitentia.
Cypr. lib. 1. Epiſt. 9. Et lib. 2. Epiſt. 1. 3. Lib. 3. Epiſt. 13.
Chryſoſt. homel. 6. & 19. operis in Matheũ imperfecti.
Optatus lib, 6. cõ: Parmen.
Geneſ. 28. ver. 12.
c Altaria tanquã ſymbola fidei inter Catholicos & prophanos: eorumq; honor.
Ambr. lib. 5. Epiſt 33.
Chryſ: hom. 20. in Cap. 2. ad Corinth: Et hom. 53. ad populum Antiochænum.
d Amicus vſq; ad Aram.
Plutarchus Tom. 1. Opuſculorum de Pericle.
e Eccleſiæ & Altaria Deo dedicãtur, quamuis in memorias Sanctorum.

Cap. VIII.

suis sanctis laudetur, & vt membrorum honoratio ad suum caput dirigatur: solent etiam titulo eiusmodi Basilicarum vel altariũ, supremo numini diuino adiungere, memorias & honorem Martyrum, & aliorum sanctorum, quorum vel peculiari deuotione, imitatione, vel beneficijs, sentiunt se esse affectos. [a] Eaq; ratio est, quod altaria in cõsecratione, sicut in delibutione Chrismatis Christo eiusq; sacrificio addicuntur, sic impositione reliquiarum, sanctorum quoq; peculiarium memorijs dedicantur. Si enim in prototypo illo altari cælesti, vidit S. Ioannes animas sanctorum præsertim Martyrum ad diem iudicij repositas: congruum est, vt in altaribus typicis terrenis, corporum illorum reliquiæ condiantur, & sine illis altarium consecratio non fieret, & si quæ talia erecta forent, vt ab Episcopis demolirentur: vt constitutum habetur in [b] Concilio Africano, & Carthagineñ. Aliam quoq; rationem assignat [c] Augustinus: Quòd in altari, memoria recolitur Dominicæ passionis, cuius imitatione Martyres extiterunt immolati & coronati. Sic ille.

a Altaria cur sine reliquijs Sanctorum non dedicantur.
Apoc. 6, vers. 9.
b Conc. Africanum Cap. 54. Conc. 5. Cartag. Cap. 14.
c August: lib. 6. Confessionum Cap 2.

Cap. IX.

[d] Quemadmodum autem vna est Ecclesia, eiusq; vna fideliũ congregatio: ita rationabile videbatur, vt vnum quoq; singularum Ecclesiarum esset altare, vt in Ecclesia antiqua fuisse obseruatum conijcitur. Sed quoniam Christiana lex, religio, & sacrificium, non est (vt olim Iudaicum) in vnum locum redactum: sed teste [e] Malachia, & ipso Domino, per omnes orbis terrarũ partes & loca diffusum: crescente fidelium numero ac deuotione, creuerunt quoq; Basilicæ, Oratoria, & Altaria. Quod Ecclesia minimè improbat: modò caueatur abusus, tum sacerdotum qui propter quæstum, tum sæcularium (interdum etiam ex plebe) qui propter fastũ, priuatas & sequestratas pro suo quisq; placito, deuotiones, publicis interim neglectis vel cõtemptis, sibi constituunt. Ne vtrisq; eueniat illud Propheticum: [f] Multiplicauit Ephraim altaria ad peccandum, & factæ sunt ei aræ in delictum. Et iterum: Secundùm multitudinem fructus sui multiplicauit altaria: iuxta vbertatem terræ suæ exuberauit simulachris. Hæc ibi. [g] Similem abusum Innocentius primus sic olim perstrinxit: Si instituta Ecclesiastica, vt sunt à beatis Apostolis tradita, integra vellent seruare Domini sacerdotes, nulla diuersitas, nulla varietas, in ipsis ordinibus & consecrationibus haberetur. Sed dum vnusquisq; non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc æstimat esse tenendum, inde diuersa in diuersis locis vel Ecclesijs, aut teneri aut celebrari videntur, ac fit scandalum populis: qui dum nesciunt traditiones antiquas humana corruptione corruptas, putent sibi, aut Ecclesias nõ conuenire, aut ab Apostolis vel ab Apostolicis viris contrarietatem indu-

d Altarium multiplicatorum religio, & contrarius abusus.
Di Consecra. distinct. 2. Capite Nullus.
e Malach. 1. v. 11. Ioan 4. vers. 21.
f Oseæ 8: vers. 9. Cap. 10. vers. 1.
g Innocentius primus ad Decentium Eugubinũ. Epist. 1.

inductam. [a] Quis enim nesciat, aut non aduertat id, quod à Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc vsq; custoditur, ab omnibus debere seruari? Hæc ille. [b] Illud etiam vnicè cauit Ecclesiastica sanctio, ne extra Ecclesias, Basilicas, aut Oratoria, & Sacella approbata, Missæ fierent: excepta vrgente necessitate, vel prærogatiua, ex singulari ipsius etiã summi Pontificis, vel eius subdelegati dispensatione, idq; super lapide ritè consecrato, quem altare portatile vocamus. Quam legem modò in tantùm relaxatam cernimus, vt non solùm apud Principes, (quod æquiùs ferri potest) sed non rarò apud priuatos Missæ fiant, in illis domorum partibus, in quibus paulò ante & post, negotia sæcularia, comessationes, & luxus committuntur, contra illud Apostoli præscriptum: Nonné domos habetis ad manducandum & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis? [c] Contra tales abusus Concilium Salegunstadiense, sic olim definiuit: Quidam laicorum & maximè matronæ, habent in consuetudine, vt per singulos dies audiant Euangeliũ, In principio erat verbum, & Missas peculiares, hoc est, de sancta Trinitate, aut de sancto Michaële. Et ideò sancitum est in eodem Concilio, vt hoc vlteriùs nõ fiat, nisi suo tempore, & nisi aliquis fideliũ audire velit pro reuerentia sanctæ Trinitatis, non pro aliqua diuinatione: & si voluerint vt sibi Missæ cantentur, de eodem die audiant Missas, vel pro salute viuorũ, aut pro defunctis. Hæc ibi. Hæc de circumstantia loci videbantur esse non omittenda.

a B. Petri instituta & Rom: Ecclesiæ obseruanda.
b Missæ locus legitimus.
Clem. Epist: 3: de off: Sacerd.
Anacletus pp. Epist. 1.
Felix pp. Cap. 4. Epist: ad prouintiales.
De his Conciliũ Trident: Sess: 22. Canone 10.
1. Cor: 11. v. 22.
c Contra missas conductitias vel mercenarias.
Concil. Salegunstadien. Cap. 10.

Cap. X.

[d] Quarta circumstantia est: Quibus auxilijs. Ad quam pertinet, quòd oblatio in Missa, quamuìs propriè fiat per solum sacerdotem, tanquam ministrum Christi Pontificis cælestis, cuius verbis sacerdos corpus Christi conficit: tamen populus etiã Christianus, maximè qui præsens est, sicut postmodum ad cõmunionem, sic & ad oblationem, votis priuatæ deuotionis admittitur: Quod patet ex figura agni Pachalis, de quo sic præcipit Dominus: [e] Imolabit eum omnis multitudo filiorum Isráël: quamuìs propriè quoq; à sacerdote legali offerretur. Hoc ipsum innuit Apostolus dicendo: Quotiescunq; manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortẽ Domini annuntiabitis. Siquidem & communio quamuìs laica, dependet ex oblatione & sumptione consecrantis, in qua propriè fit mortis Dominicæ commemoratio, vt suo loco diximus. Ideò in Canone offerens ante consecrationem, deprecando pro viuis, postquam dixisset: Memento Domine famulorum famularumq; tuarum, &c. subinfert: Pro quibus tibi offerimus; vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, (expende, non ipsius consecrationis) pro se suisq; omnibus, pro redemptione animarum suarum, &c. Idem contestatur sa-

d Ad Missæ oblationem quomodo etiam populus præsẽs admittitur.
e Exodi 12. v. 6.
1. Cor. 11. v. 26.

tur sacerdos in orationibus: ante quas, facta per conuersionē Apostrophe ad populum, per Dominus vobiscum, præmittit (Oremus) Et quando ante orationes secretas, conuersus circulariter ad populum dicit: Orate fratres & sorores: vt meum & vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem. [a] Quemadmodū igitur in prima Ecclesia propter persecutiones, & paucitatem sacerdotum, vna ferè fiebat Missa, & secundùm intentionem superioris scripturæ de oblatione agni legalis, multitudo offerentium ardentiores quoq; ad Deum preces dirigebat: Sic modò optandum esset, vt nō solus ministrans (prout ex necessitate requiritur) qui cæterum populum repræsentaret, sed etiam aliqui ad comunionem (si fieri possit) præparati, Missæ interessent. Cùm & ipsi Angelici spiritus [b] (si antiquis Patribus, & alijs oculatis testibus credimus) huic sacrificio assistant. Siquidem, teste Principe Apostolorū, in filium Dei, vel eius mysteria, desiderant prospicere. Cui respondet & illud Apostoli: Cùm iterum introducit (Deus Pater) primogenitum in orbem terrarum, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. Quamùis enim ista introductio propriè intelligatur per Incarnationem, in qua filius Dei paulò minus ab Angelis minoratus: (vt ibidem meminit Apostolus) iubetur tamen ab illis adorari. Tamen si particulam (πάλιν) quæ sonat iterum, referamus, non ad superiorem coniunctionē, sed ad sequens verbum (introducit) possemus etiam locum istum applicare adorationi Christi in sacrificio, & Eucharistia: quia reuera & tunc iterum, immò quotiescunq;, vt dicit Apostolus, sacramentaliter, verè tamen introducitur in orbem terrarum. Cui applicationi fauet, quòd cùm versio vulgata habeat (in orbem terrarū) Græcè habetur Οἰκουμένην, quod propriè sonat habitatum. Quamùis enim hic terminus incarnationi quoq; optimè respondeat, secundùm quam, [c] Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Tamen & ad Eucharistiam non incommodè referri potest: de qua communiter exponitur illud: [d] Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad consummationē sæculi. Et quod expressiùs ipse Dominus dicit: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Si ergo Angeli ex suis choris cælestibus ad tantum maiestatis opus aduolant: quid nos animalia ventris (vt vocare solet Hieronymus) ab hoc quod in nobis & pro nobis geritur mysterio subtrahimus? [e] Alioqui talis (qualis passim fit) solitariarum Missarum, frequentia, ansam dedit Luthero, & suis sequacibus, impugnare Missas priuatas, quas propterea angulares nominauit, quòd solus sacerdos cum ministro eas perageret, nec essent qui simul vota sacrificij (vt sacerdos in Canone

[a] Missarum solitariarū abusus nō vsus repræhensibilis.

[b] Angeli assistūt Missæ, quātò magis homines illā frequentent? Chrysost. lib. 6. de Sacerdotio. Et homel. 61. ad populum Antiochenum. Greg. lib: 4. Dialog. Cap. 58. Ambros. lib. de sacram Cap. 2. 1. Petr. 1. vers. 12. Hebr. 1. vers. 6.

[c] Ioan 1. vers. 14.

[d] Matth. 28. v. 20. Ioan 6. vers. 56.

[e] Missæ priuatæ perperam à Luthero damnatæ.

none dicit) iungerent, & ex altari participarent. Quod ipsum & antiquos Doctores, quamùis in feruentiori illâ christianitate cōqueri legimus. Hinc illa [a] Chrysostomi exclamatio (qua etiam priuatæ Missæ vsus asseri potest) O consuetudinem, inquit, O præsumptionem: sacramentum quotidie incassum altari admouemus: nullus qui communicetur. Hoc non, vt temerè comunicemini dico, sed vt vos dignos reddatis. Hæc ille. Non tamen propterea Missas ipsas priuatas (vt isti faciunt) condemnabant. [b] Nam & Pontifex noster, cùm sacrificium Aaronicū in cruce perageret, matrem tantùm charissimam cū dilecto discipulo, & latrone cōuerso, præsentem habuisse memoratur: & tamē Missa illa erat efficax pro redemptione totius mūdi. Similiter etiā ad institutionem huius de quo agimus sacrificij incruenti, solos Apostolos tāquā officij ministros adhibere voluit. In corrigendo igitur tali defectu, primò diligentiam eorum, qui cum potestate Ecclesiis præsunt, maiorem quàm fit, desideramus. Quæ si proficere non possit, non propterea tamen sacrificium iuge, quod non solùm loco, tempore, sed & numero & frequentia constat, deserimus. [c] Sed cum Augustino rationem reddimus: Aliud (inquit ille contra Faustū) est quod docemus: aliud quod sustinemus: aliud quod emendare præcipimur, & donec emendemus tollerare compellimur. Hæc ille.

Cap. XI. Ad eandem circumstantiam (quibus auxilijs) referri possunt illæ collationes donorum ad altare oblatorum, quæ offertoria vocabantur. [d] Immediatè enim ante ipsam oblationem, producebatur certus aliquis cantus ex Scriptura sacra. Interea verò tàm viri quàm fœminæ, præsertim qui communicaturi essent, (omnes autem antiquitus id frequentabant) conferebant ad locum altaris ea, quæ ad oblationē pertinebant, præsertim panem & vinum. Quod profectò habet aliquam instituti diuini rationem. Si enim in typo, vbi sanguis animalium offerebatur, certe in veritate, vbi sanguis Christi offertur, illud locum habere videtur, quod in lege sæpiùs inculcabatur: [e] Non apparebis ante Dominum vacuus: sed offeret vnusquisq; secundùm quod habuerit, iuxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei. Quod repetens Ecclesiasticus, reputat pro vniuersali præcepto, dicens: Hæc enim omnia propter mandatum Dei fiunt: oblatio iusti impinguat altare. [f] Quin & ipse Dominus videtur hoc intendisse, quando dicebat: Cùm obtuleris munus tuum ad altare, & illic recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ad altare munus tuum, & vade reconciliare fratri tuo. Cùm enim non loquatur de altari legali, quod abrogabat potiùs quàm statuebat, accipiendum erit de altari eius sacrificij, quod desiderio desiderabat in

[a] Chrysost. hom. 16. ad populum Antioch.

[b] Ioan 19. v. 25.

[c] Augustini præclara sententia de abusibus in Ecclesia suauiter corrigendis. Cō: Faustum lib: 20. Cap. 22.

[d] Offertorij in oblationibus populi Cærimonia circa Missam.

[e] Deuteron. 16. vers. 17. Exodi 23. ver. 15. Et Cap. 34. v. 23. Eccli: 35. vers. 6.

[f] Christus oblationem ad altare Euangelicum insinuat. Matth. 5. vers. 14. Clem. Cōstit. Apost. lib 2. Cap. 53. alias 57. Cyrillus. Ierosol: Catechesi 5. Mystagogica.

vltima cœna constituere: cuius munus, quod circa altare relinqui, & post reconciliationẽ resumi debeat, rectè intelligentur dona illa, quæ ad Synaxim pro sacrificio & eleemosyna conferebantur: vt ex Constitutionibus Apostolicis, & Liturgia Cyrilli Hierosolymitani colligimus. Clariùs hoc ipsum ex Epistola S. Pauli ad Corinthios edocemur, vbi Corinthij (quamùis non suo modo & ordine) ad Ecclesiã conferebant, non solùm panes & vina præcipua, sed cœnas etiã integras. Qualis copia cùm ad luxum etiam & æmulationem quandam inualuisset, inhibitum erat Canone 3. & 4. Apostolorum, ne quicquam præter panem & vinum offerretur. Quod interdum pecunijs fiebat, ad comparandam farinam & vinum, ex quibus cõficiebantur placentæ, propter formam rotundam, coronæ dictæ (vt colligitur ex Gregorio Magno) quæ ab oblatione, [a] Oblatorũ hucusq; nomen retinẽt: Vnde nostri Poloni & Boëmi mutuati sunt, vt talis placentula Opłát/vel diminutiuê, Opłatek/hucusq; denominetur. [b] Ex eisdẽ conficiebantur panes benedicti vel Catechumenorum, qui dabantur ad domos deportandi, ad comedendum Cathechumenis, & alijs qui ex aliqua causa ad communionem Eucharistiæ non admittebantur. Cuius in aliquot locis mentionem facit B. Augustinus. Successu temporis, crescente copia talium oblationum, reponebantur á Diaconis de manu offerentium in certam arcam, primô quidem secretò, vt nesciretur quantum quisq; reponeret: progressu verò temporis, Diaconi veluti ex Cathalogo pronuntiabant publicè, quantũ quisq; obtulisset, quasi pro liberalioribus, effusiùs quoq; in sacrificio interpellaretur. Quod postmodum repræhensum erat â B. Hieronymo, ex ea ratione, quòd redemptio peccatorum, hoc est, oblatio quæ fieri debebat pro peccatis, conuerteretur in laudem peccantium. Mos tamen offerendi panis & necessariorum ad eiusmodi oblationem semper vigebat. Hinc illa Cypriani repræhensio: Locuples matrona & diues es, Dominicum (Synaxim seu conuentum ad communionem intelligit) celebrare te credis, quæ carbonã omninò non respicis, quæ in Dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit sumis. Hæc ille. Iam verò nostro sæculo, non ea est Ecclesiarũ penuria, vt eiusmodi collationes ex necessitate requirantur. [c] Cùm tamen antiquissima consuetudo ad nos peruenerit, offertoria eiusmodi in solennioribus præsertim diebus, quibus cõmunio sacra persoluitur, à personis vtriusq; sexus, idq; sequestrato ordine peragi, indignum est ea vel prorsus omittere, & interdum quasi leuiusculam & plebeiam cærimoniam contemnere, vt in ista præsertim primaria vrbe abusus inualuit; cùm non dedecori, sed potiùs

a Oblationes hucusq; oblatorum etiam lingua Sclauonica nomẽ retinent. Greg: lib. 4. Dial. Cap: 55.

b Panis benedictus vel Catechumenorum quis. Augustin: de Catechisandis rudibus Cap:22. Et de peccat: meritis lib. 2. Cap:26. Itẽ Epist: 24. & 28. Offertorij antiquus vsus & abusus correctus. Tertull. Apolog. Cap. 39. Hieron. in Esech. Cap. 18. & in Ierẽ. Cap. 11. Cypr. Serm. de Eleemosyna.

c Offertorij ritus honori non dedecori habitus. Conc. Nicen. Cã. 11. & 13. Conc. Aurel. Cã. 5. ad 16.

honori res ista habita fuerit apud sacram antiquitatem: quando ad eiusmodi altaria nõ admittebantur publicè pœnitentes, vel qui propter aliquod impedimentum à communione sacra excludebantur. [a] Accedit quòd eiusmodi symbola ad altare â Parochianis collata, in antiquissimis archiuijs Ecclesiasticis computantur inter eos census, qui sacerdotibus altari inseruientibus cedunt: quos defraudare grande piaculum est, vt Apostolus ad Corinthios scribens copiosè disserit. [b] Alterum in eiusmodi oblationibus extremum, passim per oppida & villas inualuit: quando altaria, sub ipsa etiam actione sacra, tumultuariè onerantur, non solùm denarijs, panibus, placentis, ouis, caseis, gallinaceorum vario genere, sed & agnellis, interdum & porcellis (quod potissimùm die Parasceues vel Paschali tempore fieri solet.) Cùm tamen conueniret, ea quæ votorum vel eleemosynæ intentione rectè conferuntur, à ministris Ecclesiæ ad partem à populo recipi: & populum ad cærimoniam istam ordinatè & deuotè peragendam, ex ijs quæ dicta sunt, instruere & admonere. Ad quintam circumstantiam referendi erunt effectus & vtilitates sacrificij Missæ, quas propter meliorem commoditatem peculiari sequenti Sermoni reseruemus.

Cap. XII. Sexta circumstantia (Quomodo) inquirit modum ipsius rei: Et sic optimè correspondet cærimonijs Missæ: quarum rationem, pro nostra virili explicemus. Cærimonias autem vocamus in genere, actus, ritus, gestus, & habitus, quibus sacrificiũ Missæ peragitur. [c] Exordiri autem oportet à potissimo instrumento, ac veluti officina sacra huius sacrificij, quod est altare. Quod quantum ad materiam, saltem ad illam partem, quæ continet oblationem sacram, debet constare ex integro lapide, & quidem oleo delibutum seu consecratum, vt exemplo Iacob Patriarchæ suprâ diximus. Magis autẽ in signum, [d] quòd Christus, id est, vnctus, est lapis ille sine manibus â monte abscissus per suam incarnationem, & ab Angelis paulò imminutus: qui deinde per passionem & glorificationem suam excreuisset in montem magnum: & Ecclesiæ suæ factus est lapis angularis ad spiritualem ac cælestem exædificationem. Refert etiam formã crucis, secundùm quatuor angulos transuersales: [e] tum quòd imago crucifixi illi superponitur. Sed sua planitie refert etiam mensam, in qua ipse tanquam agnus sic immolatur, & fidelibus cõmunicatur, vt tamen semper viuus permaneat, vt suo loco satis explicuimus. Istud altare tegitur & adornatur linteis benedictis competentibus, tum in memoriam Christi ex cruce in sindonem mundam excepti, & in sepulchro inuoluti: tum vt referat mensam ad refectionem spiritualem, ad instar corporalis refectionis apparatam; triplicantur autem

a Oblationũ negatarum culpa. Fabianus 1. Papa, Epist. 1. Conc. 2. Matiscõ Cap. 4. Conc. 1. Bracarẽ Cap. 39. Conc. 2. Bracar. Cap. 6.

b Offertoria altari indigna excluduntur.

c Altare officina sacra sacrificij noui eiusq; materia, cõsecratio, & vnctio. Gen, 28. vers. 18.

d Psalm. 44. v. 7. Hebr. 1. vers. 8. Daniel 2. vers. 45. 1. Petr: 2. vers. 4.

e Altaris forma & ornatus.

tem mappæ propter ſanguinis Domini in caſu effuſionis, reuerentiorem exceptionem. Adhibentur vaſa ad miniſterium tàm excellens conſecrata: tũ vt ſacratiſsima dona dignius excipiant vel attingant: tum vt vſui ſacro ſic mancipentur, ne ad prophanos actus transferri queant. [a] Rationem eiuſmodi vaſorum, ſic pulcherrimè quondam expreſsit Concilium Triburienſe: Vaſa quibus ſacroſancta conficiuntur myſteria, calices ſunt & patenæ: de quibus Bonifacius Martyr & Epiſcopatus interrogatus, ſi liceret in vaſculis ligneis ſacramenta conficere, reſpondit: [b] Quondam ſacerdotes aurei, ligneis calicibus vtebantur: nunc contrà, lignei ſacerdotes, aureis vtuntur calicibus. Zepherinus decimus ſextus à Petro Romanus Epiſcopus, patenis vitreis Miſſas celebrari conſtituit: tum deinde Vrbanus decimus octauus Papa, omnia miniſteria ſacrata, fecit argentea. In hoc enim, ſicut & in reliquis cultibus, magis & magis per incrementa temporum, decus ſuccreuit Eccleſiarum. Noſtris enim diebus, qui ſerui patrisfamiliâs ſumus, ne decus matris Eccleſiæ imminuatur, ſed magis cumuletur & amplificetur: Statuimus vt deinceps nullus ſacerdos, ſacrum myſterium corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti Domini noſtri, in ligneis vaſculis vllo modo conficere præſumat, ne vnde placare debet, inde iraſcatur Deus. Hæc ibi. [c] Qui ergo eiuſmodi ſacram ſuppellectilem oppugnabant, erant ex genere Iudæ Iſcariotæ, qui ſumptum Deo mancipandum, ad furtum & rapinam propriam arrogabat. Tale eſt & illud apud Theodoritum: Iulianus enim Auguſtus, fidei Chriſtianæ deſertor & perſecutor, irruens in Eccleſiam, contineri à ſuis non potuit, quin verſus altare mingeret. Direpta verò Eccleſia, Felix eius quæſtor & adulator, conſpicatus ſuppellectilem pretioſam, dixiſſe in contumeliam fertur: Ecce quàm ſumptuoſis vaſis filio Mariæ miniſtratur. [d] Porrò in eodem altari candelabris ſuccenduntur cærei vel luminaria: non quòd Deus vel dies lumine ignis indigeãt: Sed primùm quidem hoc myſterio innuitur, quòd ſicut holocauſta igne, & quidem quæ gratiora erant cæleſti, comburebantur: ſic holocauſtum quod offerimus, Deus ipſe ignis conſumens eſt, quòd cæreus ex puro apum liquamine factus, & flammam ſurſum emittens deſignare poteſt. Deinde in lege, iuſſu diuino, menſa panum propoſitionis exornabatur, [e] non ſolùm alio apparatu, ſed etiã candelabris aureis, lampades iugiter ardentes continentibus. Quidni igitur pani qui de cælo deſcendit, immò qui in cælum aſcendens ſeſe pro nobis offert, & à nobis offerri vult, iſtum honorẽ exhibeamus? [f] Maximè verò, quòd ille ipſe iam glorioſus, Ioanni Apoſtolo, in medio candelabrorum ardenitum apparere voluerit:

[a] Vaſa altaris, & alia ſuppellex Eccleſiaſtica, eorúmq; ratio. Concilium Triburienſe Cap. 18.

[b] Olim calices lignei, ſacerdotes aurei, nunc cõtrà. De Conſecratione Diſtinct. 1. Cap. Vaſa.

[c] Suppellectilem Eccleſ. precioſã Iſcariotica progenies oppugnat, eiuſq; rei exẽplũ. Ioan 12. verſ. 6. Theod: lib: 3. hiſt. Cap: 11. Hiſtoria tripartita lib. 6. Cap. 32.

[d] Candelabrorũ cum cæreis circa Miſſam ratio. Deut. 4. verſ. 24.

[e] Exodi 25. v. 30. & Cap. 40. v. 4. Hebr. 9. verſ. 2.

[f] Apoc: 1. v. 13. Apoc: 4. verſ. 5. Cap: 21. verſ. 22.

Quinetiam

Quinetiam idem liber Apocalypſis teſtatur, in ciuitate illa cæleſti Ieruſalem non indigente lumine, quia Deus lux eius eſt, & lucerna eius eſt agnus, haberi tamen luminaria, & lampades laudibus diuinis adhibitas. [a] Legimus Conſtantinum Imperatorem ad fidẽ Chriſtianã conuerſum, aurea candelabra ad vſum ſacrificij contuliſſe: quæ ſanè S. Syluester, ſi præter morẽ religionis eſſet, non admiſiſſet. [b] S. Hieronymus impugnat Vigilantiũ, qui cæreos accenſos memorijs martyrum ſubtrahebat: oſtendens, quòd quamuìs neq; Deus, neq; Martyres, lumine noſtro indigeant, tamen grato animo accipiunt, quãdo nos lumina iſta accẽdimus, in proteſtationem luminis interioris, quod à Deo qui vera lux eſt, per fidem participauimus. [c] Confirmat idipſum conſuetudine Eccleſiæ, quæ ad lectionem Euangelij infra ſacrificium, cæreos quoq; accendat, in ſignum lætitiæ demonſtrandũ. Athanaſius ille magnus, inter Arianorum ſacrilegia computat, cæreos religionis Chriſtianæ idolis adoleuiſſe. Quorſum ergo noui tenebriones, veteribus ritibus temerè exterminatis, Eccleſiam Catholicã [d] ſupra montem tanquam candelabrum poſitam, in ſuorum angulorum tenebras exteriores protrudere conantur?

[a] Damaſus in vita Syluestri.

[b] Hieron: con: Vigilantium.

[c] Cærei ad lectionem Euangelij in Miſſa accenſi. Athanaſius ad Orthodoxos de perſecutione Ariana.

[d] Matth: 5. v. 15.

Cap. XIII.

Cæterùm tantum ſacrificium, non minùs offerentem quoq; ipſum exteriùs ritè excultum requirit. Si enim tanta diligentia Deus, per Moyſen miniſtros tabernaculi ſui typici adornatos eſſe voluit, vt certa etiã myſteria ornamentis addiceret: (quæ Origenes & B. Hieronymus myſticè explicãt) magis illud conueniet miniſterio tabernaculi nõ manufacti, quod non homo fixit ſed Deus, cuius viſibile miniſterium loco Chriſti cæleſtis Pontificis, ſacerdotes ſacrificantes exequuntur. Ideóq; Apoſtoli, quamuìs paupertati & perſecutioni expoſiti, in ſua tamen Liturgia (teſte [e] Clemente) veſtem ſplendidam, ad conficiendum hoc myſterium requirunt. Quorum quidem veſtimentorum ſicut & aliorum quæ fiunt circa ſacrificia, ſignificationes explicuerunt ſatis aliqui ſcriptores ſacri. Nobis ſatis erit, ſingula applicare intentioni memoriæ paſsionis Chriſti, & verbis quæ ad ſingula eorum à ſacerdote proferuntur. [f] Primò igitur ſacerdos ſacrificaturus, abluit manus. Qua ablutione poteſt recoli lotio illa, quam Dominus in vltima cœna inſtitutioni huius ſacrificij præmiſiſſet. Moraliter autem proteſtatur ſacrificaturus munditiem internam à maculis peccatorũ, in lege quoq; vſitatam: iuxta illud quod talibus miniſtris propriè dicitur: Mundamini qui fertis vaſa Domini. Quod & ipſa monet precatio, qua tunc vtitur ſacerdos inquiẽs: Da Domine virtutem manibus meis, ad abſtergendum omnem maculam, vt ſine pollutione mentis & corporis valeam tibi ſeruire. De illa etiam forſan

Sacerdotis offerẽtis habitus, eiuſq; myſteria. Exodi 28. ver. 3. Origenes in Leuiticum hom: 6. Hieron: Epiſt. ad Marcellam. Hebr: 8. verſ. 2. Ambroſ. lib: 10. Epiſt. 82.

[e] Clemens Cõſt. Apoſt: lib: 8. Cap: 12. aliâs 16.

[f] Manuum Sacerdotis ante Miſſam ablutio. Ioan 13. verſ. 5. Exodi 30 ver. 18. Iſai: 52. verſ. 11.

taſsè

a Tertull: Apologetici Cap. 39.

tasse intellexit Tertullianus, [a] quando recensendo similes ritus, dicit: Post aquam manualem, & lumina. Per lumina quoq; siue dubio iusinuans cæreos circa Missam, de quibus suprà diximus.

b Amictus capitis quid signat.

[b] Deinde ex vestibus primò accipit amictum: Qui quatenus in quibusdam antiquis ritibus capiti imponitur, sic vt oculos etiam obuelet. Inseruiet primò commoditati meditationis circa tantum mysterium. Sicut

c Macrobius Saturnalium lib. 13. Cap. 2.

[c] ad sacra Romanorum prophana, legimus olim capita litantibus fuisse velata: præcone interim acclamante vocem istam: Hoc age. Quod magis in vero Dei sacrificio est obseruandū, vbi sursum corda nos ad Dominū habere, acclamamur. Deinde amictus iste significabit

d Lucæ 22. v. 64. Ephes: 6. vers. 13.

velamentum illud faciei Saluatoris impositum, dicendo: [d] Propheтiza Christe, quis est qui te percussit? Quatenus autem collo & humeris circumdatur, denotat illam armaturam contra hostes spirituales ab Apostolo descriptam, cuius victoriam in tali sacrificio redemptor noster nobis initiauit. Quod exprimunt verba cùm sacerdos dicit: Impone Domine capiti meo galeā salutis, ad expugnandos diabolicos incursus.

e Poderis seu vestis linea quid designat. Exodi 28. vers. 4. Sap: 18. vers. 24. Apoc: 1. vers. 13. Origenes homel: 9. in Exodum.

[e] Tertiò, sacerdos indutus Alba, quæ est vestis talaris inferior, linea, in lege veteri per Poderim designata: repræsentat Dominum nostrum, quando indutus veste alba in ludibrium ab Herode, ad Pilatum vt crucifigeretur erat remissus: quod & sacerdos ad sui & populi, pro quo oblaturus est, interiorem per virtutem istius sacrificij purgationem sic accommodat: Dealba me Domine, & munda cor meum, vt in sanguine agni dealbatus, gaudijs perfruar sempiternis.

f Cinctura triplex quid denotat.

[f] Consequitur cinctura triplex: Prima per medium, quæ congruit alligationi Christi ad columnam in flagellatione apud Pilatum: Reliquæ duæ in collo & in manu, applicandæ erunt alligationi Christi tàm in collo quàm in manibus, quæ fiebant tàm in horto, quàm quando ad iniquos iudices & ad locum passionis ducebatur.

g Lucæ 12. v. 34.

In prima sacerdos expendit spiritualem cincturam, [g] qua Dominus iubendo lumbos præcingere, castitatem & puritatem spiritualem & corporalem edocet: quæ maximè ad oblationē istam mundam agni imaculati requiritur.

h Manipuli significatio. Psalm. 125. ver. 6.

[h] Secundam quę fit in manu (ideóq; manipulum dictam) accommodat sacerdos ad tolerantiam in perferendis aduersitatibus & compassionibus Christi, ad gloriæ mercedē acquirendā. Quod sacerdos (veluti alludens ad illud Psalmistæ, Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos) taliter exprimit: Merear Domine portare manipulum fletus & doloris, vt recipiam mercedē laboris.

i Stolæ cinctura quale mysterium. Lucæ 15. vers. 22. Apoc: 22. ver. 14.

[i] Tertia alligatio, quæ fit in collo, refertur ad ornamentum spirituale in recuperatione stolæ innocentiæ, primò quidem in

Paradyso

Paradyso amissæ, deinde in baptismo resumptæ: quæ stola parta est sanguine Christi, qui in subsequēti sacrificio Deo Patri sit offerendus. Ideò ad talem pręcinctum dicit sacerdos: Redde mihi Domine stolā immortalitatis, quam perdidi in præuaricatione primi parentis: Et quamuìs indignus accedo ad tuum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.

a Casulæ seu planetæ mysterium. Ioan 19. v. 2. & 5.

[a] Postremò imponit vestem superiorem, quæ dicitur Casula, vel Planeta, quę secūdùm qualitatem officiorum Ecclesiasticorū colore variare solet. Signat autem purpuram, qua Dominus à Pilato fuerat post flagellationem indutus, & ab eo solenniter in opere nostræ redemptionis per sanguinem, proclamatus hac voce: Ecce homo: & vicissim à Iudæis cum posteritate sua reprobatus, quando clamabant: Non habemus Regem, nisi Cæsarem: Tolle hunc, & crucifige. Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Ideò hac potissimùm veste sacerdos ad altare est conspicuus.

b Crucis vel columnæ super Casulam designatio.

[b] Cùm autem statim post acclamationē illam Iudæorum, & Pilati condemnationem, Dominicis humeris fuerit crux propria imposita: hac ratione Casula illa insignitur cruce, siue in anteriori parte, in posteriore autem stipite crucis in longum extenso, vt sic deportationis habitus exprimeretur: siue integra cruce in posteriori parte Planetæ efformata, vt situs Christi iam cruci affixi efformaretur: iuxta illud Isaiæ: Regnum eius super humerum eius. Istum autem amictum sacerdos applicat sibi ad sequenda Christi passionis vestigia. Ideò sic orat: Domine qui dixisti:

c Isai. 9. vers. 6. Matth: 11. ver. 30.

[c] Iugum meum suaue est, & onus meū leue: fac vt istud sic portare valeam, quòd consequar tuam gratiam.

d Vestitus offerētis sordidus, vel nimis cultus perstringitur. Zachar: 3. vers. 2.

[d] Porrò in tali habitu seu vestitu, sicut in alia suppellectili sacra, seruandus est modus. Sunt enim pleriq;, qui cultu quidem proprio nitent, & ad altare vili, maculato, & interdum fœdato & lacero habitu accedunt, illudq; ipsum similiter vestiunt. Tales cùm personā Christi Pontificis cælestis gerant, videntur illi tunc illudere cum diabolo, cui ipse coram Deo Patre, sordido & lacero vestitu legitur improperasse.

e Hieron: Epist. ad Nepotianū & Demetriadem. Psalm. 44. ver. 14. Matth: 23. ver. 25. Micheæ 1. vers. 7.

E conuerso, qui ornatus preciosos, & mundani luxus æmulos vndequaq; coaceruant, [e] isti S. Hieronymo Iudaisant, quòd Ecclesiam Christi ad intus gloriosam, cultu externo Iudaico commendabilem esse volunt. Inuenias etiam (proh nefas) eos, qui omnis generis indumenta, luxurijs vtriusq; sexus superflua, interdum ex quęstu Iudaico redēpta, sacratissimo altaris cultui inferunt. Quibus conuenit illud Prophetæ: Quia de mercedibus meretricum congregata sunt, & vsq; ad mercedem meretricis reuertuntur. Quod certè viderunt oculi nostri: quando in Ecclesiis, præsertim per Hæreticos prophanatis & direptis, vestes sacræ cedebant ginæcijs ministrorū, atq;

 cunis

cunis sacrilegi puerperij applicabantur, quòd fortassè aliquæ à similis prophanis vsibus, fuissent cultui diuino obtrusæ.

a Missa vt alij actus Christianorum, signo Crucis inchoatur.
Tertull: de Corona Militis.
Dionys: Ecclesiasticæ Hierarch. C. 4. Chrys. hom. 55. in Matth.
August: tract. 118. in Ioannem.

Cap. XV.

a Iam verò postquam peruentum est ad altare, dispositis quæ in illo necessaria sunt ad ministerium, sacerdos primò consignat se signo crucis dicens: In nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti. Amen. Consignatio quidem ista, fuit commune exordium ad omnes actus antiquissimis Christianis, vt scribit Tertullianus: & testibus Dionysio, Chrysostomo, & Augustino, per illam, omnia sacramenta, & hoc ipsum sacrificium, perficiebantur. Ideò in antiquis Liturgijs legimus quoq; fuisse obseruatam: quæ consignatio congruenter etiam fit cũ auspicio & inuocatione sanctissimæ Trinitatis. Deinde alternatim cum ministro, vel alijs Missæ auditoribus, sacerdos recitat Psalmum 42. duplici ratione.

b Psalmi Iudica me Deus &c. recitatio ante Missã.

b Primò propter versiculum inchoando sacrificio accommodatũ: Introibo ad altare Dei, &c. propter quam caussam idem versiculus in formam Antiphonæ, eundem Psalmum inchoat, & concludit. Altera ratio est: quia idem Psalmus futuræ mox confessioni est accommodus, quòd prima illius verba indicant: & quia mentio fit tabernaculorum in monte sancto Dei, quæ intelligi hoc loco possunt de tabernaculis duplicis sacrificij Christi, quæ c suprà ex verbis S. Pauli ad Hebræos exposuimus: quod sequens versiculus (Introibo ad altare Dei) comprobat. Sequitur immediatè Psalmum illum,

c Supra serm. 6. Cap. 13. & 21.

d Confessio generalis cur præcedit Missam.

d Confessio generalis, Ecclesiæ vsitata, cum formula, non absolutionis (vt fit in sacramentali) sed deprecatoria. Misereatur tui omnipotens Deus, &c. quæ dicitur primò à sacerdote, deinde à ministro, & assistentibus. Cuius duplicem quoq; rationem obseruamus: primò, humilem suipsius expurgationem, ad tantum mysterium dignè peragendum, iuxta illud: e Iustus prior est accusator sui. Deinde confessio ista offerentis cum populo communis, potest referri ad illum typum, f quando hirco vno imolato, alter viuus assumebatur, in cuius viua etiam oblatione, sacerdos imponebat manum suam capiti eius, confitendo peccata totius populi: quæ hircus ille, quasi in se assumpta, in desertum, tanquam postea non imputanda, deportabat. Insinuat igitur sacerdos ista confessione, quòd peccatorum propriorum & populi in sacrificio illo futura expiatio, nitatur illa oblatione, quam Pontifex noster in cælis g deserto & quieti comparatis, sua perenni pro nobis interpellatione exequitur. Eius confessionis vsus antiquu potuit etiam fieri ea ratione, vt ad communionẽ sacram tunc omnibus vsitatam, excitatione contritionis, & reconciliatione quadam, sacerdos & populus præpararentur.

e Prou: 18. v. 17.
f Hirci emissarij typus. Leuit 16. v. 7. 21. Vide infra sermone 8. Cap. 18.
g Lucæ 15. v. 4. Apoc: 12. v. 14.
h Altaris osculũ & thuris suffitus.

h His dictis sacerdos recitans certam orationem, ascendit ad supremum gradũ altaris,

taris, illudq; osculatur: in signum reuerentiæ, quod (vt a suprà ex visione Iacob explicuimus) esset velut porta cæli, & scala, cælestia cũ terrenis per sacrificium comunicans; tum quòd in illo corpus Christi & conficiatur, & plerunq; asseruetur, & (vt suprà diximus) reliquiæ sanctorũ necessariò contineantur. Si autem & istam cærimoniam, ad passionis Dominicæ memoriam, quæ tunc inchoatur, reuocare volumus: b dicemus osculum illud, signare osculum in horto, quod erat traditionis pro nobis symbolũ. Quamuis enim illud Iudas fraudulenter infixit: tamen Dominus illud summa charitate excepit, proditorẽ amici titulo compellans. Sicut enim carnis nostræ vnionẽ susceperat similitudine osculi, secundùm illud Canticorũ 1. Osculetur me osculo oris sui: sic dici potest, quòd Iudas sceleratissimus, statum veluti gerens perditissimi generis humani, peccata totius mundi inflixit Christo, c vt tanquam agnus innocens ea reciperet, & quæ nõ rapuisset, pro nobis exolueret. Et sic iustitia & pax inuicem osculatæ, redemptionem nobis conciliarent.

a Gen. 28. v. 17. Supra serm: 8. Cap. 15.
b Osculi Iudæ mysterium. Marci 14. vers. 44. Lucæ 22. vers. 48. Cantic. 1. vers. 1.
c Isai. 53. vers. 6. Psalm. 68 vers. 5. psalm 84. vers. 11.
d Thuris incensi circa sacrificium ratio.

d Postea sacerdos altare incensat thure. Quod primùm videtur à iure naturali profectũ, cùm apud omnes gentes, summus Dei cultus, thure plerunq; exhibeatur. e Quod tamen (sicut & de alijs liber Machabæorum attestatur) eos ex lege diuina mutuatos esse, existimandũ est: quando in lege Mosis cultus Dei per thymiamata seu suffitus copiosè edocetur, & præcipitur, vt constat Exodi Capite 25. 30. 35. & sequentibus. Hinc inter Magorum Christum infantem adorantium munera, fideli simul & infideli ritu, thus tanquã Deo destinatur. Iam & ipse thuris suffitus suo fragranti ascensu, orationis symbolum continet, dicente Psalmista: f Dirigatur Domine oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo. Et in Apocalypsi, incensa ex thuribulis, explicantur ab Angelo esse orationes sanctorum. Insuper suffitus eiusmodi circa cultus sacratissimos, designant Dei inconspicuitatem, qui in nebula & fumo sanctissimis etiam viris apparere dignabatur.

e Numer. 16. v. 6. 17. 3. Regum 13. v. 1. 1. Machab. 3. ver. 48. Matth. 2. vers. 11.
f Psalm. 140. v. 2. Apoc. 3. v. 8.

Cap. XVI.

g Introitus quid, & cur Missæ initium. Dionys Eccl: Hierarh. Cap. 3.

g Porrò initium ipsius Missæ, propriè reputatur ab Introitu, qui cõstat ex aliqua sententia scripturæ, præsertim Psalmorum, tempori accommodata: & concluditur Antiphona, Gloria Patri. &c. Origo eius apparet esse ex Apostolica institutione. Nam apud Dionysium Areopagitam habemus Psalmos præmissos fuisse Missæ: idem testatur Liturgia Basilij. Sed cùm postea liber Psalmorum per singularum horarum officia distinctus fuisset, reseruati sunt aliqui Psalmorum versus, vel ex alia scriptura, sententiæ, quæ præsenti memoriæ & deuotioni congruerent: quarum antiquitatem ipsa etiam versio ex septuaginta Interpretibus plerunq; desumpta, quæ temporibus Apostolorum erat vsitata, arguit. Quod

igitur eius institutio Cælestino Papæ à quibusdam tribuitur, sic intelligendum est, vt vel primus ille à Gręcis istum ritum fuerit mutuatus, vel certas Psalmorum & Scripturæ partes ad hoc ordinauerit.

a Introitus vnde dictus.

Dictus est autem Introitus: a primò, quod Missæ esset initium: secundò, quòd ad Introitum sacerdotis, vel populi etiam pleniorē conuentum, aliquid canebatur, & fortasse secundùm necessitatem producebatur. Tertia ratio potest dari mystica.. Quia dum plerunq; ex veteri testamento desumitur, potest designare primitias fidei, simul & spei, antiquorum Patriarcharum & Prophetarum, ad consequendū effectū redemptionis nostræ per Christum Messiam: secundū quod ipse Dominus dicebat Apostolis: b Ego misi vos metere quod non laborastis: alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis. Hoc etiam insinuat Apostolus dicens: Habentes igitur fiduciam in introitu sanctorum, per sanguinem Christi, quam initiauit nobis viam nouam & viuentem, per velamen, id est, carnem suam, &c. Quòd autem dicto Gloria Patri, &c. repetitur idem Introitus: sic applicare possumus, quòd lex vetus promissionum, per legem nouam gratiæ fuisset consumāta, c iuxta illud: Lex per Mosen data est, gratia autē & veritas per Iesum Christum facta est. Ideò idem Apostolus postquam postea recensuisset quædam merita & præmia antiquæ legis sanctorum, sic concludit: Et hi omnes, testimonio fidei probati, acceperunt repromissionem: Deo pro nobis meliùs aliquid prouidente, vt non sine nobis consummarentur. Huic autem repetitioni Introitus, inseritur Antiphona, d Gloria Patri, &c. tanquam cōmune Epiphonema, quo singuli Psalmi antiquitus concludebantur. Cuius originem falsò aliqui attribuerunt Epistolis Hieronymi & Damasi: cùm & ipsæ Epistolæ non sint adeò authenticæ, & ante ipsas legamus apud S. Basilium de isto versiculo seu Antiphona, quandam discussionem. Intelligimus igitur ex Theodoreto & Sozomeno, cantum illum cœpisse pullulante Arianismo: quando Ariani ad confirmandam suam hæresim, coniunctiones illas Apostolo familiares Patris, & Filij, & Spiritus sancti, retorquebant ad gloriam solius Patris: ex illis præsertim verbis ad Galatas: e Vt eriperet nos de præsenti sæculo nequam, secundùm voluntatem Dei & Patris vestri: cui est gloria in sæcula sæculorum Amen. Ideò in hunc sensum sic illi suis cœtibus occinebant: Gloria Patri, per filium, in spiritu sancto: illum fortasse locum imitati, quando idem Apostolus alibi scribit: f Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula Amen. Catholici igitur, sic ad veritatem suæ confessionis in suis Ecclesiis opponebant: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sequentia

b Ioan 4. ver. 38. Hebr. 10. ver. 19.

c Ioan 1. vers. 17. Hebr. 11. vers. 39.

d Antiphonę Gloria Patri &c. antiquitas in Ecclesia. Hieronymi Epist. ad Damasum: & è conuerso. Basil. lib. de Spiritu S. Cap 28. Theodor. lib. hist. 2 Cap. 24. Socrates lib. 3. hist. Cap. 19. Rom. 11. ver. 16. Galat: 1. vers. 4. Rom 11. ver. 36.

e Galat: 1. ver. 4.

f Rom: 11. ver. 36.

quentia verò verba (Sicut erat in principio & nunc & semper, &c.) addita fuerunt propter eosdem Arianos, quatenus non solùm consubstantialitatem, sed etiam æternitatē filij Dei oppugnabant. Quod postea à Græcis mutuati fuerunt Latini, postquam illorum Ecclesiis fermentum Arianum inoleuisset. a Introitui proximè succedit,

Cap. XVII. Kyrie eleison, quod ex Græco Latinè sonat, Domine miserere. Hoc, vel ipsa vox hucusq; retenta, à Græcis profluxisse arguit: vt etiam antiquissimæ Liturgiæ Iacobi, Clementis, Basilij, & Chrysostomi attestantur: Græci Litaniam seu supplicationē vocant, quòd ante propitiationem in sacrificio subsecuturam, imploretur Dei misericordia, quæ sacrificij meritum anteuertit, iuxta illud: b Misericordiam volo, & non sacrificium. Altare siquidem ad quod accessit sacerdos, est verè Ara illa misericordiæ, Βώμος τȣ̃ ἐλέȣ, quam olim finxerunt Athenienses: vt propterea ad illam prima misericordiæ deprecatio fieri debeat. Repetitur autem nouies, ad denotandam æqualitatem diuinitatis, in singulis tribus personis: vt quod nimirum quoad naturam conueniret primæ personæ, idipsum non minùs secundæ & tertiæ personæ attribueretur: iuxta illud in symbolo Athanasii: Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus: & tamen non tres Domini, sed vnus est Dominus. Perperā igitur moderni aliqui Cantores, propter suæ symphoniæ, nonnunquam sæcularis productionem, istum cantum ad septenam duntaxat repetitionē abbreuiare præsumunt. Eum Græcorum antiquorum ritum, nostri etiam Græci vel Rutheni retinent, quando agnata nostris Polonis lingua, hanc ipsam supplicationem multiplicant his verbis: Hospody pomiłuy: quod est, Domine miserere. Hoc Latinas Ecclesias antiquitus ad suas Missas adsciuisse docet c B. Gregorius, & ipso longè antiquius Concilium Valense. Sed Latini expressiùs distinguunt mysterium diuinissimæ Trinitatis, quando secundæ personæ attribuunt propriā notionem, quatenus Verbum incarnatum, tanquam vnctus seu Messias, redemptionem nostram operatus est. Post imploratam Dei misericordiam, d progreditur minister diuinus ad persoluendas Deo laudes, singulariter autem pro beneficio redemptionis nostræ per incarnationē filij Dei partæ. Ideò eam ad rem accommode vtitur hymno per Angelos tempore Christi nati hominibus veluti initiato, & tradito, Gloria in excelsis Deo, &c. Et primò quidem verbis Angelicis refertur gloria ad personam Dei Patris: deinde progreditur ad personam filij, cuius beneficia præsertim redemptionis cōmemorantur: postremò concluditur hymnus confessione & laude totius diuinissimæ Trinitatis. Institutio istius hymni communiter adscribitur Thelesphoro,

a. Kyrie eleison quid sibi vult in Missa.

b Matth: 9. v: 13. Ara misericordię Atheniensium verè spectatur in Missa. Plutarchus lib. 1. Opusculorum de persecutione. Pausanias in Atticis lib. 1.

c Gregorius Magnus lib. 7. Epist. 63. Concilium Valēse Can. 3.

d Hymnus Gloria in excelsis Deo quomodo pertinet ad Missam.

lesphoro, qui erat octauus in Cathedra Romana S. Petri successor. Nonnulli attribuunt S. Hilario Episcopo Pictauiensi. Sed cùm illum ad verbum ferè legamus in Constitutionibus [a] S. Clementis, quamuis loco diuerso, & in Liturgia S. Iacobi, conijcimus eum ex Apostolorum institutione processisse, sed à Thelesphoro, Cælestino, & Hilario (vt fidem referentibus reseruemus) auctum fuisse, vel in comunem vsum, quem etiam Concilium Toletanum confirmauit, introductum. Illud quoq; obiter obseruauimus, in ista communi Christianorum Liturgia, singulariter honoratam esse triplicem linguam, per quas Dominus legem suam, & titulum Regni sui per crucem, manifestari voluit. [b] Nam linguæ Hebraicæ videtur peculiariter attribui Introitus, qui plerunq; ex veteri testamento, & interpretibus illis Hebraicis desumitur. Deinde Græca dialecto reseruatũ est etiã apud Latinos Kyrie eleison. Postremò, Latina lingua non destituitur sua prærogatiua, quando constat, hymnum prędictum Angelicum in Ecclesiis Latinis, si non institutum, tamen auctum, & in vsum comunem fuisse introductum. Qui tamen quia iubilationem cælo cum terra communem, de beneficio Incarnationis continet, propterea temporibus ferialibus vel lugubribus omitti solet.

a Clem. Const. Apost. lib. 8. Cap. 13. alias 19. Valfridus de obseruationibus Ecclesiast: Cap. 22. Innocentius 3. de Missæ myst. lib. 2. Cap: 20. Micrologus Cap. 2. Concilium 4 Tolet. Cap. 15.

b Missæ exordiũ triplici lingua sacratiori honoratum, quomodo.

Cap. xviij.

Iam verò confessionem & laudem optimo ordine sequitur oratio communis. Cui duplex præmittitur apparatus. Primò, quando sacerdos [c] versus populum dicit: Dominus vobiscum: ipso vel loco eius Ministro respondente: Et cum Spiritu tuo. Est autem formula antiquis Liturgijs vsitata, salutationis charitatiuæ pastoris erga gregem suum. Ideo superiores pastores seu Episcopi, prima ista vice dicunt, Pax vobis: cùm Dominus pacem suam in alios diffundendam propriè reliquisset Apostolis suis, in quorum locum Episcopi succedunt. Vtraq; autem formula, est quædam compellatio & inuitatio populi fidelis ad comunicationem orationi, per offerentem mox faciendæ, & aliorum sequentium mysteriorum. Ideò ad singulos ferè actus sacrificij populo cum sacerdote comunes, præmittitur: cum eiusdem populi quasi resalutatoria & approbatoria responsione. Conuertitur autem sacerdos ad populum ex necessitate, vt eum aspiciat. Alioqui in altaribus versus populum porrectis, in suo loco verba ista enuntiat. Quòd autem manibus versus populum explicatis, & mox erga seipsum contractis, hæc verba profert, quod mente, idipsum gestu insinuat: nimirum orationis dicendæ vota à toto populo desumpta & collata, suæ ad Deum orationi coniungere. Porrò formula ista (Dominus vobiscũ) sumpta est ex aliquot [d] sacrę scripturæ locis, vbi salutatio cum bonis rerum auspicijs intenditur; præsertim ex salutatione

c Dominus vobiscũ, qualis versus populum salutatio. Alias pax vobis. Ioan 20. vers. 21.

d Iudicum 6 ver. 12. 13. Ruth 2. vers: 4. Lucæ 1. vers. 28.

salutatione Angeli ad Mariam virginem, quæ erat singulare auspicium aduentantis reparationis nostræ. Secundus apparatus orationis, est quædam excitatio attentionis, ad communem orationem, quando sacerdos reuersus ad faciem altaris, & inclinatus, orationi dicendæ præmittit: Oremus: quod etiam priscis Liturgijs seu formulis est vsitatum. [a] Posthæc recitatur à sacerdote Oratio, vna vel plures: quæ etiam dicitur Collecta, sine dubio à collectione: siue quòd (vt proximè dictum est) sacerdos populi vota quasi in vnum recollecta, ista communi oratione, Deo infra sacrificium offerat. Vt sic [b] Collecta sit, veluti propositio rerum in Missa petendarum: siue quòd apud antiquos Christianos, ipse conuentus sacer, dicebatur collecta, quæ collectio potissimùm intendebatur ad Deum placandum, vel aliquid impetrandum. Institutio autem Collectarum referri potest ad illud Apostoli quando scribit: Obsecro primùm (in Ecclesia) fieri obsecrationes, orationes, postulationes, &c. quemadmodum istum locum alibi explicuimus: Quas postea in vsu fuisse antiquitati, testantur Iustinus & Tertullianus. Quãuis autem plerunq; ad Deum Patrem diriguntur: tamen eo modo, quo ipse Dominus instruit dicens: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. [c] Ideò semper tales orationes concluduntur mentione totius sanctæ Trinitatis: quod etiamsi non esset, tamen oratio qua solus Dominus Pater compellatur, includit etiam filium, & Spiritum sanctum, propter essentiæ vnitatem, vt docet Tertullianus. Non tamen inusitatum est, tales orationes, secundùm petitionis rationem, ad filium quoq;, & Spiritum sanctum dirigi, cum associatione tamen personæ Dei Patris: quandoquidem & filius legitur [d] Spiritum sanctum se missurum à Patre, vel Patrē eum mittere in nomine suo. Et Spiritus sanctus dona & charismata sua dat cui vult, vt Apostolus attestatur: cùm secũdùm Theologos, opera Trinitatis ad extra sint indiuisa. Apparet autē ex antiquis Liturgijs, Collectas eiusmodi fuisse prolixas. Sed postea Ecclesia Romana reduxit eas in formam breuissimam & cōpetentissimã, ad instar formulæ orationis ab ipso Domino traditæ, quę breuissimè omnia petenda complectitur: vt populus faciliùs eis attendere, & ad simul orandum memoria compræhendere, possit. [e] Ideò rationabiliter à quibusdam antiquis Concilijs prohibitum fuit, ne præter vsitatas Ecclesiæ orationes, aliæ in Missa admitterentur. In quo tamen, post Missale Romanum ad ritum antiquissimũ reuocatum & expolitum, quòd alicubi à superioribus conniueatur, vt alij ritus vel preces admisceantur, non planè laudabile est. Illud verò prorsus non ferendum, quando non rarò videmus aliquos sacerdotes, siue errore, siue fauore,

a De orationibus Missæ seu Collectis.

b Collecta vnde dicta: Strabo de rebus Eccl: Cap: 21. Micrologus C. 3. Innocent: 3. lib: 3. Cap: 24. Tertull. de fuga & persecutione. August. in Breuiloquio, collatione 3. Hieron. in vita Ioannis Apostoli. 1. Timoth. 2. v. 1. Iustinus Apologia 2. Tertull. in Apologet. Cap 39.

c Orationes Missæ diriguntur ad S. Trinitatem. Ioan 16. vers. 23. Tertull. lib. de Oratione.

d Ioan 14. v 26. Ioan 15 vers. 26. 1. Cor. 12. ver. 11.

e Orationes pręter Ecclesiasticas in Missis prohibitæ. Concil: 3. Carthaginen: Cap. 24. Concil. Mileuitanum Cap. 12. Conc. Aphricanum Cap. 3.

fauore, siue fœnore, ad libitum: aliquando etiã superstitiosum, muliercularum ambitum, non solùm collectas, sed ipsa aliquando Missarum officia, immutare, variare, vel confundere: & in eis aliquas res superstitiosas benedicere. [a] Porrò, sicut primæ in Missa orationes vocantur Collectæ, ex rationibus suprascriptis: sic mediæ dicuntur secretæ, quod in Canone maiori, sicut & reliqua, non clara voce pronuntientur. Vltimæ verò orationes vocantur Complendæ, quòd nimirum sacrificij cultum per gratiarum actiones compleant, siue cõcludant. Postremò in cõclusione omnium orationum dicitur, [b] Amen: in secretis quidem per ipsum sacerdotem, in Collectis autem & Complendis per populum, vel si desit, per ministrum: Quæ quidem vox sonat tàm approbationem ipsius orationis, quàm votum diuinæ exauditionis, vt Apostolus ad Corinthios explicat. Græci autẽ ad eandem sententiam vtuntur verbo γένοιτο, quod Latinis est, fiat. Latini tamen & Græci aliqui retinuerunt Amen, vt ex Iustino, Hieronymo, Augustino, & alijs constat. Orationem seu Collectam immediatè sequitur [c] lectio Epistolæ: quæ desumi solet ex aliqua Epistola Apostolica, interdum etiam ex aliqua Prophetia, vel alia scriptura veteris testamenti. Origo eius vel institutio, licèt ab aliquibus attribuatur Hieronymo, ex leui coniectura Epistolæ eius ad Damasum: reuera tamen ex institutione Apostolorũ censetur esse profecta. [d] Nam & Dionysius Areopagita in officio Liturgiæ illius meminit. Et Philo Iudæus describens ritus contemplatiuorum (quos Christianos sub institutione S. Marci Euangelistæ intelligimus) testatur, eos semper aliquid legisse ex Prophetis vel scriptis suorum Principum: quo nomine (vt plerunq; & Dionysius) Apostolos intelligit. Potiùs igitur ex more Ecclesiæ adhuc in quibusdã ritibus Iudaisantis, mos quoq; iste retentus erat, vt lectio scripturæ synagogis vsitatissima, [e] cuius exemplum non solùm in Apostolis, sed in ipso etiam Domino obseruatum legimus, etiam in Synaxi (vt loquitur Iustinus Martyr) hoc est, in conuentu Eucharistico, retineretur. Quod etiam intelligitur ex eo loco, quando Apostolus Colosensibus Christianis præcipit, vt lecta sua Epistola, eam quoq; Ecclesiæ Laòdicensi legendam mitterent. Similiter Clemens Romanus post lectionem veteris Testamenti, legi iubet Epistolas Pauli, & à seipso conscriptas. [f] Epistolæ succedit cantus qui communiter dicitur Graduale. Estq; apparatus quidam per cãtum ex scriptura aliqua veteris Testamenti, ad successurã mox lectionem Euangelij, [g] quod quia magna solennitate & attentione esset pronuntiandum, post lectionem Epistolæ requirebatur aliquod spatium, in quo & benedictiones, cæreorum accensiones, thurificati-

a Collectæ, Secretæ, & Complendæ, quales in Missa orationes.

b Amen quid sonat, & quãdo per quos dicitur. 1. Cor 14 v. 16. Iustin: Apolog. ad Anton. Hieron. in Prologo ad Galatas. August. Epist. 107 Et de doctrina Christiana lib. 1. Cap. 11.

Cap. XIX.

c De lectione Epistolæ in Missa.

d Dionysius Ecclesi: Hierach. Cap. 3. Philo de vita Cõtempl:

e Act. 13. v. 14. & Cap. 17. vers. 2. Lucæ 4. vers. 16. Colos. 4. vers. 16. Clemens Cõstit. Apost. lib. 2. Cap. 57. alias 60.

f Graduale, Tractus, corúmque versus.

g Euangelij pronunciandi apparatus.

ones, & aliæ cæremoniæ ad lectionẽ Euangelicam [a] præpararentur: & antequam Diaconus Euangelium lecturus, conscenderet supremũ gradum pulpiti siue ambonæ, quæ erat cathedra æditior: ἄμβων siquidem Græcis culmen seu fastigium montis significat. Et inde probabile est, dictũ fuisse Graduale: sicut etiam Tractum crediderim dictum fuisse à protrahendo illo cantu, quantum postularet ratio, vel cærimoniarũ, vel etiam popularis deuotionis. Idipsum arguit cantus rythmicus, dictus Prosa, quòd nimirum nõ carmine sed rythmo tantùm decurrat: sicut & alio nomine dicitur Sequentia, quòd inchoationem Euangelij per verbum (Sequentia) immediatè præcedat: quæ nõ ex necessitate, sed pro temporis opportunitate, vel decantari, vel omitti, solet. Ista autem officij Missæ pars, in cantu & ipso textu, lugubris plerunq; esse solet, maximè quãdo diebus lugubrioribus ad Graduale additur etiã Tractus. [b] Rursus verò solennioribus Missis loco Tractus, ponitur cum suo versu, & quidem duplicatum Alleluia: quæ est vox lætitiæ & iubilationis cælestis. Ideo [c] Dauid Psalmis iubilatorijs præsertim vltimis, apposuit titulum Alleluia. Quod tempore tantùm lætitiæ & solennitatis esse decantandum, maximè verò in Ecclesia triumphante, docet Tobias sic inquiens: » Et per vicos eius (Ierusalẽ cælestis) Alleluia cantabitur.[d] Quod idem in Apocalypsi cap. 19. aliquoties repetitur. Sicut igitur in Ecclesia pœnitentiæ status exprimitur, per Litanias & alios cantus lugubres: sic status gratiæ, ad imitationem cælestis Hierarchiæ, exprimitur per Alleluia. [e] Cuius vsum in Ecclesia, non à Gregorio primò incœpisse, vt quidam perperam colligunt, sed in Ecclesia antiquissimum & familiarem extitisse, ex S. Hieronymo & Augustino colligimus: qui testantur vocem istam à Græcis & Latinis fuisse reseruatam in honorem Ecclesiæ Hierosolymitanæ, á qua ad Græcos & Latinos peruenisset. Sed potiùs intellexerim hîc Ierusalem cælestem, cui propriè talis iubilatio apud Tobiam & in Apocalypsi attribuitur, vt iam diximus. Finito Graduali, & [f] dicto Dominus vobiscum, cum sua responsione, & ad titulum Euangelij post responsionem, Gloria tibi Domine (quem ritum antiquum esse, ex Chrysostomo constat) recitatur, vel tono Ecclesiastico cantatur Euangeliũ, officio de quo fit Missa accommodatum. Et iusta quidem ratione, vt ante refectionem panis de cælo descendentis, quæ fit in sacrificio & cõmunione, præcedat refectio spiritualis in sola anima, quæ fit per verbum Dei: qualem vtrunq; panem, paulò post in Oratione Dominica expetimus. Ideò eius vsus apparet esse in antiquissimis Liturgijs Græcis simul & Latinis, similiter & in posterioribus Concilijs. Imò scribit Clemens Ro-

a Ambona, Graduale, Tractus, Prosa vel sequentia, quid?

b Alleluia qualis vox, & quãdo canitur.

c A Psalmo 145. ad finem Psalterij

d Tobiæ 13. v. 22 Apoc. 19. v. 1. 2. 6

e Cantus Alleluia Origo: Greg. lib. 7. Epist: 63. Hieron: in Epist. ad Marcellã: Lætam: Et in Epitaphio Fabiolæ. August. de doctr. Christiana Cap: 2 Et Epist: 118. 119. & 178.

Cap. XX.

f Euãgelij in Missa lectio vel decãtatio. Chrysost: homel: 8. in Epist. ad Hebr: Et in Epist. ad Thesal: homel. 3.

a Clemens Constit. Apost. lib. 2. Cap. 57.

b Poloni hæresi infecti à Zelo maiorum in tuenda fide Catholica degeneres.

manus, a Matthæum & Ioannem Apostolos constituisse, vt infra Liturgias sacras, Euangelia ab ipsis, ac Luca & Marco ædita recitarentur. Quæ tàm clericos, quàm sæculares reuerenter & stando audire debere, S. Clemens ibidem ex diuina scriptura comprobat. b Ad quā reuerentiam & attentionem, Poloni maiores nostri addid.runt eum pietatis zelum, vt viri militares tempore lectionis Euangelicæ, gladios ad medium districtos, præseferrent: parati nimirum vitam profundere pro ea Euangelica doctrina, quam initio à Sede Apostolica Romana accepissent. Quam tamen modò aliqua tantorum maiorum degener soboles, non solùm tot erroribus, hæresibus, & blasphemijs contaminauit, sed etiam iniquis & extortis legibus, atq; vbi licuit, vi etiam, oppugnauit: atq; nouas, particulares, seditiosas, & sacrilegas Confœderationes, contra illam vrgere nō desinit, quam religiosi eorum Maiores tot sacrosanctis legibus, moribus, & concordibus votis & confœderationibus stabiliuissent: Quod cùm alijs locis & occasionibus satis à nobis fuerit repræhensum, iam cœpta continuemus.

c Symbolum circa Missam cur & quādo recitatur.

Cap. XXI.

c Euangelio congruentissimè succedit Symboli Apostolorum recitatio, vel in solennitatibus publica decantatio. Cùm enim olim in Synagoga, lectionem legis sequerentur, singularum personarū præsertim aduenarum, Prophetiæ seu lectionis eiusdem expositio, vel aliqua ad plebem exhortatio, (vt exemplum de ipso Christo & Apostolis suprá posuimus) eundem modum reseruârunt Apostoli, vt lectionem scripturæ exciperet d singulare exercitium in Prophetia, tanquam excellentissimo charismate, seu dono spiritus diuini: quæ promiscuè vel stato ordine fiebat à singulis: ita tamen vt si sequenti " mysterium, de quo sermo esset, pleniùs reuelaretur, prior qui loqui ex " ordine debuisset vel cœpisset, taceret: cæteri autem præsertim pasto- " res diiudicarent: quandoquidem spiritus Prophetiarum Prophetis " subiectus sit, hoc est, quòd priuata inspiratio & ad tempus reuelata de- " pendere debeat ex ordinaria inspiratione, quæ vocatione & officio Prælatorum firmatur. Quem ordinem Prophetandi Apostolus Corinthijs luculenter præscribit. e Cæterùm quando successu temporis, talis Prophetiarum spiritus cœpit in Ecclesia deferuescere, è conuerso autem incœperunt pullulare variæ hæreses, quæ eorum, qui in scripturis non essent exercitati, mentes possent in errorem deflectere: vsus talis Prophetiæ à tyronibus, delatus est ad ipsos magistros, hoc est, ad Prælatos, seu pastores, propriè autem ad Episcopos, eorumq; coadiutores Parochos, qui Euangelium recitatum plebi exponerēt, simulq; ad pietatem & bonos mores adhortarentur. Vnde Clemens Romanus in Missa ordinationis Episcopi, refert verba Principis Apostolorum

d Prophetiæ seu exercitationis in sēsu scripturę modus Apostolicus. 1. Cor. 14. v. 1. & seq.

e Conciones seu sermones infra Missas, quibus incumbant.

Clemens Cōstit. Apost. lib. 8. Cap. 4.

stolorum sic statuentis: Post lectionem legis & Prophetiarum, & Epistolarum nostrarum, (hoc est, Apostolicarū) & Actorum, atq; Euangeliorū, salutet ordinatus Ecclesiam dicens: a Gratia Dei nostri Iesu Christi: & charitas Dei Patris, & communicatio Spitus sancti, cū omnibus vobis. Et omnes respondeant: Et cum Spiritu tuo. Et post salutationem alloquantur (scilicet ordinans, & ordinatus) populum sermone hortatorio. Hæc ibi. b Tales exhortationes quatenus erant breues & magis populares, vocabant Græca deriuatione Homelias: si verò accuratiùs & prolixiùs fierent, dicebantur Sermones: quando autem solidè & methodicè doctrina scripturę pertractabatur (vt c ex Ambrosio colligitur) tunc dicebantur Tractatus: quorum formam nos quoq; quantulicunq; simus, in istis nostris scriptis propter multorum ignorantiam, quæ mater erroris est, seruare studuimus. Qualium exhortationum antiquitatem & vsum in Ecclesia Catholica, arguunt exempla, primò Apostolorum: quando statim post ascensionem Domini, in sacro illo Cœnaculo templi vicem gerente congregati, dicuntur perseuerasse in oratione: quam orationē fuisse per Liturgiam, declarat sequenti cap. S. Lucas, vocando eam panis fractionem: vbi etiam simul addit doctrinam. Quem morem seruabant & alibi Apostoli. d Cuius memorabile exemplum describit idem S. Lu- " cas, quando S. Paulus Tróâde existens, circa fractionē panis seu Li- " turgiam, protraxit sermonē vsq; ad mediam noctem, vt iuuenis qui- " dam somno superatus, ex loco illo decidens & mortuus, ab Apostolo " fuerit resuscitatus. Hoc ipsum fuisse semper in Ecclesia continuatum, testantur tot sanctorum etiam antiquissimorum Doctorum Græcorum & Latinorū, homeliæ, sermones, & tractatus, qui ad nostras vsq; manus peruenerunt: & quorū authoritatem nos quoq; in istis pertractandis plerunq; adhibuimus. e Sed quoniam monet Apostolorū " Princeps, Scripturam non priuato sensu esse exponendam: sed ex eo- " rum intellectu, per quos nobis fuisset inspiratione diuina communi- " cata. Ideò inter lectionem Euangelij & eius explicationem, maximè in Dominicis & solennitatibus, vbi maior est doctrinæ necessitas, inserit vt Symbolum. Cuius formula electa est ea, qua posteriùs in Concilio Constantinopolitano confessio sanctissimæ Trinitatis (quę basis religionis nostræ est) erat explicata & congesta: quæ eò magis in Ecclesiis etiam Occidentalibus frequentari cœpit, quò hæreses Orientales eam infestare aggrediebantur: vt esset quasi tessera quædam Catholicos ab Hæreticis discernens. Sed ne cum tædio vestro prolixiores simus, reliquam Missæ explicationem sequenti Sermoni reseruemus.

a 2. Cor. 13. v. 13.

b Homeliæ, Sermones, & Tractatus differunt.

c Ambros. lib. 5. Epist. 32.

Actor. 1. vers. 14.

Actor. 2. vers. 42.

d Actor. 20. v. 7.

e Symboli Constantinopolitani inter Euangeliū eiusq; explicationem ratio.

2. Petri 1. ver. 20.

Sermo duodecimus.

DE EXPOSITIONE SECVNDÆ partis Missæ.

Cap. 1.

SI rectè meministis, Auditores, dictum est superiùs, vocabulum Missæ si Latinè accipiatur, dictum fuisse à dimissione Cathechumenorū, & aliorum qui ab ipsa oblatione, eiusq; communione excludebantur. Si verò ab Hebræo sensu deriuetur, Missam dici propriè eam partem, quæ ab Offertorio inchoatur. Quam in Dei nomine prosequamur. Ac de Offertorio quidem ipso, satis proximo Sermone dictum est. Restat explicanda, eam subsequēs vel in quibusdam ritibus præcedens, iterata manuū sacerdotis ablutio, eiusq; mysteriū. Cùm enim (inquit [a] Cyrillus) manus designent actiones humanas: ista lotio est symbolū puritatis, qua sacerdos circa altare nitere debet. Ideóq; tunc vsurpat illud Psalmi: Lauabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Dñe. Ablutio siquidem manuum, symbolum est, non esse obnoxium peccatis. Hæc ille. [b] Postquam igitur Offertorium à sacerdote recitatum est, vel donec tantū absoluitur, præparat sacerdos panem & vinum ad futuram oblationem: quam ad rem, postulata etiam auditorū prece communi, vtitur competentibus benedictionibus & imprecationibus: quas concludit [c] Oratione, Secreta, de qua suprà diximus, sic dicta quòd (sicut alia tunc dicta) submissiore voce dicatur ab ipso offerente. Cuius orationis, vel orationum, quando plures sunt, vltima verba: [d] Per omnia sæcula sæculorum, altiori voce vel cantu prosequitur: Et exinde inchoat Præfationem. Cuius exordium Cyrillus Hierosolymitanus his exponit verbis. Postea clamat sacerdos: [e] Sursum corda. Verè enim circa illam maximè tremendam horam sursum ad Deum corda leuare necesse est, & non deorsum ad terram, terrenaq; negotia deprimere. In hanc igitur sententiā omnibus præcipit sacerdos, curas, scilicet vitæ huius, omnes, & domesticas solicitudines, illa hora relinquere, & cor in cælo habere apud Deum generis humani amatorem. Vos deinde respondetis: Habemus ad Dominum: assentientes ei profitendo. Nullus autem sic consistat, vt ore quidem dicat: Habemus ad Dominum: mente verò circa vitæ huius curas vagetur. Ac semper quidem Dei meminisse debemus: sed si id propter infirmitatem humanam fieri non posit, illa tamen maximè

[a] Cyrill: Ierosol: catechesi 5. Mystagogica.

[b] Preparatio materiæ offerēdæ in Canone Maiori.

[c] Oratio secreta.

[d] Præfatio eiusq; apparatus. Cyrill. Catech. 5. Mystag:

[e] Sursum corda &c. quantam attentionem parat.

ximè hora studiosè istud enitendum est. Deinde dicit sacerdos: Gratias agamus Dño. [a] Certè gratias agere debemus, quòd nos adeò indignos, ad tantam gratiam vocauit: quòd inimicos sibi reconciliauit, quòd spiritum adoptionis nobis donauit. Ad hæc vos subijcitis: Dignum & iustum est. Cùm enim nos Deo gratias agimus, dignum profectò & iustum opus facimus. Ille autem non iustum, sed suprà iustum agens, tanto nos affecit beneficio, tantaq; nobis bona donauit. Hactenus Cyrillus. Vltimus autem iste populi occentus: Dignū & iustum est, videtur esse desumptus ad imitationem cælestis illius Hierarchiæ, quando ad vocem Angeli, prædicantis agnum qui aperuisset librum humanæ redemptionis, primò senior pars, deinde & cōmunis illius Hierarchiæ, respondebat: Dignus es Dñe, &c. [b] Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam. Quibus etiam verbis, quando quatuor animalia respondent Amen: & seniores procidentes adorant, satis innuitur cultus adoratorius Eucharistiæ, qui paulò post consequitur. [c] Porrò ipsa Præfatio, est quædam præparatio & excitatio populi ad oblationem, seu sacrificium mox peragendum, cum debita Deo laude & gratiarum actione. Et in antiquis quidem Liturgijs, præsertim apud Clementem, fiebant prolixæ enumerationes præcipuorum beneficiorum Dei ab ipso mundi exordio. Sed postea propter vitandam prolixitatem, Ecclesia Romana, in vna vsitata eiusdem Præfationis formula antiquitus præscripta, solet mutare argumentum seu materiam beneficij, de quo singulariter secundū rationem temporis vel officij, laus & gratiarum actio fieri debeat. Istas autem formulas Ecclesia Romana ad vndecim primaria beneficia diuina accomodauit. Prima enim Præfatio accommodatur Trinitati: secunda Natiuitati, & festo Corporis Christi: tertia Epiphaniæ: quarta Quadragesimæ: quinta passioni & cruci Domini: sexta Resurrectioni Dominicæ: septima Ascensioni Domini: octaua Spiritui sancto: nona memorijs B. Mariæ: decima Apostolis & Euangelistis: vndecima de Tempore (vt vocant) seu Communis.

Cap. II.

[d] Ista autem laus & gratiarum actio, in omnibus formulis terminatur laude, primò quidem Angelica, per illud Trisagium, quod apud Isaiam, & in Apocalypsi legimus: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt cæli & terra gloria tua. Et meritò quidem laudem Angelicam admiscemus (secundùm Cyrillum) tanto mysterio: siquidem suo loco ostendimus, Angelos huic sacrificio & sacramento assistere. Vbi primò quidem est laus totius sanctissimæ Trinitatis: sed respectiuè ad personam filij, quam tunc vidit Isaias per

[a] Gratias agamus Domino Deo nostro.

[b] Apoc: 5. v. 9. 12.

[c] Præfatio quid, earúmq; vsus, & numerus. Clemens Cōstit: Apost. lib: 8. Cap. 12. aliàs 16.

[d] Sanctus, Sāctus Sanctus Trisagiū Angelicum Missæ accomodum. Cyrillus. Ierosol: Cath: 5. Myst. Ambros. lib: 4. de Sacramentis Cap. 2.

a Isaiæ 6. v. 3, 10. Ioan 12. vers. 41.
b Clemens Const. Apost. lib. 8. Cap. 12. aliâs 15.
Apoc: 4. vers. 8.

a per spiritum in carnem venturam : vt S. Ioannes apertè declarat. "
Idipsum videre est in Liturgia apud b Clementem. Vbi hæc verba
excipiens sacerdos, totam vitam & mortem Christi tali gratiarum a-
ctioni accommodat. Et in Apocalypsi idem insinuatur, quando eisdẽ
verbis additur: Qui erat : qui est : & qui venturus est. Ibidem descri- "
bitur hic ipse filius Dei in sua maiestate gloriosus : ante cuius thro- "
num, quatuor animalia, mysticè Euangelistas designãtia, non habe- "
ant requiem die ac nocte clamare & iubilare per idem canticum, se- "
dentem in throno, & viuentem in sæcula sæculorum. Per quod inti- "
matum est, ex doctrina & fide Euangelica, ab initio prædicationis A-
postolicæ & Propheticæ (quorum vtriq; ibidem per vigintiquatuor
seniores ad laudem sedentis in throno procidentes designantur) in-
choata, die ac nocte, hoc est, ad consummationem sæculi, nunquam
cessaturam esse à fidelibus populis fidem, confessionem, laudem, &
adorationem diuinissimæ Trinitatis : & hoc quidem ex reuelatione

c Ioan 1. vers. 18.
d Ioan 14. vers. 9.
1. Cor. 2. vers. 12.

filij Dei incarnati : c Deum siquidem nemo vidit vnquam, sed vni- "
genitus, qui est in sinu Patris, ille enarrauit : & in sua persona Dei si- "
mul & hominis, Trinitatem nobis visibilem adorãdam exhibuit di- "
cendo : d Qui videt me, videt & Patrem : quia ego in Patre, & Pa- "
ter in me est. Et Apostolus inquit : Nemo cognouit quæ sunt Dei, "

e Benedictus qui venit in nomine Domini. Osanna in excelsis, quomodo cõueniat Missę.
Matth. 21. vers. 9.
Lucæ 19. vers. 38.

nisi spiritus Dei. e Deinde subiungitur laus humana, quæ Domino "
fuit à turbis Iudęorum impensa, quando solẽniter ingrediebatur Hie-
rosolymam consummaturus regnum crucis. Ideò pueri spiritu diui-
no instructi, offerebant ramos arborum pręsignando fructum ligni,
quem Dominus & victor noster in cruce esset germinaturus : & vo-
cibus iubilis inclamantes : Osanna in altissimis : Benedictus qui ve- "
nit in nomine Domini, Osanna in excelsis. Quod appositè conuenit "
passioni, eiusq; in Missa repræsentationi : iuxta quod ipse Dominus "
post extremam Iudæorum reprobationis denunciationẽ, dicebat eis: "

f Lucæ 13. v. 35.

Dico autem vobis : f Non me videbitis, donec veniet, cùm dicetis : "
Benedictus qui venit in nomine Domini. Quid verò sonet vox In- "
teriectionalis Osanna, videtur explicare S. Lucas : Pax in cælo : Glo- "

g Adoratione & laude in sacrificio, Ecclesia militans triumphãtem imitatur.
Apoc: 4. & 5.

ria in excelsis. g Quemadmodum autem in Apocalypsi ad procla- Cap. III.
mationem verborum illorum, visæ sunt lampades ardentes, auditæ
sunt voces, fulgura, & tonitrua : & vigintiquatuor illi seniores ex "
thronis suis prosilientes, procidebant, & deponentes coronas suas, "
procidebant adorantes sedentem in throno, & viuentem in sæcula "
sæculorum: Ad eundem modum, circa tremendum illud Missę sacri- "
ficium, à fidelibus populis proferuntur ardentes lampades, faces, &
cærei accensi, ad tanti mysterij maiestatem declarandam: Excitantur
etiam

a Catholicorum & infidelium circa Missam diuersus habitus & cultus.
Lucæ 23. vers. 48.
Exodi 17. v. 11.
Isai. 6. vers. 2.
Exodi 3. vers. 6.
Eccl: 43. ver. 30.
Daniel 3. vers. 3.

etiam voces canentium, organa musica, cymbala, omneq; interdum
musicorum genus : a populus autem Christianus, ipsi etiam Reges
& Principes terræ, flectunt genua, & sæpè procidunt in facies suas :
adorantes & gratias agentes pro tâm stupendo beneficio redempti-
onis nostræ : aliqui etiam percutiunt pectora sua, ad instar illorum,
qui Domino in cruce pendente, talia signa pœnitentiæ exhibebant :
alij exemplo Mosis, expandunt sursum indefessas manus : & ad imi-
tationem Cherubinorum, ipsiusq; Moysis, velant facies suas : indi-
gnos sese iudicantes aspectu tantę maiestatis. Et hæc quidem & simi-
lia præstat populus fidelis: ne Deus creator & redemptor eorum, qui
(vt dicit Ecclesiasticus) nulla laude creata sufficienter laudari potest,
quid minùs honoris referat, quàm olim apud infideles illud idolum
Regis Nabuchodonozor ex auro erectũ, de quo sic edictum fuisse le-
» gimus: Vobis dicitur populis, tribubus, & linguis. In hora qua audi-
» eritis sonitum tubæ, & fistulæ, & cytharæ, sambucæ, & psalterij, &
» symphoniæ, & vniuersi generis musicorum : cadentes omnes ado-

b Eucharistiæ tepidi adoratores, vel execratores perstringuntur.
Daniel. 3. ver. 21.

» rate statuam aureã, quam constituit Nabuchodonozor rex. b Si quis
» autem non prostratus adorauerit, eadem hora mittetur in fornacem
» ardentis ignis. Hæc ibi. Si tanti edicti pœnam nõ euaserunt socij Da-
nielis, tres illi pueri innocentissimi, ne idololatria verum Dei cultum
contaminarent. Quid facient aliqui superbi vel delicati Catholici, qui
tantæ maiestati in diuinissima Eucharistia, vix interdũ caput aperi-

c Matth: 27. v. 29.

unt, & vnicum genu c (vt milites Pilati eidem Christo factitasse de-
pinguntur) flexũ, alterum inflexum relinquentes, ne fortè homines
mente superba contaminati & incuruati, inflexionis iacturam, vel
vestium luxuriantium contaminationem, patiantur. Quid facient in-
feliciores his multò Hæretici : quorum quidem ferociores, adeò ma-

d Hæretici quidã Dæmonibus morosiores.
Marci 3. vers. 11.
Lucæ 4. vers. 35.
M. Tullius.

ligno spiritu obsidentur, d vt Eucharistiam sacram, sed nec locum
eius aspicere queant, sed (quod isti in obsessis Christo Domino nõ fe-
ciebant, sed potiùs filium Dei, quamuis carne velatum & infirmum
confitebantur & adorabant) infernalibus prorsus vocibus proscin-
dunt & blasphemant. Alij rursus ex his molliores, propter morẽ (sed
rectè de suis quidam inuertit propter errorẽ) Ecclesias nostras ingre-
diuntur: & quamùis faciem à sacratissima hostia & calice non auer-
tant : tamen nullum signum sicut adorationis, sic neq; execrationis
ostendunt : intollerabiles profectò hypocritæ, canibus & falconibus
quos secum (aliquando & Politici Catholici) in Ecclesias deferunt, vel
potiùs idolis similes, qui nõ solùm rationis, sed nec sensuum quidem
motum aliquem præseferunt. Satiùs autem non ingrederentur vel
exirẽt, quàm talia idola præferentes, fideli populo scandala, & abo-
minationem in templo Dei exhiberent.

a Autoris respõsum cuidam Hæresiarchæ de fimbriæ sacerdotis celebrantis eleuatione.

Cap. IIII.

a Talium importunitas (quam aliis perstringendam magis relinquo) reuocauit mihi in mentem, obiectionem cuiusdam Hæresiarchæ Ariani: qui in quadam disputatione publica, vt cum sua fabella populo perplaceret, ex me quærebat: Quid causæ esset, quòd Durandus in Rationali suo officiorũ diuinorũ, & alij scriptores similes, dum singulas Ecclesiæ cæremonias adeò exquisitè excutiant, vt nec galli vel auicidæ illius suprâ pinnaculum templi constitui soliti, mysteriũ non tacuerint: illius tamen cærimoniæ ne mentionem quidem faciunt, quando sacerdoti ad altare sacramenta eleuanti, à ministris subducitur à tergo Casula seu Planeta, & suffitu thuris (vt ille dicebat) infumatur? b Respondi ego primò homini stulto (vt docet c Salomon) " secundùm stultitiam suã: Fucos, inquã, & vespas, quę (iuxta Tertullianum) similiter vt apes fauos conficiunt, sed mella apum exedunt, ex aluearijs solere fumo arceri vel exturbari. Sed (vt scripturam tibi proferam) Tobias suffitu mystico Dæmonia ex sacratis tunc ædibus, in extremis desertis alliganda, profligauit. Sic & ministri illi altaris videntes in cœtu fidelium hæreticos, circa tanta mysteria Deum nedum adorare, sed insuper blasphemare, veriti ne proximiori etiam accessu sacra polluant: dant signum & symbolum quoddam, primùm quidẽ Ostiarijs seu Ianitoribus templi, vt tales veluti infideles canes, & animalia fœda, ex Ecclesia expellant. Quòd si præstare non possint, signum tamen dant, vt eiusmodi fuci, vespæ, & scarabæi, fauos quidem scripturæ falsò prætexentes, sed mella fidelium pietatis, vnitatis, & charitatis Christianę absumentes, fumo perfecti odij & persecutionis, in desertum infidelium terrarum depellenda ibiq; alligãda, exturbentur. Ista parabola postquam Catholicis quidem risum, aduersarijs autem confusionem commouisset: instruente eodem sapiente sacro, d ne stulto similis efficerer, subieci germanam responsio- " nem. Suffitus sacros præsertim ex thure, in cultu diuino etiam apud Christianos, non carere rationalibus mysterijs. Ex ijs autem quæ suprà retulimus, suffitus circa sacrosanctum sacrificium, refert nebulã illam, nubem, caliginem, fumum, & ignem, in quibus Deus etiã populo sibi electo apparebat, vel quibus potiùs suam naturam inconspicuam esse mortalitati humanæ declarabat. Quod inprimis congruit, quando in nostro sacrificio Deus apparet suo populo sub speciebus panis & vini velatus. Deinde Apostolus nouæ legi eiusq; sacrificio (vt suprâ Sermone sexto explicuimus) e accommodat duplex tabernaculum legale, in quorum vltimo Sancta Sanctorum vocato, erat vsus thuribuli aurei: quod etiam adhibetur circa illud altare cæste aureum, in Apocalypsi descriptum, Quod igitnr & in vmbra, & in ipsa

b Hæretici vespis & fucis festiuè comparati.

c Prou: 26. ver. 5. Tertull. con. Marcionem lib: 4. Cap. 5. Tobiæ 6. vers. 8. Cap. 8. vers. 2.

d Prouerb. 26. v. 4. Casula infra eleuationem Eucharistiæ cur subleuatur à Ministro.

e Hebr. 9. vers 4. Apoc. 8. vers. 3. Serm. 6. Cap. 21.

ipsa exhibitione futurorum bonorum, Deus ad cultum suum admisit, nos in medio statu gratiæ existentes, qui in spiritu & veritate Deum colimus, abijciemus? Tertiò, ibidem in Apocalypsi, mysterium illius thuribuli dicitur esse orationes sanctorum. a Per hoc autem sacrificium veluti per scalam quandam cælestem (vt suo loco dictum est) fit communicatio Ecclesiæ militantis cum Ecclesia cælesti, quam " Apostolus primitiuorum vocat, quos post Deum nos honore, illi autem vicissim nos suis intercessionibus & meritis, prosequuntur. Porrò subleuatio extremitatis Casulæ, non est cærimonia ex institutione vel necessitate, sed ex peculiari deuotione, vel consuetudine ministrantium: quam aliqui adhibent, ad quamcunq; offerentis genuflexionem: aliquando etiam ne Casula attactu pauimenti polluatur. b Si autem aduersarij in sua futili quamùis quęstione, mysterium vel significationem exquirunt: non incongruè dicemus, istam Casulæ subleuationem, in extremitate, vbi crux terminatur, idq; in ipso libationis seu eleuationis momento, repræsentare typum baiulationis crucis Christi, quam Dominus quidem humeris suis, sed adminiculo Simonis Cyrenensis, legitur in locum passionis deportasse. c Reliqua quæ in Canone tàm maiori, quàm minori pertractantur, non attinet nosse populum, propter quem potissimùm hæc tractanda suscipimus: Aliâs Deo volente, non deerit Canonem ipsum pro sacerdotibus explicandi locus. Illud omittendum non est, hæreticos quãùis totam Missam oppugnent, & pauca admodum in illa probent: tamen Canonem præsertim minorem cane & angue peius execrari. Sic nimirum prædones animarũ, signa quidem iudicem præcedentia formidant, ipsum verò eius aspectum ferre omninò non possunt. Hinc est quòd contra Canonem varia mendacia & calumnias cominiscuntur: quæ vana prorsus sunt & commentitia, & à doctissimis nostri sæculi Catholicis scriptoribus, plus quàm sufficienter confutata. d Vnum quod speciem veri habet, & communissimè iactare solent, referre libuit. Canonem enim Missæ, à quodam Scholastico priuata authoritate fuisse confectum vel compositum, Gregorium Magnum (cui etiam aliqui opus hoc affingunt) in testem adducunt. Verba tamen illius (vt hæreticis mos est) non proferunt. e Sciendum igitur est: Cùm S. Gregorio obiectum fuisset, quòd cùm alioqui damnaret schisma Græcorum, eorum tamen aliquos ritus Missæ non solùm imitaretur ipse, sed ad Catholicos induceret. Ista singula ille expurgans, obiectionem de Oratione Dominica Canoni inserta, vel potiùs in alium locum transposita, diluit his verbis: Orationem autem Dominicam idcirco mox post precem dicimus, quia mos Apostolorum

a Sanctorum cõmunio maxime in sacrificio exercetur.

Apoc: 8. vers. 4. Hebr. 12. vers. 23.

b Crucis post Christum gestatæ typus, in Missa expressus.

c Canonis minoris tractatus Sacerdotibus relinquitur.

Cap. V.

d Canonis Apostolica institutio, à calumnijs vindicatur.

e Gregorius quo sensu Canonẽ autori Scholastico adscribit: Greg: lib: 7. Epist: 63.

stolorum fuit, vt ad ipsam solummodò Orationem (Dominicam) oblationis hostiam consecrarent. Et valdè mihi inconueniens visum est, vt precem quam Scholasticus composuerat, super oblationem diceremus: & ipsam traditionem (legerem orationem) quam Redemptor noster composuit, super eius corpus & sanguinem non diceremus. Hæc ille. Ex his verbis aduersarij concludunt, asserere Gregorium, quòd Scholasticus Canonis esset author: a quod quidem aliqui posteriores Historici, non rectè quoq; Gregorium intelligentes, scriptis prodiderũt. Sed Gregorius agit non de Canone ipso, de quo nulla intercesserat obiectio, (si enim piaculum censebatur, vnam orationem in Canone transponere, quid fieret, si totum Canonem aliquis priuatus composuisset?) Sed loquitur de prece, hoc est, Oratione Dominica, quam Gregorius more Græcorum commodiùs se transposuisse asserit ante ipsam communionem, quando in eadem oratione dicimus: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, quàm fuisset apud Latinos olim collocata, ante consecrationẽ in ipsa oblatione, vt loquitur Gregorius. Quod sibi tanquam summo Pontifici licuisse facere, probat per triplicem antithesim. Prima: quòd Oratio Dominica adeò pertineat ad Canonem, vt aliquando solam (intellige precẽ, non formam consecrationis) Apostoli ad sacrificium adhibuerint: Aliæ autem preces seu orationes, præsertim in oblatione ante consecrationem, non omnes sunt de necessitate: adeò vt Scholastico licuerit suam quoq; apponere, & tamen ab Ecclesia fuisset in Canonem recepta. Secunda antithesis est ratione materię. Quia si videbatur fuisse necessaria oratio ad oblationem elementorum panis & vini, quã addidisset Scholasticus: magis erat necessaria Oratio Dominica, quã (vt diximus) Apostoli etiã solam adhiberent: & quidem tunc quando corpus Domini esset sumendum. Tertia antithesis ratione authoris. Si enim Ecclesia recepit in Canone Orationem, quam composuisset aliquando Scholasticus: quid non erat suo loco adhibenda oratio, quam composuisset & tradidisset ipse Christus? b Non videtur enim Gregorius per Scholasticum intellexisse aliquam certam personam: cùm fieri non potuerit, quin aliquis scriptorum Ecclesiasticorum in re tàm graui, huius Scholastici ante Gregorium mentionẽ fecisset. Probabile igitur est, & ipsa antithesis indicat, Scholasticum hîc dici indefinitiuè, & respectiuè ad Christum vnicum magistrũ nostrum, aliquem discipulum ex schola Apostolica Christi, qui aliqua ex orationibus in maiori Canone dum oblatio perficitur (de qua tũc Gregorio constaret) adiecisset. Quamuis & Scholasticos alij vocauerint viros doctos, disciplinæ Ecclesiasticæ præfectos, vt & apud ipsũ Gregorium

a Platina in vita Gregorij Magni. Virgilius Polydorus de inuentoribus rerum.

b Scholasticus cui Canon adscribitur, quis? Gregor. lib. 10. Epist: 2. Hieron: de scriptoribus Ecclesiasticis in Serapione. August. in Psalm. 44.

Gregorium extat, talis denominationis exemplum. a Quod etiam scribit Gregorius, Apostolos aliquando solam Dominicam Orationẽ sacrificio accomodasse, intelligendum est, quatenus in Canone peragitur oratio, non consecratio. Quod declarat S. Hieronymus, Dominum præcepisse Apostolis, vt ad celebrationem Eucharistiæ, Orationem Dominicam adhiberent. Quod si Apostoli initiò propter instantes persecutiones, alias orationes pręter Dominicam sacrificio secundùm mentem Gregorij non adhibuissent: tamen postea multas addiderunt: vt videre est apud b Clementem Romanum, Dionysium Areopagitam, & Liturgias antiquissimas, præsertim Hierosolymitanam S. Iacobi, Cyrilli, & Ambrosii: in quibus præcipua quæ hodie vterq; Canon Romanus continet, quamuis commodiori interdum ordine, reperire licet. Quæ si aduersarij legissent antequam arma contra Ecclesiam sumpserunt (quæ deponere superbia obstinationis mater non admittit) æquiores fortassè in præcipuis istis nostræ religionis mysterijs sese præbuissent.
Cap. VI. c Porrò (Orationis Dominicæ expositione proximè sequenti Sermoni reseruata) communionem subsequentem prosequamur. Cuius apparatus triplex præmittitur. Primò ab offerente recitatur, & à choro in solennitatibus canendo ter repetitur trisagium, Agnus Dei, &c. soli filio Dei in altari immolato competens: idq; ex verbis d Ioannis Baptistæ, quando iteratis vicibus demõstrat Christum agnum Dei, in carne sua, peccata nostra deportantẽ & tollentem: ideò vtraq; vice huic interpellationi additur: Miserere nobis: tertia autem vice, ad eandem formulã additur: Dona nobis pacem: quòd idem ipse agnus, exacta iam redemptione nostra e apparens rediuiuus, pacem omnem sensum exuperantem Apostolis attulisset, & Ecclesiæ suæ perpetuò reliquisset: cuius vtriusq; beneficij in Missa competentissimè memoria & gratiarum actio proponitur: adiuncta supplicatione ad dignam eiusdem agni pro nobis imolati participationem. f Huius supplicationis institutio comuniter attribuitur Sergio, Papæ, ante annos nongentos. Sed quamuis ritus iste hesternus etiam esset, quia ex scriptura diuina aptissimè accomodatus, non est quod aduersarios etiã offenderet. Ideo nec Lutherus quidem ipsum damnauit, & in Missam suam (illam Siccam, & Nauticam de qua initiò diximus) admisit: quod etiam eius discipuli obseruãtiones hucusq; retinent. g Vbi tamẽ turpissimè sese implicãt, quando in Eucharistia, non Christum, sed panem qui quocunq; tandem modo contineat corpus Christi, profitentur: id autem non aliâs, nisi quatenus in vsu (qui apud illos sola manducatio & bibitio est) consideretur. Et tamen homines stupidi & stupendi, verbis Ioannis Baptistæ profiten-

a Oratione Dominica non consecrarunt Apostoli Eucharistiam. Hieron. lib: 3. cõ: Pelagianos.

b Clemens Constit: Apost. lib. 8. Cap: 10. & seq. Dionys: Eccl: Hierarch. Cap. 3. Cyrill: Catechesi 5. Myst. Ambr: lib. 4. & 5. de sacramentis.

c Communionis in Missa apparatus triplex.

d Agnus Dei & qua intẽtione interseritur Missæ. Ioan 1. vers. 29. 36.

e Ioan 20. v. 20. Philip. 4. vers. 6.

f Autor trisagij in Missæ de Christo agno. Valfridus lib. de obseruationibus Ecclesiast: Cap. 23 Micrologus Cap. 18. & cæteri de eodem argumẽto scriptores.

g Lutherani Idololatræ panẽ & vinũ pro agno Dei colentes.

profitentur, proclamant, fere digito comonstrant, & supplices inuocant, agnum tollentem peccata mundi, qui certè non est panis aut calix, sed Christus verus à Baptista demonstratus, & in cruce pro nobis imolatus: qui teste eodem qui hæc describit Ioanne Apostolo & Euangelista, a etiam nunc & in perpetuum propitiationem nostram in cœlo exequitur. b Porro in Missis pro defunctis, vltima pacis deprecatio, quæ viuorum propria est, commutatur in imprecationem requiei illius æternæ, qui ab ijs qui in via salutis constituti & iustitia diuina remorati sunt, viuorum suffragijs expectatur. c Secunda ad comunionem præparatio fit per Orationes: quæ sicut populo ad libitum secundùm cuiusq; deuotionem sunt relictæ: ita sacerdoti offerenti certa triplici formula antiquitùs sunt præscriptæ, cùm oblationem quoq; ab illo tunc solo administratā respiciant. d Tertiò ante ipsam sumptionem imediatè, sacerdoti & populo comunis est deprecatio illa Centurionis: Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum: sed tantùm dic verbo, & sanabitur anima mea. Rectè enim homines fideles vocant corpora sua & seipsos tectum vel domū Dei: cùm secundum Apostolum ipsi sint domus Dei, & tabernacula Dei, atq; templa Spiritus Sancti. Humilitate ergo sua, dignationem mansionis Diuinæ in seipsis acquirūt iuxta illud e quod ipse Dominus inculcat: Qui se humiliat, exaltabitur. Quin immò istis verbis competentissima fit allusio, ad illud tali oratione auertendū f quod Dominus præmonuisset: spiritum immundum eiectū ab homine (per baptismum vel pœnitentiam, & sacram synaxim) repetere domum, hoc est, personam eiusdem hominis, si eam sibi per iterata vitia præparatam inuenerit. g Antiquitatem autem istius formulæ, comunioni sacræ præmittendæ attestatur antiquissimus Origenes, eius etiam rationem explicans. Cæterum. Communionis sacræ in Missa ordinem, expressit olim scriptura in typo, quādo sic dicit de Samuële: Sacrificium est hodie populo in excelso &c. Neq; enim comesturus est populus, donec ille (Samuel sacerdos) veniet: quia ipse benedicet hostiæ, & deinceps comedent, qui vocati sunt. Hæc ibi. i Ista autem cōmunio concluditur oratione vna vel pluribus, quam Complendam vocari suprà meminimus. Nam & ipsum Dominum nobis in exemplum istud sacrificium & sacramentum cum gratiarum actione instituisse, & nobis commendasse, legitur. Quod etiam in spiritu multò ante prouiderat Psalmista: Postquam enim de Passione Domini quædam exactè prædixisset: ipsius etiam sacrificij nostri ordinem, quem hactenus explicuimus, visus est sic expressisse: Apud te laus mea in Ecclesia magna: Vota mea reddam in conspectu timentium

Ioan 14. vers. 2. 1. Ioan 1. vers. 1. Apoc. 5. ver. 9. 12.

b Agnus Christus, à morte rediuiuus, mortuorū & viuorum dominator.

1. Rom. 14. v. 9.

c Orationes ante comunionem sacram.

d Oratio Centurionis quam apposita communioni sacræ.

Matth. 8. vers. 8. Hebr. 3. vers. 6. 1. Cor. 3. ver. 16. 2. Cor. 6. ver. 16.

e Lucæ 14. v. 11. Cap. 18. vers. 14.

f Lucæ 11. v. 24.

g Antiquitas orationis Centurionis ante cōmunionem.

Origenes in diuersos Euangelij locos homel. 5.

h Missæ eiusque communionis typus legalis.

1. Regum 9. v. 12.

i Gratiarū actio Missæ per complendas.

Cap. VI.

tium eum. Edent pauperes & saturabuntur: & laudabunt Dominum qui requirunt eum: a viuēt corda eorum in sæculum sæculi. Reminiscentur & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ: Et adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium. Quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium. Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ: & in conspectu eius cadēt omnes qui descendunt in terram. Istam enim prophetiam expositores sacri plerunq; intelligunt de Eucharistia sacra: b Habet enim magnā conuenientiam cum illo vaticinio Malachiæ, vbi Deus prædixit se reprobaturum sacrificium legale & Iudaicum, infirmum & immundum, eò quòd in gentibus magnum nomen & oblatio munda, stabilis, & celeberrima, sibi exurgeret: c vt suo loco pertractauimus. Ista autem gratiarum actio, definitis ab Ecclesia formulis, solet etiam comprehendere eas sacrarum solennitatum memorias, vel intentiones, ad quas ipsum officium Missæ, & præcedentes Collectæ, vel secretæ orationes intendebantur. d Demum concludit sacerdos sacrificium dicendo. Ite Missa est: vel Benedicamus Domino: respondente populo vel ministro: Deo gratias: de quibus initiò diximus. Hoc loco enim verba ista signant dimissionem: quando nimirum accepta dimissione culparum, quam circa hoc sacrificium, singulariter oratione Dominica deprecamur, e fit etiam dimissio populi fidelis, à cultu sacrificij integrè expedito. Idq; exemplo f Salomonis, qui perfecta templi Dedicatione, populum legitur ad propria cum benedictione dimisisse. Ideo cauit sanctio Ecclesiastica, ne quis à celebratione Missæ (præsertim quando ex præcepto audienda est) ante eius finem, & acceptam offerentis benedictionem, abscedat. g Quod etiam Chrysostomus sic admonet: Ingressus es in Ecclesiam, ô homo, dignatus es Christi consortio: ne exeas, nisi dimittâre, Nam si ante missionem exieris, perinde ac fugitiuus rationem reposcêris. Totum diem in ijs rebus quæ ad corpus spectant, insumis: & duas horas spiritualibus non vacas? Ad theatrum sæpe abis, neq; inde discedis, donec dimittaris: & in Ecclesiam ingressus, priusquam diuina mysteria peragantur, exibis? Time eum qui dixit: Qui contemnit rem, contemnetur ab ea. Hæc ille. Exinde sacerdos cōmendat Deo sacrificium peractū, per orationem: Placeat tibi Sancta Trinitas &c. Mox conuersus ad populum eundem discessurum benedicit signo crucis dicens: Benedicat vos omnipotens Deus: Pater, & filius, & Spiritus Sāctus: Respondentibus illis; Amen. Quæ tamen benedictio magis propriè competit Episcopo quando est præsens, quæ fit etiam verbis paulò solennioribus. Plerunq; tamen solent eam celebrāti deferre, nisi rara

a Missæ ordo per Psalmistam insinuatus.

Psalm. 21. vers. 26.

b Malach. 1. v. 10.

c Supra serm. 9. Cap. 28.

d Missæ finiendæ formula.

e Missa ad finem audienda.

f 3. Regū 8. v. 66. Eccli 50. vers. 21.

De Consecratione Cap. Omnes fideles.

g Chrysost. Orat. de non contemnenda Ecclesia. Tomo 5.

 aliqua

aliqua sollennitas secus requirat. Vsum eiusmodi benedictionis suprà exempla ex [a] scriptura ostendimus: antiquitatem autem eius attestantur vetustissima Concilia, Agathense, & Aurelianum primum. Et S. Augustinus [b] nō solùm illius meminit, sed eā maximæ esse virtutis asserit, sic scribens: Postulationes (in Missa) fiunt, cùm populus benedicitur. Tūc enim Antistites veluti aduocati, susceptos suos, per manus impositionē misericordissimæ offerūt potestati. Hęc ille. Postremò antequā Sacerdos ab altari discedat, solet legere [c] Euangelium, cuius in officio matutino, necessaria facta est per nonam lectionem commemoratio: vt Missa suo officio conueniat. Quando verò non fit talis comemoratio, in locum Euangelij quod dici consueuit, substituitur ordinariè recitatio initij Euangelij secundùm Ioannem. Quod quidem vsus antiquissimus obtinuit: tres tamē rationes occurrunt. Prima, [d] Quòd sicut Missa initiò inchoata est à laudibus ex beneficio incarnationis: sic etiam finitur per gratiarum actionē de eodem beneficio: quando Sacerdos dicendo, & Verbum caro factum est &c. flectit genua, & similiter totus populus. Altera ratio est, ex eo, quod suprà ex Concilio Salegustadiensi retulimus: populum antiquitùs solitum requirere à sacerdotibus, vt ad Missas ordinarias adderent aliqua ad singularem deuotionem pertinentia: inter quæ præcipuum erat initium Euangelij secundùm Ioānem. Et meritò quidem: Cùm enim alij Euangelistæ (scribit [e] B. Augustinus) cùm Christo veluti homine eiusq; exortu, in terra occupantur, Ioannes tanquam cælestis aquila, ex sinu Patris Verbū æternū deprōpsit, & veluti filius tonitrui intonuit, In principio erat verbū &c. Vt sic de illo dictū esse videatur illud Psalmistæ: [f] Vox tonitrui in rota. Siquidem Euangelistæ rotis apud Ezechielem comparatorū, vna rota Euangelij Ioānis tātum tonitru orbi intulit, vt si altiùs tonasset, (dixit quidam) mundus totus perferre non potuisset. [g] Hinc illa consuetudo à S. Hieronymo propter admixtam quorundam superstitionem repræhensa, quòd aliqui ea Euangelij verba in schedulis, pro certissimo omnium aduersitatum amuleto in collo deportassent. Quod certè si discretè fiat, minimè est repræhendendum. Nam & sacramenta, per signa habent cælestem operationem. Et signum crucis quocunq; modo fideliter factum, (aliquādo & ab infidelibus) virtutes aduersas propulsat. Tertiò credibile est morem legendi istius Euangelij in Colophone Missę, abijsse in comunem vsum, furente per orbem Arianismo. [h] Cum enim istis verbis Euangelicis omnes hæreses contra Diuinitatē Christi prosternantur: probabile est Catholicos hoc veluti symbolo ac

antidoto

[a] 3 Regū 8. v. 55. Eccli: 50. vers. 22.
[b] August: de Ciuit. lib. 22. Cap. 8. Et Epist. 59. ad quæsti. 5.
[c] Euangelij præsertim ex initio S. Ioānis, post Missam lectio, quorsum.
[d] Initij Euangelij Ioannis excellentia & virtus.
[e] August. tract: 36. in Ioan. Chrysost. hom: 5. in Ioan.
[f] Psalm. 76. v. 19. Esech: 1. ver. 16.
[g] Euangelium S. Ioannis proamuleto an reprehendendum? Hierō. in Matth: Cap. 23. Chrysosto: hom: 73. in Matth:
[h] Euangelij Ioānis initium antidotus hæresum.

Cap. VIII.

antidoto munitos, ex Ecclesiis ad domos suas redire voluisse, ad sectas contrarias feruentiori zelo execrandas. Habetis, fideles in Christo auditores, Missæ tractatum, pro vestra fidei mensura satis vt puto explicatum. [a] Habent & aduersarij, eiusdem sacrificij ac eius rituum, rationes, non (vt calumniantur) ex nouis subinde placitis humanis consarcinatas: sed institutione ipsius Christi exortas, Apostolica traditione & antiquitate promulgatas, insuper etiam claris scripturæ diuinæ testimonijs firmatas. Atq; exinde, infelices, tandem confundantur & conuertantur, vt Missam reputent, non cultus idolatrici sacrilegium, sed cultus veri Dei, & Christianæ professionis & eruditionis, summum mysterium. [b] Siquidem Missa Catholica, continet non solùm omnis cultus diuini consumationem, sed etiam totius fidei Catholicæ professionem, & (vt Sacrum Concilium Tridentinum loquitur) magnam populi fidelis eruditionem. Ibi enim per scripturarum noui simul & veteris instrumenti accomodatam secundùm tempus lectionem, fit tum fidei instructio, tum etiam pietatis & morum eruditio. Deinde omnis ille cultus, dirigitur ad confessionem & honorem diuinissimæ Trinitatis. [c] Ipsa autem oblatio, recolit memoriam & gratiarum actionem filij Dei incarnationis, totius vitæ, passionis, mortis, resurectionis, in cælum ascensionis, & ad dexteram Dei Patris perpetuæ, per sacerdotium æternum pro nobis interpellationis. Vnde veluti ex fonte cælesti, promanat iustificatio nostra, & expiatio peccatorum, in quæ contra voca baptismi & pœnitentiæ subinde relabimur: quæ demum expiatio per sacramenta, veluti canales cælestes, varijs nostris defectibus applicatur. Hæc autem propitiatio, cōplectitur etiam illa membra Ecclesiæ, [d] quæ mortua quidem cum veteri Adamo secundùm carnem, cum nouo tamen homine cælesti Christo, tanquam capite suo viuunt, & ad remoratam salutis æternę viam, licèt non proprio merito, sed viuorum membrorum suffragāte auxilio, contendunt: id autem eius virtute & merito, [e] apud quē
» misericordia est, & copiosa redemptio: & qui eorum, [f] qui morte in
» terram veluti aqua (hoc est, cum culpis ex reliqua fragilitate contra-
» ctis) dilabuntur, non vult perire animas, sed retractat, cogitans ne
» penitus pereat, qui abiectus est. [g] Quemadmodū etiam in Symbolo Apostolico, professioni de Christo, tanquam capite nostro, succedit professio corporis eius, quod est Sancta Ecclesia Catholica, eiusq; cōmunio: simili modo in eodem quoq; sumo sacrificij cultu, post redemptionis nostræ per Christum comemorationem, recensemus etiam memoriam eiusdem corporis, hoc est Ecclesiæ, cuiusq; status triplicis: primò quidem viuorum, ad culparum dimissionem, per meri-

tum;

[a] Parænesis Missæ comēdatoria.
[b] Missa fidei & pietatis Christianæ Compendiū. Concilium Trid; sess: 22. Cap. 8. De sacrificio Missæ.
[c] Missa quomodo prodest viuis & defunctis.
[d] Rom: 8. ver. 10. 1 Cor. 15. ver. 45.
[e] Psalm. 129. v. 7.
[f] 2 Regū 14. v. 14.
[g] In Missa verè exercetur comunio Sāctorū Symbolo professa.

tum : deinde piè defunctorum, ad relaxationē reliquarum pœnarū,
per ſuffragium : tertiò cum Chriſto iam regnantium, per inuocatio-
nem, ad eorum quidem gloriæ conſummationem, ad noſtram verò
qui adhuc ex exilio ad patriā tendimus promotionem ſeu interceſsio
nē. a Deniq; in hoc ſacratiſsimo Miſſæ myſterio, ſingulariter viget,
reliquas virtutes perficiens, charitas : quam in præparatione ad per-
ceptionem ſacræ Euchariſtiæ, per Symbola & proteſtationes pacis,
proximis conteſtamur, & per ipſam eiuſdem Euchariſtiæ dignā per-
ceptionem, Deo ipſi, qui charitas eſt, vnimur, & Chriſto non ſolùm
fide, ſed re quoq; ipſa incorporamur. b Velint igitur nolint aduer- Cap. IX.
ſarij, fateri coguntur, Miſſam ſingulare fidelibus adferre præſidium.
Quod non potuerunt tandem diſsimulare, duo illi præcipui noui iſti-
us Euangelij Coriphæi, quibus illud quondam de Platone & Philone
dictum, propria eorum accomodauit ætas : Aut Eraſmus Lutheriſat :
aut Lutherus Eraſmiſat. Quorum iſte, Miſſa (inquit) eſt pars Euange-
lij : immo ſuma & Cōpediū Euāgelij. Et alibi : Miſſam pro viuis & de
functis valere, tota approbauit Eccleſia. Eraſmus verò politus ille (vel
ſi dicere mauis politicus) Theologus, c dum Belial cum Chriſto, hoc
eſt, hæreſes cum Eccleſia cōciliare præſumit, ſic Miſſam politicè ma-
gis quam Theologicè cōmendat. Cur Miſſam vſq; adeo execremur,
non video : cōſtat pſalmodia, qui dicitur Introitus : doxologia, preca-
tione, ſacris cāticis, recitatione verborū propheticorū aut Apoſtolico
rū, quā vocāt Epiſtolā : recitatione Euangelij, profeſsione fidei Catho
licæ, gratiarū actione, quā vocāt Euchariſtiam, ac religioſa cōmemo-
ratione mortis Dominicæ : rurſus precationibus, inter quas eſt preca-
tio Dominica : deinde ſequitur pacis Chriſtianæ ſymbolū, mox comu
nio, rurſus ſacrū canticū & precatio. Poſtremo loco ſacerdos totū po
pulū, velut in ſuam tutelā receptum, Deo benedictione tradit, atq; cō-
mendat, vt perſeuerent in affectu pietatis, mutuaq; charitate. Quid in
his non pium, ac venerandū? Hucuſq; Eraſmus. d Cùm ergo Luthe-
ro Miſſa ſit pars, vel potiùs ſuma ſeu compendium Euangelij : tamen
in omnibus ferè ſcriptis illam oppugnat & execratur, ſingulari autē
libro Miſſam priuatam, quæ per ſolum ſacerdotē cum miniſtro, abſq;
plebis præſentia & cōmunione perficeretur. Quaſi verò Miſſa (mo-
dò Catholica ſit) aliqua dici poſsit priuata, vel ex aſsiſtentia plebis de-
pendeat. Cùm & Dominus ipſe ad eius inſtitutionem, e non niſi
Apoſtolos, eoſdemq; ſacerdotes admitteret. Cauſam igitur odij, quo
Miſſam proſequeretur, tandem non diſsimulauit, quòd nimirum ab-
rogatio Miſſæ, foret certiſsima (quam ille totis viribus moliebatur)
euerſio Papatus (dixiſſet, ipſius Euangelij, vt ſuperiùs fatebatur.) f Et
recté

a Charitatis maximum in Miſſa exercitium.

b Hæreticorum primi Coriphæi Miſſam cōmēdāt. De Platone & Philone. Auguſt: lib. 12. cō: Fauſtum Cap. 39: Lutherus lib. de Captiuit: Babylonica. Idē in Decalogū. Eraſmus lib: de amabili Eccleſiæ concordia.

c 2. Cor: 6. ver. 15.

d Miſſam tantopere cōmendatā, cur tamen oppugnat Lutherus.

e Lucæ 22. v. 14. Clemens Conſtitutionū Apoſt. lib: 8. Cap. vltimo:

f Miſſæ & Papatus euerſio, opus Antichriſti. Dan. 8. verſ. 12. Et Cap: 11. v. 31.

rectè id quidem : cum ſedem Chriſti, quæ Luthero Papatus eſt, An-
tichriſtus non alio magis præſidio impetiturus ſit, quàm eiuſdem iu-
gis ſacrificij abrogatione, vt prædicit Daniel propheta. a Ideo eius
præcurſorē prodit ſeipſum Lutherus, quando gloriatur nouus Pſeu-
domoyſes, ſe, non per viſiones & ſomnia, vt cæteros Hæreſiarchas,
ſed facie ad faciem vidiſſe Diabolum, ab eoq; argumenta, vel potiùs
deliramenta, contra Miſſam edoctū. Hinc ſpiritu Antichriſtico affla-
tus, concitabat Germaniæ Principes, ſpoliatione bonorum Eccleſia-
ſticorum ſibi fœderatos, vt ad Papatum ferro igniq; exterminandū,
inſurgerent. Quod vbi prouidentia Diuina, non ſatis ſibi ſucceſsiſſet,
auſus eſt rabiem ſuam ſic euomere : b Malo (inquit) admittere, vt
nullus ruſticus, Sacerdotibus, Monachis, atq; Eccleſiaſticis, aliquid
det. Immò Turcas potiùs, aut Tartaros tolerabo, quam vt Miſſa ma-
neat. Et ſanè conſecutum eſt, quod ſuæ Babyloni ſuus edixit pſeu-
dopropheta : vbi viget illud, quod ex Auguſtino lex Eccleſiaſtica ha-
bet : Quod non capit Chriſtus, rapit Fiſcus : quod non redditur ſacer-
doti, traditur impio militi. Cernimus namq; ex illo tempore, quo claſ-
ſicum iſtud cecinit Lutherus, Germaniam à domeſticis motibus, &
externis barbarorum inſultibus, vix poſſe conquieſcere : quorum v-
trumq; non ſolùm iam Eccleſiaſticas, ſed domeſticas etiam faculta-
tes exhauriat, & Mahumetanos in terras Chriſtianorū, liberiùs graſ-
ſari permittat. c Idq; iuſto Dei iudicio : Quòd eiuſmodi religio vel
potiùs perfidia, magiſtro ſuo Luthero, Mahumetiſmum præ Papatu
elegiſſet : d Deinde quòd Chriſtianus, ad iſtos impetus auertendos
exercitus, ſimili perfidia ex parte imbutus, maiores aliquando quàm
in aduerſo barbaro, abominationes, cōmittat : vt loca & res ſacræ,
Cap. X. quibus manus barbarorum pepercisſent, à talibus religionis perdu-
ellibus, varijs ſacrilegijs afficiantur. e Accedit & aliud quòd ſuc-
ceſſus Chriſtianorum remoratur, vel potiùs inuertit : quòd loca qui-
dem Chriſtianorum adempta, Mahumetiſmo conſtanter addicuntur,
quæ verò à Chriſtianis vindicantur, in temporalibus quidem, (ſæpiùs
autem cum pauperum oppreſsione) vtcunq; prouidentur : in religi-
one autem & cultu diuino, non ſolùm negliguntur, ſed non rarò,
Deo & Eccleſiæ addicta, prophanis vſibus adſcribuntur. Quod qui-
" dem, quid quæſo aliud eſt, quàm in ſacerdotio & ſacrificio, f Deum
" ipſum, ne regnet ſuper nos, abijcere g Altare ſiquidem eiuſq; ſacrifi-
cium eſt, quod hoſtium viſibilium ſimul & inuiſibilium inſultus, à
populo Dei auertit : maximè quod propriè adoleat ſacerdos ille cæ-
leſtis, cuius vicem gerit offerens, de quo verè illud dici poſsit : Pro-
" perans (inquit Salomon) homo ſine querela deprecari pro populis,

a Lutherus Diaboli diſcipulus contra Miſſam. Exodi 33. verſ. 11. Numer. 11. v. 6. Lutherus lib. cō. Miſſam priuatā.

b Lutherus Miſſam primo domeſtica, deinde Turcica perſecutione proſcribit. Libro Colloquiorum Conuiualium folio 352.

Fiſcus rapit, quod Chriſtus non capit. Auguſt. hom. 48. Et ſerm. 209. de Tempore. Habetur Cauſa 16. quæſt. 7. Capite Maiores.

c Bellum Sacrum cur modo execrabile.

d Caſtra con. infideles qualia requiruntur. Deut. 7. verſ. 25. Ioſue 7. verſ. 12. 2. Machab. 12. v. 40.

e Victoria infidelium præ Chriſtianis ſuę religionī largior.

f 1. Regū 8. v. 7.

g Altare turris fortiſsima Chriſtianorum. Gen. 28. verſ. 27. Gen. 35. verſ. 5.

a Typus protectionis per sacrificium Christi. Sap: 18. vers. 21.

proferens seruitutis suæ scutum orationẽ, a & per incensum depre-
cationem allegans, restitit iræ, & finem imposuit necessitati, ostendẽs
quoniam tuus est famulus. Vicit autem turbas, non in virtute cor-
poris, nec armatura potentiæ, sed verbo, illum qui se vexabat, subie-
cit: iuramenta parentum, & testamentum cõmemorans. Quia enim
b Num. 16. v. 40.
his verbis ad literam dicitur, b Aaron non cruento, sed solius suffi-
tus sacrificio, Dæmonum simul & hominum rebellium insultus a-
uertisse, conuenienter applicari potest nouæ legis sacrificio, cuius to-
ta vis, ad instar incensi, ad cæleste Christi sacerdotis tabernaculum,
c Sap. 18. ver. 24. Isai. 63. vers. 2. 1. Ioan 21. vers. 2.
extenditur. Ipse namq; verè est (vt c ibidem sequitur) qui in veste
poderis, (sanguine secundùm Prophetam tincta) habeat totum orbẽ
terrarum descriptum, existens propitiatio pro peccatis nostris, non
solùm autem nostris, sed totius etiam mundi, vt S. Ioannes Aposto-
lus attestatur. Hoc etiam adumbrabat victoria Abrahæ, ex prophanis
Regibus parta, quando typo sacrificij Christi, per sacerdotem Mel-
chisedech exciperetur. Quod satis insinuat ipsa benedictio Melchise-
d Gen. 14. v. 20.
dechi d sic dicentis: Benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes
e Sacrificij exterminati pœna. Ioel 2. vers. 9, 13.
in manu tua sunt. Hæc ibi. e E conuerso autem, vbi tale sacrificium
desiit, succedit illud, quod olim deplorabat propheta: Perijt sacrifici-
um & libatio de domo Domini: luxerunt sacerdotes ministri Domi-
ni (subnectitur causæ suus effectus.) Depopulata est regio, luxit hu-
mus: quoniam deuastatum est triticum, confusum est vinum, elan-
guit oleum. (Et cùm retulisset alias clades, quæ depopulatis à Turca
regionibus apprimè conueniunt, redit ad priorem causam dicens:)
Accingite vos & plangite sacerdotes: vlulate ministri Altaris: ingre
dimini, cubate in sacco ministri Dei mei: quoniam interijt de domo
f Sarmatia religione & sacrificio à Barbaris pacatior.
Dei vestri, sacrificium & libatio. Hucusq; sacer Propheta. f Huius
rei experimentum, in nostro isto Sarmatiæ regno, vidit ætas nostra.
Vigentibus enim ex toto orbe confluxis hæresibus, semper ferè in-
cursionibus & vastationibus Tartarorum, aliquando etiam & Tur-
carum patebat: vt magna pars Ducatus Russiæ & Podoliæ, depopu
lata cernerentur. Postquam autem meliori Pastorum vigilantia, &
Regum in fide orthodoxa ardore, Catholica repullulauit religio, ac
templa & altaria prophanata, ex maiore parte fuerunt restituta, & in
multis locis denuo erecta: factum est, vt impetus hostilis, non solùm
esset repressus, sed potiùs inuersus: vt Russi & Podolij colonijs pro-
prijs, multò amplius & frequentiùs quàm vnquam aliàs restitutis, fi-
nes quoq; seu limites terræ suæ, in Scythicas & Turcicas ditiones
g Sarmatia Christianitatis propugnaculum.
produxissent: g adeò vt barbari illi, in intimis quoq; sedibus suis, à
nostrorum incursionibus tuti esse non possint. Et nisi Deus hac rati-
one,

one, orbi Christiano prouidisset, iam pridem Lutherana Babylon,
quod exoptabat, Scythas substitos, pro abrogata Missa, habuisset.
a Vngaria numẽ & omen Lutheri excepit.
Quod profectò a ante aliquot annos Vngaria, lerna hæresum, exper-
ta est, dũ Tartarorum agmina, per loca insueta & inuia, nostris non
satis adhuc explorata, ad regionem illam depopulandam irruissent.
Idipsum experti magis denuò auderẽt, nisi à nostris subinde repressi,
b Sacrificij instaurandi & frequẽtandi stimulus.
ad extrema terræ suæ latibula fuissent propulsati. b Redite ergo tan
dem ad cor, qui re estis, & qui nomine censemini, Christiani: & si
quæritis pacem temporalem simul & æternam, qua nihil optabilius
cogitari potest, ad eam vindicandam & firmandam, cælestem illum
c Sap. 18. ver. 15. Exod. 12. vers. 12.
(vt loco c præmisso Salomon describit)
Imperatorem deligite, qui (vt loco c præmisso Salomon describit)
sicut olim in typo, sic modò in veritate, durum sese debellatorem, ho-
stibus visibilibus simul & inuisibilibus, exhibet, in terris quidem per
sanguinem liberans, cælos autem æterni sui sacerdotij maiestate at-
tingens: omnia quidem in hostibus replens terrore & morte, suos au
tem pro quibus depugnat, ad terram promissionis deducens, & in
d Exhortatio ad sacrificium in vna Ecclesia celebrandum.
securitate vitæ æternæ constituens. d Cuius commonitionis nostræ
fortassis infirmæ sit vobis basis, & veluti tractatus istius nostri sigil-
e Basilius hom. in psalm. 115.
lum, e S. Basilius sic concludens: Locus sacrificij istius nobis de-
clarabitur, nempe media regio, ac proinde omnibus maximè conspi-
cua ipsius Ierusalem. Audite, qui Ecclesiam relinquitis, & in publi-
cis domibus versati, miseras facitis corporis pretiosi scissuras: audite,
inquam, quòd vota precesq; persoluere oporteat in medio Ierusalẽ,
hoc est, Ecclesiæ Dei. Neq; enim iuxta veterem cultus diuini ritum,
suam cuiq; aram figere liceat, & statuere: Sed altare vnum constitu-
entibus sacrificium offerre designatum est & ostensum. Tu contrà,
aram erigis ex aduerso altaris tibi à patribus, (traditi) superq; illam
f Num. 16. v. 1[illegible]
alienum f incendis ignem, ne sic quidẽ admonitus veterum exẽplo
resipiscis. Ad hoc, homines mente corruptos adsciscis in conturber-
nium, quorum conuictu teipsum inquinas ac defœdas. A talium pe-
stilenti imitatione vos abarcete populus Domini, neu sinatis vos a-
uelli ab eorum parte qui saluantur, perseuerantes in fide, opere explẽ-
tes mandata Domini, cui gloria & imperium in secula seculorum, A.

Sermo decimus tertius.

DE EFFECTV ET FRVCTIBVS, SAcrificij Missæ, & celebrationis tempore.

Sacerdotij Christi duplex potestas: in Moyse & Aaron adũbrata. Psalm 98. vers. 6.

SAcrificium nouæ legis, quod Christus Dominus in
vltima Cœna instituisset, duplicem potestatem habere, docet
Ecclesia. Vnam quidem clauium seu Iurisductionis: alteram
verò Ordinis. Vtraq; potestas adumbrata erat in Moyse, & Aaron
fratribus, qui secundùm Psalmistam erant in sacerdotibus Dei. in
Mose quidem elucebat a potestas directionis seu Iurisdictionis, secũ-
dum quam erat mediator inter Dominum eiusq; populum: simulq;
& Deus Pharaönis, qui populum Dei ex Ægypti tyrannide ereptum,
in terræ Sanctæ securitate constitueret. Quale officium potestate &
authoritate plenum, arguebat virga eius, quæ quicquid attingeret,
prodigiosa supra omnem naturæ legem redderet. Ordinis rursus of-
ficium repræsentabatur in Aarone multis præsignationibus, singu-
lariter vero b virga, quæ inter alias duodecim tribuum (quod etiam
numerum conuiuarum vltimæ Christi cœnæ refert) in tabernaculo
fœderis reposita, sola subitò frondescens & germinans, fructificaret.
Quæ quidem virga, c non obscurê refert effectum vtriusq; sacrificij
Christi: quando ipse primo quidẽ per passionem, veluti ab genere hu
mano abscissus, & in tabernaculo seu ara crucis inter mortuos repo-
situs, subitò tamen per gloriosissimam resurrectionem reflorescens
atq; regerminans, fructum corporis & sanguinis sui, quem in vltima
cœna instituisset, in sacerdotio secundũ ordinem Melchisedech æter-
no, iugi, & non amplius intermorituro, Ecclesiæ suæ dedicauit &
confirmauit. De isto incruenti sacrificij in Missa fructu seu effectu, re-
stat nobis, dilecti in Christo auditores, sermo persoluendus: idq; sub
titulo Circunstantiæ quintæ (Cur) initio istius tractatus dispositæ.
Quod iam diuino aspirante auxilio aggrediamur, Cui in secũda par-
te succedet & reliqua vltima Circunstantiã; (Quando:) quæ tempus
etiam tanto mysterio deputatum declarabit.

a Virga Moysis erat directionis virga Aaron sanctificationis. Exodi 4. ver. 17.

b Numer. 17. v. 7

c Virga Aaronis refert effectum duplicis sacrificij Christi. Isaiæ 53. vers. 8.

Prima pars: De effectu Sacrificij Missæ.

Sacrificij Missæ vis seu effectus triplex legali Sacrificio respondẽs.

EX formulis Liturgiarum superiùs positarum, colligere licet tripli
cem sacrificij Christi incruenti in Missa effectum: qui distingui-
tur ex figura triplicis sacrificij Legalis. Quorum primum & præ-
cipuum erat Holocaustum, quod totum comburebatur in recogniti-
onem summi dominij & Deo subiectionis. d Et hac ratione in Missa
potissimùm intenditur sum̃us honor creatori nostro impensus, quan-
do suæ maiestati offerimus id, quo nihil maius vel dignius esse potest,
iuxta illud Propheticum: Quid dignum offeram Domino? Curua-
bo genu Deo excelso? Nunquid offeram illi holocaustamenta, & vi-
tulos

d Missa quomodo holocaustum. Michea 6. ver. 6.

tulos anniculos? Nunquid placari potest Dominus in millibus arie-
tum, aut in multis millium hircorum pinguium? a Nunquid dabo
primogenitum meũ pro scelere meo? Fructum ventris mei pro pec-
cato animæ meæ? Verissimê id in solo Dei filio præuidit sacer Pro-
pheta: si quidem tale donum in creatura ab origine mundi inueniri
nequaquam potuit. Nemo enim teste S. Ioanne Apostolo: b pote-
rat neq; in cœlo, neq; in terra, neq; subtus terram, aperire librum (re-
demptionis humanæ) & aspicere illum: nisi leo de tribu Iuda, radix
Dauid: Qui quidem verbum æternum caro factus, c nobis natus &
nobis datus est, vt exacto principatu super humerum suum, per passi-
onem, intraret in gloriam suam, ibiq; in reuelatione veræ gloriæ Deo
Patri complacendo, in eadem gloria sua nobis locum præpararet. d
Quis enim (inquit præclarê B. Augustinus) tam iustus & sanctus sa-
cerdos, quàm vnicus filius Dei: qui non opus haberet per sacrificia,
sua purgari peccata, nec originalia, ne ex humana vita quæ addũtur.
Et quid tam congruenter ab hominibus sumeretur, quod pro eis of-
ferretur, quàm humana caro? Et quid tam aptum huic immolatio-
ni, quàm caro mortalis? Et quid tam mundum pro mundandis vitijs
mortalium, quàm sine illa contagione carnalis concupiscentiæ, caro
nata in vtero, & ex vtero virginali? Et quid tam gratè offerri & su-
scipi possit, quàm caro sacrificij nostri, corpus effectum sacerdotis no
stri? Vt quoniam quatuor considerantur, in omni sacrificio: cui offe-
ratur: a quo offeratur: quid offeratur: pro quibus offeratur: idem
ipse vnus verusq; mediator, per sacrificium pacis reconcilians nos
Deo, vnum cùm eo maneret cui offerebat, vnum in se faceret pro qui
bus offerebat: vnus ipse esset qui offerebat, & quid offerebat. Hæc
ille. e Quemadmodum autem holocaustum non cedebat ad partici-
pationem humanam, sed totum comburebatur: simili ratione in hoc
sacrificij modo, Christus non consideratur secundum visibilem & mi
nisterialem oblationem sub speciebus, sed quatenus ipse est Pontifex
cælestis simulq; Deus, qui secundùm Prophetam f ignis consumens
est. Et talis quidem sacrificij fruitio reseruatur in patria, quando Do-
minus illud (sicut promisit) exhibebit nouum in regno Patris sui.
Cui applicari potest illud Psalmistæ: Sacrificium laudis honorifica-
bit me: Et illic iter, quo ostendam illi salutare Dei. g Secũda for-
ma sacrificij legalis erat oblatio pro peccato, cuius pars combureba-
tur, pars autem comedebatur à sacerdote. Huic correspondet sacrifi-
cium nouæ legis, quatenus est Propitiatorium, & à solo sacerdote of-
fertur ac sumitur, quamuis etiam com̃unio aliorum laica non succe-
deret. Quale genus vel potius effectum sacrificij Euangelici satis

Cap. III.

a Deo Patri conuenientissimum sacrificium filius suus.

b Apoc: 5. vers. 4.

c Isai. 9. vers. 6.

d Christus õnes sacrificij rationes continet. August. lib. 4. de Trinit. Cap. 14.

e Missæ sacrificij propriũ obiectũ Christus gloriosus.

f Deut: 4. ver: 24. Marci 14. ver. 25. Psalmi. 49. v. 23.

g Oblatio legalis pro peccato quomodo respondet sacrificio Missæ.

 demon-

demonstrauimus suprà Sermone sexto, ex Epistola S. Pauli ad Hebreos, præsertim ex Capite Nono: [a] & quando ibidem Apostolus in genere sine vlla exceptione asseuerat, omnem pontificem ex hominibus assumptum, constitui pro hominibus in his, quæ ad Deum sunt: (potissimũ verò & propriè) vt offerat dona & sacrificia pro peccatis &c. Hîc tantum aliqua ex occasione ad hoc propositum adducamus. Isaias dicit: [b] Paruulum natum esse nobis, & filium datum esse nobis: prima sententiâ notat societatem incarnationis: altera effectum per passionem ipsius redemptionis. Quod explicat ipse Dominus dicens: Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitũ daret. Et paulò post idem Dominus Samaritanæ sese manifestans, donum seipsum appellat, vtiq; in pretiũ redemptionis destinatum. Clariùs verò Apostolus: Proprio (inquit) filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Et paulò post: Quis est qui condemnet? Christus Iesus qui mortuus est, immò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Istam autem interpellationem fieri per sacerdotium, quo perpetuo fungitur sedens ad dexteram Patris, & per seipsum suiq; propriam hostiam accedens ad Deũ ex istis verbis ostendit Apostolus, & in Epistola ad Hebræos clariùs demonstrat, vt ibidem docuimus. In eandem sententiam Ioannes quoq; Apostolus scribit: Filioli: [c] Hæc scripsi vobis, vt non peccetis. Sed & si quis peccauerit, habemus apud Deum, Iesum Christum iustum, qui est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi. Vbi constat Apostolum dicere de illa propitiatione, quam Christus æternus sacerdos propter continua delicta nostra, (quæ etiam in Oratione Dominica deprecamur) iugiter exercet ad dexteram Patris: Et tamen eandem propitiationem attribuit ipse Dominus sacrificio repræsentatiuo, in pane & vino nobis relicto, quando apud Matthæum in verbis institutionis illius sic dicit: Hic [d] est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

[a] Hebr. 5. vers. 1.

[b] Filius Dei, donum cæleste, Deo redditur per sacrificium propitiatorium. Isai: 9. vers. 6. Ioan 3. vers. 16. Ioan 4. vers. 10. Rom: 8. v. 32, 34.

[c] Sacrificium iuge propter continua delicta. 1. Ioan 2. vers. 1.

[d] Matth. 26. v. 28.

[e] Sub hoc genere propitiationis includitur etiam sacrificium satisfactorium, quod non tam respicit expiationem culpæ, quàm indulgentiam pœnæ, post remissionem culpæ, iustitiæ diuinæ reseruatæ: quemadmodum suprà sermone secundo de Pœnitentia satis demonstrauimus. Qualium pœnarum condonationem, multùm subleuat ieiunium, magis eleemosina, maximè verò oratio, præsertim summa illa & consummata, quæ fit per incruentum Missæ sacrificium: adeò vt non solùm viuis per meritum, sed etiam piè defunctis per viuorũ suffragium prosit, beatis quidem ad augmentum gloriæ, purgatorio

[e] Missa est sacrificium satisfactorium pro viuis & defunctis.

Cap. II.

autem

autem adhuc remoratis, ad remissionem pœnæ, & accelerationem gloriæ. [a] Cùm enim (inquit B. Chrysostomus) totus constiterit populus, extensis manibus, sacerdotalis plenitudo, & tremendum proponitur sacrificium: quomodo Deum non exorabimus, pro his deprecantes? Hæc ille. Ratio est, quia tales per vitæ cõmutationem & nequaquam amissionem, membra corporis Christi, quod est Ecclesia, sub capite Christo, esse non desierunt, proptereaq; sanctorum cõmunione quam in Symbolo profitemur, excedere non potuerunt. Si autẽ cui mirum videatur, extra statum vitæ cõstitutis posse contingere viuorũ suffragiũ: miretur potiùs, quomodo extra statũ non solùm vitæ, sed etiam legis & meriti, potuerit contingere, per prędicationem fidei & pœnitentiæ, reconciliationis, & salutis ipsius consortium. Cùm enim princeps Apostolorum scribit, [b] Christum mortuum quidem fuisse in carne, sed viuificatum Spiritu. Per spiritum intelligit diuinã eius naturam, [c] quæ verè spiritus est, cuius vigore, templum corporis sui morte dissolutum, in triduo erat resuscitaturus. Subijcit ergo S. Petrus, Christum in eodem spiritu, hoc est, verbo æterno animæ vnito, carcerem animarum, hoc est, infernum adijsse, vtiq; non tanquã reum & pręuaricatorem, sed tanquam iudicẽ & redemptorem: ibiq; prædicasse, hoc est, fidem euangelicam salutarem euangelizasse (vt sequenti Capite explicat, sicut mox referemus) spiritibus seu animabus eorum, quos insperatos diluuium suffocasset: non quidem obstinatis, & finaliter non pœnitentibus, sed incredulis, propter spem vlterioris patientiæ diuinæ, qualem spem tam diuturna fabricatione Arcæ & comminatione per Noë facta concepissent. Quamuis igitur tales non saluauerit Arca illa materialis in corpore, tamen saluauit eos Arca spiritualis, interioris fidei, per symbolum baptismi: quẽ quidem illi mortuorũ spiritus, quodã adũbrato voto, sicut viuentes fideles ad quos scribit Apostolus, re ipsa, suscepissent. Non ignoro loci huius difficillimi varias, & ab ipso sensu plerunq; diuersas, afferri expositiones: sed vtrum iste noster, tum literæ, tum intentioni Apostoli respondeat, doctiores iudicent. Si enim secundùm Euangelistam [d] Matthæũ, ante vniuersalem resurrectionem, multorum Sanctorum corpora cũ Christo resurrexerunt, & in ciuitate sancta apparuerunt multis, eademq; teste Apostolo, in cælos cum Christo traducta fuerunt: simile singulare priuilegium in liberandis talibus animabus, non erit denegandum, eidem Christo victori, qui propter tantam potentiam, statim pòst dicitur mortem deglutiuisse. [e] Et iste locus fuit fortasse occasio aliquibus, quos Apostolus ad Corinthios notat, qui viuentes baptizabantur pro suis mortuis, qui votum habentes baptismi absq; illo decedebant.

[a] Chrysost: homel. 69. ad populum Antioch.

[b] Mortuis non solùm oratio, sed prædicatio & salus per fidem impensa à Christo. 1. Petr: 3. vers. 18.

[c] Ioan 4. vers. 24. Ioan 2. vers. 19.

[d] Matth: 27. v. 52.

[e] Baptismus viuorũ pro mortuis Apostolo quid. 1. Cor. 15. vers. 29.

lo decedebant. Ibi enim Apostolus, arguit ad hominem (vt Logici
loquuntur) sicut priùs incredulos resurrectionem in seminatione nō
percipientes, sic postea Christianos superstitiosos, baptismum in alie-
na persona, & quidem mortuis, impendentes. Cùm tamen aliud sit
lex sacramenti limitata, aliud verò potestati ipsius legislatoris abso-
lutè seruata. Congener huic est & alius locus, quando idem Apo- Cap. V.
stolus non multò post inuehitur in incredulos & Epicureos infideles,
qui non solùm fidem & disciplinam Christianam amplecti nolint, sed
etiam contumeliis & blasphemiis persequantur. Venturum tamen
tempus, quando de tanta proteruia dabunt rationem Deo, qui para-
tus est iudicare viuos & mortuos. Vbi statim subiicit hæc verba:
Propter [a] hoc enim, & mortuis euangelizatū est, vt iudicentur qui-
dem secundùm homines in carne, viuant autem secundùm Deum in
spiritu. Vult enim dicere Apostolus, iudicia & condemnationes homi-
num huius sæculi, quæ secundùm carnem fiunt, fidelibus nihili ducē-
da: sed expectandum districtum & occultum iudicium Dei, qui pa-
ratus est iudicare non solùm viuos, sed etiam mortuos. Quibus etiam
verbis perstringit homines illos Epicureos, qui tanquam bestiæ præ-
sentem tantùm vitam voluptuosam attenderent, æternam illam ho-
mini propriam non capientes. Porrò vt certiores fiāt homines, mor-
tuos etiam iudicio diuino subiacere, voluit Deus ex singulari absolu-
tæ suæ potentiæ priuilegio, aliquos etiam (de quibus superiùs dixe-
rat) ad fidei, vel potius resipiscentiæ, prædicationem admittere: vt si-
mul iudicia humana confundantur, & admirentur [b] altitudinem di-
uitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, & quàm incōpræhensibilia sunt
iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius: cui nimirum & viui per in-
credulitatem mortui sunt, & mortui per fidem resipiscentes reuiui-
scant. Fateor quidem locum istum vtrumq; esse obscurum, & diuersa
lectione, & verbis ipsis, & sensu. Hoc nimirum competebat summo
Ecclesiæ Dei Magistro, [c] cui soli dictum fuisset à Domino: Duc in al-
tum, hoc est in profundum disputationum, vt Beatus exponit [d] Am-
brosius. Hoc etiam intelligi potest [e] illud signum Emanueli, hoc est
Christo Deo simul & homini proprium, quod Dominus vltro ipse ex-
hiberet, siue in profundum inferni, siue in excelsum suprà: quando
nimirum animas ex inferno sic liberatas, ascendens, secum in cælos
vsq; deduceret. Quod profectò de sese attestatur Christus sapientia il-
la æterna. Postquā enim multa stupenda opera sua in creatura, [f] ab
ipsa æternitate recensuisset, (quæ Christo Domino attribui dubium
non est) duobus quasi extremis & summis operibus, res à se gestas
concludit: primùm quòd à morte & inferis mortuos esset liberatu-
rus,

[a] Mortuis fuisse euangelisatū, quo sensu asserit S. Petrus.
1. Petr. 4. vers. 6.
[b] Rom. 11. v. 33
[c] S. Petrus iure suo obscura fidei pandit.
Lucæ 5. vers: 4.
[d] Ambros. super hunc locum. Et serm: 11.
[e] Christi signum in profundo inferni, siue in excelso supra.
Isai, 7. vers: 10.
[f] Sapientiæ æternæ opera à cælis ad inferos vsque extensa.
Eccli. 24 vers 35.
Hieron. & Ambr. super Ephes. 5.

rus: alterum quòd doctrinam, prædicationem, & fidem, ad comunē
hominum salutem, esset nobis relicturus & comunicaturus, per ba-
ptismi sacramentum, quod per fluuios vniuersam terram irrigantes,
paulò ante adumbrat. Iam verò eadem Sapientia (quæ est Christus)
quando incolatum Paradysi à se quasi prçparatum comemorat: vide-
tur alludere ad locum cælestis incolatus, fidelibus per suam passionē
præparatum, de quo dicebat latroni martyri: [a] Hodie mecum eris in
Paradyso. Deinde subiicit opus suum post expirationem in cruce pe-
ractum: [b] Penetrabo omnes (ergo & damnatorū) inferiores partes
terræ: & inspiciam omnes dormientes, (non reprobos, quibus mors
non est somnus, nec resurrectio ad vitam) & illuminabo omnes spe-
rantes in Domino. Vbi apertè excludit ab illa etiam absoluta & pri-
uilegiata redemptione eos, qui in malitia & finali impœnitentia eti-
am tempore diluuij decessissent: vt in superiori sententia dictum est.

Cap: VI. [c] Cæterum in sacrificio Missæ vsitatissimam semper fuisse orati-
onem pro defunctis, testatur Augustinus, librum de cura pro mortu-
is conscribens. Vbi inter alia sic loquitur: In libris Machabæorum le-
gimus oblatum pro mortuis sacrificium: Sed & si nusquam omnino
in scripturis veteribus legeretur, non parua est tamen vniuersæ Ec-
clesiæ, quæ in hac consuetudine claret, authoritas: vbi in precibus sa-
cerdotum, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum
habet etiam commendatio mortuorum. Vbi Augustinus per preces
quæ à Sacerdotibus ad altare Deo funduntur, intelligit Liturgias de
quibus diximus, presertim precipuam illarum partem, quæ Canone
minore constat: in cuius posteriori parte, defunctorum non solùm be
atorum aduocantur suffragia, sed ea etiam impenduntur iis, qui post
imperfectiorem decessum, in via propter reliquas post condonatas
culpas, expiationes, hærere existimantur. Cuius rei rationem ex eius-
dem Augustini doctrina, sic olim reddidit [d] Concilium Cabilonen-
se. Non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuo-
rum, quas faciendas pro omnibus in Christiana & Catholica societa-
te defunctis etiam tacitis nominibus eorum, quos sub generali com-
memoratione suscepit Ecclesia: vt quibus ad ista desunt parentes,
aut filij, aut quicunq; cognati vel amici, ab vna eis exhibeatur matre
comuni. Hæc ibi. [e] Id ipsum in omnibus quot quot extant Aposto-
licis etiam Liturgiis cernere est: vt expresè attestatur illarum pars
quam proximè ex Apostolica institutione annotauimus: vbi Cyril-
lus Ierosolymitanus affert rationem, quomodo eiusmodi viuorū of-
ficia, defunctis qui statu vitæ & meriti excidissent, proficiant. [f] Cle-
mens autem Romanus huic rationi sequentes scripturas accommo-
dat.

[a] Lucæ 23. v.43.
[b] Eccli. 24. v.45.
[c] Memoria defunctorū in Missa qualis.
August: in lib: de cura pro mortuis Cap: 1.
2. Machab: 12. v. 42.
[d] Conciliū Cabilonēse Cap: 89.
[e] Suffragiorum pro defunctis ratio.
[f] Clemens Constit: Apost: lib: 6. Cap: 30.
Psalm. 115. ver. 4.
Psalm. 114. ver. 7.

dat. Primò illud Psalmi: Pretiosa in conspectu Domini, mors san-
ctorum eius: Et appositè quidem, cùm ibidem Psalmista premittat
calicem, hoc est, passionem & mortem Domini, cuius vota seu sacri-
ficium reddat Domino in conspectu omnis populi eius. Deinde ad-
ducit illud ex sequenti Psalmo: Reuertere anima mea in requiem tu-
am, quia Dominus benefecit tibi. Quæ sit autem ista requies, vt post
mortem, extra statum meriti positis applicari possit, ostendit fusè di-
scipulus Pauli [a] Dionysius, dum similiter in Liturgiæ Apostolicæ de
scriptione, eadem piè defunctorum, tum inuocata, tum indigentiori-
bus impensa, sacrificiorum suffragia euincit. Tertium locum adducit
Clemens ex argumento ipsius Christi, [b] quo conuicerat Saducæos
resurrectionem negantes: nempe Abraham, Isaac, & Iacob, quamùis
corpore mortuos mundo, spiritu Deo viuere, eò quòd ipse sit eorum
Deus: cæteroquì autem Deus protestetur, Deum se esse non mortu-
orum sed viuorum [c] Addit vterq; Elizæi Prophetæ exemplum, qui
non solùm animo, sed corpore se Deo viuere comprobauit, quando
contactu reliquiarum suarum (vtiq; honorandarũ,) mortuum ad vi-
tam reuocauit. [d] Tertium genus sacrificij legalis erat hostia paci-
fica, in gratiarum actionem pro beneficijs præteritis, & futurorum,
vel bonorum successus, vel malorum deuitationem: Et istius quidem
oblationis vna pars comburebatur, altera à sacerdotibus comedeba-
tur, tertia offerentibus quoq; comunicabatur. Et sic oblatio ista rectè
accomodabitur tertio sacrificij Euangelici generi, quod vocatur Eu-
charisticum: quod potissima intentione offerentium, respicit laudes
& gratiarum actiones Deo, pro quibuscunq; beneficijs ab eo receptis:
simul etiam precationes, ad bonorum quidem successuum bonam di-
rectionem, malorum verò deuitationem. In quo sacrificij genere, vl-
tra honoris diuini veluti holocaustum, & quæ illud comitatur pro-
pitiationem, per sacerdotem oblatione & sumptione peractam, solet
plerunq; consequi, & ipsorum pro se offerri postulantium Eucharisti-
ca comunio, premissa per confessionem cum Deo & proximo pacifi-
catione. [e] Hoc illud certè est, quod Apostolus vnicè in omnibus Ec-
clesiis comendat: vt fiant obsecrationes, orationes, postulationes, gra
tiarum actiones pro omnibus hominibus &c. Quæ verba S. Ambro-
sius ad ordinem Missæ sic applicat: Prima ergo oratio laudem debet
habere: secunda supplicationem; tertia postulationem: quarta gra-
tiarum actionem. Non debes quasi famelicus ad cibum de cibo inci-
pere. Et paulò post: Quomodo (inquit) cæpit à laudibus Dei, sic de-
bet Dei laude desinere. Hæc ille. Cùm autem Apostolus orationibus
adhibet etiam obsecrationes, satis ostendit istas orationes, [f] postula-
tiones,

a Dyonis: lib. Eccl. Hierarch. Cap: 7.

b Matth. 22. v. 31. Exodi 3. vers. 6.

4. Regũ 13. v. 21 Eccli: 48. vers. 14.

d Hostia pacifica legalis respõdet sacrificio Eucharistico, eiúsq; comunioni.

Cap. VII.

e Missæ partitio ex doctrina S. Pauli & Ambrosij.

1. Timoth: 2. v. 1.
Philip. 4. vers: 6.
Ambros: lib: 6. de Sacramẽtis Cap. 5.

f Obsecratio in Missa quid?

tiones, & gratiarum actiones, potissimè & efficacissimè fieri debere,
per rem omnium sacratissimam, quæ non est alia quàm corpus &
sanguis Christi, ipse deniq; Christus Sanctus sanctorum, qui in hoc sa
crificio & seipsum inuisibiliter offert, & per ministeriũ sacerdotum in
alienis speciebus visibiliter offertur. [a] Ipse namq; sacerdos, veluti
in typo [b] Aaronis, in podere tanti ministerij, habet descriptũ orbem
terrarum: atq; [c] secundùm Chrysostomum, est quasi comunis quidã
pater totius orbis: dignum igitur est, vt omnium curam agat, omni-
busq; prouideat: sicut & Deus cuius ministerio seruit, & vice fungi-
tur vicem siquidem gerit, aduocati nostri cælestis, qui [d] teste S. Ioan
ne, est propiciatio pro peccatis nostris, non solùm autem nostris, sed
etiam totius mundi. Hunc ordinem sequuntur omnes antiquissimæ
Liturgiæ. Ex quibus quæ est Cyrilli Hierosolymitani sic habet: Deniq;
postquam confectum est, illud [e] Spirituale sacrificium & ille incru-
entus cultus, super ipsa propitiationis hostia, obsecrans Deum pro cõ
muni Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi: pro regibus, pro
militibus, pro socijs, pro ægrotis & afflictis, & in summa pro his o-
mnibus qui egent auxilio: indigemus autem omnes. In quibus eti-
am verbis Cyrilli potest notari ordo à nobis suprà positus: Quod
enim in Missa diximus holocaustum, quatenus spectat diuinum inui-
sibilem cultum & honorem: hoc Cyrillus vocat spirituale sacrifi-
cium, & incruentum cultum: Rursus quod subiecimus sacrificium
propitiatorium: istud ille propitiationis hostiam denominat: Suc-
cedit his tertia sacrificij ratio, quæ obsecrationibus, orationibus, postu-
lationibus, & gratiarum actionibus concluditur.

Cap. VIII.

[f] Ex his quæ hactenus diximus consequitur, quod ordo iste Litur-
gicus desumptus fuerit ex petitionibus ab ipso Christo in oratione
Dominica ordinatis. Quod vel ipsa eius in Missa Præfatio alias inusi-
tata arguit, quando sic premittitur: Præceptis salutaribus moniti, &
diuina institutione formati, audemus dicere. Pater noster &c. De quo
perpulchre [g] Chrysologus: Ecce (inquit) homo, tua te voce Chri-
stus hodie, vt sibi faceret cohæredem Dei Patris, adoptat in filium:
dum ait: Pater noster: Quod suæ dignationis est, tuæ esse voluit po-
testatis: iuxta illud: [h] Quot quot receperunt eum, dedit eis potesta-
tem filios Dei fieri. Et tamen iubet dicere, vt donatio dignãtis sit, non
temeritas præsumẽtis. Hæc ille. Et sic prima tres petitiones cùm suo
exordio, referuntur ad speciem primi & principalis sacrificij, quod ve
luti quoddam holocaustum, recognitioni & honori summi Dei im-
penditur [i] Primò enim quando dicitur Deus esse Pater noster, insi-
nuatur quoq; quòd sit & Dominus noster, à quo etiam ipsa Oratio
dicitur

a Sacerdos offerens est quasi cõmunis Pater totius orbis.

b Sapient. 18. v. 24.

c Chrys: homel: 6. & 7. in Epist: ad Timoth.

d 1. Ioan 2. vers. 2.

e Sacrificium in Missa triplex. Cyrill: Ierof. Catechesi 5. Mystagogica.

f Oratio Dominica, triplex sacrificium in Missa ostẽdit, eiusq; exordij ratio.

g Chrysolo: serm: 69.

h Ioan 1. ver. 12.

i Oratio Dominica cur sic dicta, eiúsq; exordij & petitionũ ratio.

dicitur esse Dominica. Sicut igitur compellatio Patris importat honorem, sic professio Domini dictat timorem, quemadmodum ipse apud [a] Prophetam dicit: Si Pater ego sum, vbi est honor meus? Si Dominus sum, vbi est timor meus? Sicut etiam compellatio Patris ingerit nobis confidentiam dignationis, sic situs cælestis, reuerentiam subiectionis. Sicut paterna denominatio insinuat parentis fauorem: sic cælestis sublimitas, districti iudicis intonat terrorem. Eò etiam spectant priores tres petitiones, quarum prima intendit Dei nominis sanctificationem: secunda imperij eiusdem directionem: tertia voluntatis nostræ cælesti regimini conformationem, & subiectionem. Quinta petitio accommodatur sacrificio propitiationis, mediante charitate erga Deum & proximum, quando dicimus: Et dimitte nobis debita nostra: sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Quarta petitio rursus spectat sacrificium Eucharisticum, quando expetimus panem supersubstantialem, tum verbi Dei quod est alimentum animæ, tum ipsius Eucharistiæ, qua anima simul & corpus ad vitam indeficientem sustentatur. [b] Hæc est maxima (inquit B. Ambrosius) postulatio eorum quæ postulantur: siquidem ἐπιούσιον Græcè sonat primò supersubstantialem panem, quo nimirum non corpus sed anima saginetur: deinde eadem vox sonat etiam aduenientem: vt sub visibili symbolo expetamus panem illum, verè cælestem in propria substantia, quem sese nobiscum Dominus promiserit manducaturum [c] nouum in regno Dei. In eundem sensum Cyprianus: Sicut (inquit) initio propriè Patrem nostrum de cælis compellamus: ita etiam propriè panem nostrum, id est, Christum dari nobis quotidie petimus: vt qui in Christo manemus & viuimus, à sanctificatione eius & corpore non recedamus. Hæc ille. Hic est [d] (inquit Chrysologus) panis qui de cælo descendit, qui satus in Virgine, fermentatus in carne, in passione confectus, in fornace coctus sepulchri, in Ecclesiis conditus, illatus altaribus, cælestem cibum quotidie fidelibus subministrat. Sic ille. Deinde eodem ordine consequitur sacrificiũ (vt vocat Apostolus) obsecrationum, orationum, postulationum, quod includitur in sexta & septima petitione quando dicimus: Et ne nos inducas in tentationem; sed libera nos à malo. [e] Sed nec prorsus omittitur sacrificium confessionis & laudis, quando aliqua exemplaria apud Matthæum habent in margine adscriptum istud Epiphonema, priores tres petitiones veluti recapitulans: Quoniam tuum est regnum, tua est potentia, & gloria, in secula seculorum. Quod etiã apud [f] Clementem in traditione Apostolica positum reperio. Ex his quæ diximus colligitur sacrificij nouæ legis perfectio. Cum enim secundum

Cap. IX.

a Malach. 1. v. 6.

b Ambros. lib. 6. de Sacramentis Cap. 5. Et lib. 5. Cap. 4.

c Marci. 14. v. 25. Cyprianus de Oratione Dominica.

d Chrysologus serm. 67.

e Orationis Dominicæ epiphonema laudis & confessionis. Matth. 6. vers. 13.

f Clemens Constit. Apost. lib. 3. Cap. 18.

cundùm Dionysium triplex fit sacerdotis officium: illuminare, purgare, & perficere. [a] Illuminatio quidem fit per prædicationem, & doctrinam, ad concipiendam fidem: purgatio autem fit per Sacramenta, propriè autem per absolutionem sacramentalem: perfectio deniq; consummatur sacrificio, in eas quas diximus partes distincto. Illius siquidem effectus subsequitur vnio cum personis Diuinissimæ Trinitatis, quem descripsit [b] Apostolus his verbis: Si enim nobis filiũ dedit, quomodo non omnia etiam cum illo nobis donauit? Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat. Quis est qui condemnet? Christus Iesus, qui mortuus est, immo qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustià? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? &c. Certus sum enim, quia neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neq; instantia, neq; futura: neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia, poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

a Missa perficit triplex præcipuum officium sacerdotis. Dionys. lib. cælest. Hierarch. Cap. 13.

b Missæ sacrificium Deo hominem coniungit & beatificat. Rom. 8. vers. 31.

Secunda pars: De tempore, & frequentatione sacrificij Missæ.

Cap. X.

RESTAT nobis in isto Missæ tractatu, explicanda vltima circunstantia (quando,) quæ tempus eiusdem mysterij præscribat. De qua breuiter dicimus: [c] Missam cùm sit sacrificium æterni sacerdotij cælestis Pontificis, & quidem iuxta Danielem, iuge seu indeficiens, & vniuersale, posse immò & debere celebrari omni tempore seu die. Excepto singulariter die Parasceues, quo solo in Missa non fit consecratio: quod ea die, Pontifex & Pastorum Princeps, Dominus noster sacrificium proprij sanguinis persoluerit: Sed hostiæ pridie in die cœnæ Domini consecratæ, cùm quibusdam vsitatis Missæ Cærimonijs, & orationibus pro varijs statibus hominum, fit per sacerdotem, & populum ipsum sumptio seu comunio. [d] Hac etiã ratione Ecclesia istud sacrificium celebrat, non noctu vel vesperi, hoc est, nõ in initio, nec in decursu, sed in ipso statu temporis illius, quo Dominus passionem suam exegisset, ab hora nimirum diei prima, vsq; ad horam sextam inclusiuè, aliâs sole exoriente, vsq; ad meridiem, quo tempore Dominus in cruce legitur expirasse. [e] Ab hac regula alioqui firmissima, excipitur nox Natalis Domini, in qua cuilibet sacerdoti permissum est tres Missas celebrare, quarum prima ordinariè fit in gallicantu, secunda in

c Missa sacrificium matutinum, tamen indeficiẽs.

d Die Parasceues cur non fit consecratio.

e Missæ tempus cur ab aurora ad meridiem, & cõtrarij abusus.

d Nox Natalis Christi, ad sacrificandum priuilegiata. serm. 2. litera R. & serm. 7. litera N. De Consecratione Distinct. 1. Cap. Nocte, & sequentibus.

da in aurora, tertia versus meridiem, idq; ad denotandam triplicẽ Na-
tiuitatem Christi, vt in prima parte Christologiæ diximus. a Quod
S. Thelesphorus, octauus B. Petri in Sede Romana successor expressi-
ùs præscribit. De quo & Damasus sic attestatur: Thelesphorus fecit,
vt in Natali Domini noctu Missæ celebrarentur. Cùm alio tempore,
ante horæ tertiæ cursum, nullus præsumeret Missas celebrare: quia
ea hora Dominus noster ascendit in crucem. Hæc ille. Vbi tamen per
horam tertiã, intelligitur totum tempus illud, à mane vsq; ad horam
nonam, quando Dominus toto illo tempore crucifigebatur, primò
quidem linguis Iudæorum, deinde manibus carnificum. b Addit Ru
pertus rationem, quòd simili tempore Spiritus Sanctus, super Aposto-
los fuerit cum plenitudine charismatum effusus. Quas rationes c S.
Thomas recolligit, ex quo hæc excerpsimus: In celebratione huius
mysterij, attenditur repræsentatio Dominicæ passionis, & participa-
tio fructus eius. Et secundùm vtrumq;, oportuit determinare tempus
aptum celebrationi huius Sacramenti. Quia enim fructu Dominicæ
passionis quotidie indigemus, propter quotidianos defectus, quotidie
in Ecclesia regulariter hoc Sacramentum offertur. Quia verò Domi-
nica passio, celebrata est à tertia hora vsq; ad nonam: ideo regulari-
ter in illa parte diei, solenniter in Ecclesia celebratur hoc sacramentũ.
Post cænam in fine diei hoc Sacramentum Christus consecrauit, &
discipulis tradidit: d à nobis tamen celebratur hora Dominicæ pas-
sionis, scilicet diebus festiuis in tertia, quando crucifixus est linguis Iu
dæorum, vt dicitur Marci 15. & quando Spiritus Sanctus descendit
super discipulos: vel diebus profestis, in sexta, quando crucifixus est
manibus militum, vt habetur Ioan: 19: vel diebus ieiuniorum in no
na, quando voce magna clamans emisit spiritum, vt dicitur Matth:
27. e Potest tamen tardari, maximè quando sunt Ordines faciendi,
& præcipuè in Sabbato sancto, tum propter prolixitatem officij, tum
quia Ordines pertinent ad diem Dominicam. Possunt tamen Missæ
celebrari prima parte diei, propter aliquam necessitatem. Hæc ille.
Ea ratione aliquãdo & quidẽ raro Sumus Pontifex, propter instantes
necessitates, vel rationabiles causas, solet dispensationẽ singularẽ con-
cedere ad celebrationem Missarum circa auroram, non tamen in pro-
fundam noctem: vt modò à quibusdam fit, quemadmodum in alio-
rum diuinorum officiorum nimia acceleratione: partim prętextu
publicæ necessitatis, quæ plerunq; in priuatas occupationes vel libi-
dines redundare solet: partim prętextu exquisitissimarum dispensa-
tionum, quales f S. Bernardus Dissipationes vocare solet. Si enim ta
le quid permissum esset, propter nouorum populorum conuersionẽ:
verendum

a Thelesphorus Epist: 1. Damasus in eius vita. Gregorius hom. 8. in Euang:

b Rupertus de officijs. lib. 10. Cap. 18.

c D. Thomas 3. parte quæst. 83. art. 2.

d Missæ tempus exactè dirigitur ad horas passionis Christi.

e Missa quando tardari vel anteuerti potest.

Ca. xl.

f Bernardus lib: 4. de Consideratione Cap: 4. Et Epist. 7.

verendum est, ne id redundet in populi iam conuersi peruersionem.
Quod enim solus Natalis Domini prętogatiuę accepit, hoc sibi vna-
quæq; dies tempore brumæ vendicauit: vt ferè à gallicantu Missæ
exortæ sibi succedant, & paulò post solis exortum desinant: adeo vt
qui tempore à Canonibus pręscripto versus meridiem veniunt, de-
uotione sua frustrentur. Solent in talibus afferri ratiunculæ (vt Apo-
stolica lex a per Clementem Papam, ex Psalmista adducit) ad excu-
sandas excusationes in peccatis: nimirum, primum tempus Dei glo-
riæ esse mancipandum, vt ex sententia Saluatoris, reliqua negotijs hu
manis adijciendis seruentur. Ego verò dico, Dominum & magistrũ
nostrum, vendicasse regno suo & cultui suo, tempus primum, non so-
lùm ordine, sed etiam dignitate. Qualis verò honor Dei est iste, sibi
suisq; plerunq; maledictis negotijs & sollicitudinibus, diem & lucem
vendicare, Diuinæ autem laudi, cultui, & honori, noctem & tenebras
relinquere? b Quid verò aliud istud est, quam sollicitudinem huius sę
culi approbare & promouere, quam Dominus tanto studio non so-
lùm dehortatur, sed vt periculosam condemnat? quando nimirum
curæ animæ c (cuius iactura lucro totius mundi non æquiparatur)
nocturna momenta pręscribuntur, sollicitudini verò corporis & re-
rum sæcularium, integri ferè dies, & noctis maxima pars indulgen-
tur. Quam etiam Apostolica institutio damnat, sicut ex S. Clemente
mox adscribemus. Et primus quidem ille Christianismus sanctus, in-
nocens, impollutus, nocturnos tales ad Ecclesias conuentus, ad lau-
des per nocturna interualla Deo persoluendas, experiebatur fuisse su-
spectos, non solùm Gentilibus, sed etiam ipsi Magistratui Ecclesiasti-
co, qui propterea vigilias nocturnas in ieiunia comutasset. Quid nos
igitur corruptissimo seculo de nobis pręsumimus, vt non potius se-
» quamur illud quod veritas dicit: d Nõne duodecim sunt horæ diei?
» Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi vi-
» det. Si autem ambulauerit in nocte, offendit. Fidamus ergo Domino
& magistro nostro, vt præcipuum tempus, quod mater nostra Eccle-
sia destinauit, quærendo regnum eius per cultum Dei honorificum,
& iustitiæ eius, per exercitia pietatis, & operum charitatis, impenda-
mus, vt nobis cætera ad vitæ necessitatem, non ad tentationis & da-
mnationis superfluitatem, adijciantur. Ipsum autem Missæ sacratissi-
mum cultum, verè cordibus sursum in cælum elatis, affectibus verò
seculi depressis, tota animi resignatione, & deuota corporis composi-
tione peragamus. e vt nulla nos à cælesti ista attentione, non solùm
terrena distractio, sed quantum fieri potest, nulla etiam aduersa cogi-
tatio abripiat. f Legimus Alexandro Magno thura dijs adolenti, no-
bilissimum

a Clemens Cõst. Apost: lib. 2. Cap. 61. aliâs 65. Matth. 6. vers. 33

b Dic potius quã nocte ad Eclesias conueniedũ. Matth. 6. ver: 25.

c Matth. 16. v. 26.

d Ioan 11. ver. 9.

e Attentionis ad Diuina mysteria Aethnica exẽpla.

f Valer. Max lib. 3. Cap. 3.

bilißimum ex iuuenibus thura subministrantem, carbone ignito for-
tè elapso, brachium sic adusisse, vt nidore combustæ carnis totum fa-
a T. Liuius Doc: 1. lib: 2.
num repleretur: a ipsum tamen immobilem in ministerio substitisse.
Sic ille Mutius Scæuola Romanus augur, pro aris & focis patrijs, fer-
tur coram hostili Imperatore manum immotam flamma sibimet vl-
tro absumpsisse. Miseros nos Christianos, qui circa tanta cælestia my-
steria, ad quæ cælestes etiam tremunt potestates, pulicis etiam vel mu
scæ iacturam non satis ferimus. Ne igitur tantum teporem no-
strum, gentes in districto Dei iudicio condemnent: & vt infirma ista
nostra eruditio & admonitio, grauitatem Apostolicam acquirat, pla-
cuit pro Colophone istius tractatus, Apostolorum ipsorum instructi-
onem simul & exhortationem huic proposito aptum, hîc adscribere:
b Ordinatio Apostolica de modo cultus diuini prę sertim circa Missam.
Clemens Const. Apost. lib. 2. Cap. 57. aliâs 63 & seq.
quā S. Clemēs his prosequitur verbis. b Cùm doces Episcope, iube
& mone populum frequentare quotidie Ecclesiam, mane, & vespe- *Cap. XII.*
re, vt omninò abesse nolit, immò asiduè conueniat, neq; vllus sub-
ducendo se, Ecclesiam mutilam faciat, & à corpore Christi vnum mē-
brum decerpat. Neq; enim de solis sacerdotibus dictum est, sed potiùs
quisq; laicus de se quoq; dictum cogitet. c Qui non est mecum, neq; „
c Lucæ 11. v. 23.
mecum colligit, spargit. Ne igitur qui estis alioqui membra Christi, „
d Frequētia quotidiana bis in Ecclesia,
vos dispergatis, d non congregando vos, qui Christum habetis ca-
put, qui vt idem promisit, vobiscum est, & vobis sui communionem
impertit. Ne sitis vestri negligentes, néue Saluatorem suis membris
e Cultus diuinus negotijs vita prę ponendus,
priuetis, neq; corpus eius diuidatis, neq; mēbra eius dissipetis, e neq;
verbo Dei ea, quæ ad vsus vitæ pertinent, anteponatis. Quinimò con-
uenite in Ecclesiam singulis diebus mane, & vespere, ad canendum
psalmos, & precationes in templo Domini faciendas: mane quidem
Psalmum sexagesimum secundum, vespere verò centesimum quadra
f Dominica dies Resurrectionis memoria ōnibus recolenda,
gesimum: potißimum autem die sabbati, f & die Dominico, qui
est dies resurrectionis, studiosiùs templum Domini adite: vt Deū lau-
dibus celebretis, qui fecit omnia per Christum, quem ad nos misit, &
pro nobis mori permisit, & à mortuis excitauit. Quid enim apud De-
um excusare poterit, qui eo die ad audiendum verbum Dei salutare de
g Orationes stā do in memoriam resurrectionis Domini,
resurrectione non conuenit? quo quidem die precationes g tres stan-
tes facimus, memores eius, qui post triduum resurrexit. In quo item
h Missæ tres partes, etiā Apostolis,
adhibentur h lectio prophetarum, euangelij prædicatio, oblatio sa-
crificij, & sacri cibi donum. Quomodo verò non est hostis Dei, qui no
i Diuina negligentes taxantur, Lucæ 7. vers. 34.
cte, & die operam & studium i in fluxis quidem, & caducis rebus col-
locat, quæ verò æterna sunt negligit? qui quotidie in balnea, & cibū
caducum incumbit: ea verò, quæ semper permanent, & durant, non
curat? Quomodo isti non est etiam nunc dicturus Dominus: Iusti-
ficatæ

„ ficatæ sunt supra vos gentes, sicuti cùm exprobrabat: Hierusalem,
„ inquiens, iustificata est Sodoma ex te. a Etenim si gentes quotidie cū
a Iudæi & Gentiles quàm tenaces suæ falsæ religionis.
è somno surrexerint, ad idola properant colenda, & ante opus, actio-
nemq; omnem eis primùm preces adhibent, & in eorum agitandis fe-
stis, ac celebritatibus non interponunt moram, sed eis student, & in-
seruiunt, non solùm qui sunt eius loci, sed etiam qui procul habitant,
& in ipsis theatris omnes tanquam in synagoga quadā conueniunt:
similiter qui nunc vano nomine Iudæi appellantur, sex diebus ope-
rantur, die septimo in synagoga sua conueniunt, nunquam neq; suam
illam Sabbati vacationem, neq; synagogam suam prętermittentes,
aut negligentes: alioqui vacui in incredulitate sua à virtute verbi
Dei, & nominis, quo seipsi vocant. (Iudas enim confeßionem decla-
rat: hi autem, qui Christum morte contra legem affecerunt, nō con-
fitentur Deo, vt per pœnitentiam salui fiant) si, inquam, perditæ gen-
tes ea, quæ nihil eis prosunt, frequentant, quid tu Domino Deo excu-
sabis, qui ab Ecclesia eius absens es? qui ne gentes quidem imitaris,
immò quia abes, ideò desidiæ te dedis, aut apostasiæ, aut maleficio.
„ Quibus Dominus per eum, qui dictus est, dicit, Iustificationes meas
„ non custodistis, immò neq; secundum iustificationes gentium ambu
„ lastis: & eas propè superatis. Et rursus, Iustificauit animam suā Isra-
„ el præ anima incompositi Iuda, & quæ sequuntur: b Si mutauit *b Ierem: 2. v. 10.*
„ gentes deos suos, & hi non sunt Dij: quia transite in insulas & videte,
„ & mittite ad Cedar, & considerate diligenter, an sint facta talia, quia
„ illi quidem non mutant, quæ legis suæ sunt: populus verò meus, in-
„ quit, mutauit gloriam suam, quæ ei non proderit. Quomodo igitur se
defendet, qui Ecclesiam Dei parum curauerit, aut se de ea subduxe-
rit? c Si quis verò parum curat eam, excusando se causa operis sui,
c Excusationes Pseudochristianorum à seruitio Dei.
„ excusando, inquam, excusationes in peccatis: cognoscat qui sic est,
Psalm 140. ver. 4.
artes d quidem Christianorum esse, quasi quoddam adminiculum o-
peris, religionem verò esse opus. Artificia ergo vestra tanquam aliud
d Christianorum opus seruire Deo cætera adiumēta.
agentes, ad victum parandum exercete: religionem verò colite hoc
„ agentes. Sicut Dominus aiebat e operamini non cibum, qui perit,
„ sed manentem in vitam æternam. Et iterum: hoc est opus Dei, vt
e Ioan 6. ver. 27. 29.
Cap. XIII. credatis in eum, quem misit ille. Itaq; studete, ne Ecclesiam Dei vn-
quam deseratis. f Sin verò aliquis eam despexerit, & in fanum pro-
f Infidelibus, in rebus religionis non comunicandum.
phanum gentilium intrauerit, vel in synagogam Iudæorum, vel hæ-
reticorum, quid iste in die iudicij apud Deum excusabit, qui dereliquit
verba Dei viuentis, quæ viuunt, & viuificant, quæq; ab æterno sup-
plicio liberare possunt, & se contulit ad aliquam ædem dæmoniorū,
aut ad synagogam eorum, qui Christum occiderunt, aut ad Ecclesi-

 am mali-

a Psalm 25. v. 5. Psalm 1. vers. 1.

am malignantium, neq; audiunt eum, qui dixit: a Odiui Ecclesiam
malignantium, & cum iniquè agentibus non introibo: non sedi cũ
concilio vanitatis, & cum impijs non sedebo: & rursus: Beatus vir,
qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit:
& in cathedra pestilentiæ non sedit: sed in lege Domini voluntas
eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Tu verò relicto fideliũ
cœtu, Ecclesia Dei, eiusq; legibus, aspicis in speluncam latronum, san-
cta existimans, quæ ille profana, & execrabilia vocauit, & comunia
tecum faciens, quæ ille disseparauit: neq; id solùm, immò iam ad põ-
pas etiam gentilium concurris, & ad theatra properas, cupisq; inter
eos, qui illuc ingrediuntur, numerari, & obscœnos, ne dicam execra-

b Ierem. 15. v. 17. Iob. 35. vers. 4.

biles cantus audire. Neq; Hieremiam audisti, cùm ait, b non sedi in
concilio eorum ludentium, sed timebam à facie manus tuæ: neq; Iob,
cum similia loquitur, si cum scurris ambulaui vnquam, appendebar

c Librorum prohibitorum lectio detestanda.

enim in lance iusta. c Quid verò vis comunicari tecum libros genti-
lium, qui sunt hominum mortuorum, qui diaboli instinctu ea edide-
runt, quæ ad interficiendum, & euertendũ fidem valent: quæq; eos,
qui studium in ipsis collocant, ad ponendam multitudinem deorum
deferunt. Vos igitur legibus Dei studete, easq; in maiore precio, quàm
ea, quæ ad vsum, & vitæ necessitatem pertinent, habete: atq; ita ma-

d Nota Ecclesiã in cœtu fidelium, repræsẽtare ipsũ corpus Christi. Act. 20. vers 28.
e Ephes: 5. v. 27.

iorem eis honorem habentes, concurrite d ad Ecclesiam Dei, quam
ipse acquisiuit Sanguine Christi dilecti, primogeniti omnis creaturæ.
Hæc est filia altissimi, quæ nos per verbũ gratiæ parturiuit, & Chri-
stum in nobis formauit, cuius facti participes sacra membra estis ele-
cta, non habentes e maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi:
sed potius tanquam sancti & in fide immaculati, consumati estis in

f Comunicantes infidelibus participant eorũ culpas.
g 2. Cor. 6. v. 15.

ipso secundùm imaginem eius, qui vos creauit. f Cauete igitur, ne
ferias cum perditis hominibus, id est, cum Synagoga gentilium in er-
rorem & interitum vestrum agatis: g nulla namq; Deo cum Dia-
bolo comunio: qui enim tunc cum illis congregatur, qui ea sapiunt,
quæ diaboli sunt, vnus ex ijs ipsis numerabitur, & væ erit hæreditas

h Mores infidelium Christianis abominandi.
i Omnes diuinationes excludit religio Christiana.
Num. 23. v 21, 23.
Deuter. 18. v. 10.
Ierem. 10. ver. 2.

eius. h Fugite demum turpia spectacula, theatra dico, & gentilium
pompas, incantationes, diuinationes, vaticinia, expiationes, auguria,
auspicia, necromantias, omina: i quia scriptum est, Non est augura-
tio in Iacob, neq; vaticinatio in Israel. & rursus: augurium peccatum
est. & iterum aliâs: Ne auguremini, & diuinationes, ac vaticinia, &
ventriloquas ne sectemini: & veneficos ne asciscatis. Vnde Hieremi-
as sic nos monet: Vias, inquit, gentium ne ambuletis, & à signis cæli
ne vobis metuatis. Quamobrem oportet fidelem deuitare conuentus
gentilium, & Iudæorum, reliquorumq; hæreticorum: ne ferias cum

cis

a Ludi Gentilici Christiano fugiendi.
b Nundinæ Christianorũ quales.

eis communes habendo, animas nostras laqueis irretiamus: a & ne
si diebus eorum festis, quos ipsi in honorem dæmonum agitant, cum
ipsis versemur, impietatis eorum socij, & participes simus. b Fugien
dæ verò sunt nundinæ gentilium, & qui in eis fiunt ludi: Christia-
nus enim nihil debet in nundinis impendere, nisi in mancipiolũ emẽ-
dum, vt animam eius saluam efficiat, & in quædam alia mercanda ad

c Spectacula, duella.
d Labores, exercitia, ad victũ acquirendum.

necessitatem naturæ accõmodata. c Abstinete igitur ab omni idolo-
rum pompa, præstigijs, mercatu, conuiuijs, monomachia, & omni
Cap. XIIII. spectaculo dæmoniaco. d Vos verò in Ecclesia adolescentiores stu-
dete, vt in omnibus, quæ opus erunt, nauiter ministretis, & opera ve-
stra cum omni honestate exercete, vt per vniuersum vitæ tempus, tũ

e Apostoli victũ labore quærebãt, & quali.

vobis, tum egentibus necessaria suppetant: ne necesse sit vobis gra-
ues esse Ecclesiæ: e Etenim & nos verbo Euangelij incumbimus,
tamen exercere illa, quasi adminicula operis huius, non negligimus:
partim enim nostrum sunt piscatores, partim tabernaculorum opifi-

f Ocium detestãdum.
Prouerb: 6. vel. 6.
g Formicarum & apum exemplũ.

ces, partim agricolæ, ne vnquam otiosi simus: ait enim Salomon:
Abi f ad formicam, ô piger, & imitare videns vias eius, & esto sapiẽ-
tior ea: illa enim cùm neq; opus rusticum exerceat, neq; sit qui cogat
eam, neq; dominum habeat, g æstate parat alimentum, & messis tem
pore copiosè recondit. Aut abi ad apem, & disce, quàm sit operaria, &
quemadmodum in opere suo honesto negotiatur. Cuius labores tum
reges, tum priuati ad valetudinem adhibent, est desiderabilis & mu-

h Prouerb. 6. v. 9.

nifica: & quamuis est imbecillis viribus, eò tamen præstantiæ pro-
cessit, vt sapientiam honorârit. Et deinceps: h Quousq; piger cubas,
quando tandem è somno expergisceris? paulisper dormis, paulisper
sedes, paulisper dormitas, paulisper pectus vlnis complecteris: postea
adest tibi tanquam malus viator paupertas, & egestas tanquam bonus

i Laboris comoda, & contra.
Prou. 12. vers. 11.
Eccles: 4. vers. 5.
Prou. 19. vers. 24.
Eccles. 10. v. 18.

cursor. Sin autem fueris impiger, veniet tanquam fons messis tua, &
egestas tanquam malus vir, à te sponte sua recedet. Et rursus: i Qui
arat terram suam, implebitur panibus. Et alio loco ait: Otiosus ma-
nus suas complicauit, & comedit carnes suas. Et deinceps: Piger in-
quit, qui manus suas abscondit, non poterit deferre eas ori suo. Et
rursus: Propter vacationem manuum deprimetur contignatio. Igi-

k 2. Thes. 3. v. 10.

tur operamini assiduè, nota enim otiosi insanabilis est. Si quis autem
apud vos non laborat, k nec manducet: Odit enim Dominus Deus
noster otiosos, siquidem nemo eorum, qui Deo student, otio & vaca-

l Nationum vitia Polonis vltima quomodo.

Cap. XV. tioni indulgere debent. Hactenus Clemens. l Nobis, ô Poloni, pe-
culiariter, ista admonitio Apostolica esset inculcanda: qui præ cæteris
nationibus, nescio quid teporis & oscitantiæ, in diuinis & humanis
negotijs præseferimus; adeò vt cum singulis Christianis populis sin-

gula

gula quoq; ex septem capitalibus vitia, peculiariter respondere videantur, nobis veluti vltimis, vltimum quoq; quod Acedia est, peccatū imputari posit. a Primò enim constantia, feruor, & zelus religionis, quem commonitio ista Apostolica inculcat, si nobis alioqui Catholicæ religionis studiosis inesset, non tantam stragem animarum, hæreses vndiq; grassantes, (qualem eheu deploramus) in patria nostra cōmuni ædidissent: & earundem hæresum, quæ supersunt reliquias, faciliùs etiam feruor eiusmodi excoqueret, atq; absumeret. Sed quid interim agitur? b In Ecclesiis quidem, hæreses & hæreticos, vtrumq; damnamus & execramur: sed quas postmodū in conuersationibus, amicitijs, affinitatibus, hospitalitatibus, mēsis, officijs, magistratibus, & dignitatibus publicis, non solùm toleramus, sed etiam fouemus, & vel hoc ipso contra Ecclesiam armamus: adeò vt propter eorum machinationes, & aliquorum Catholicorum conniuentias, non solū Ecclesia & religio, sed & Respub: non satis quiescere posit, sed nouis subinde disidijs, quæ publicum remorantur commodum, concutiatur. Hoc illud certè scientes & volentes experimur & patimur, quod diuina præmonebat scriptura sic dicens: c Hæ sunt gentes, (sermo enim est de infidelibus) quas reliquit Dominus, vt erudiret in eis Israelem &c. Et alibi comminatur: quòd nisi fuerint sublatę, erunt vobis (inquit) quasi claui in oculis, & lanceæ in lateribus: & aduersabuntur vobis in terra habitationis vestræ: Et quicquid illis cogitaueram facere, vobis faciam. Hæc ibi. d Propterea beatissimi Apostoli, non solùm ab ipso errore, sed ab erroris occasione dehortantes, prohibent fidelibus conuenticula, & conuersationes cum infidelibus, eorumq; doctrinas siue verbo, siue scripto prolatas. Ipse nāq; e Dominus iussit nos abstinere à fermento pharisæorum, quod est hypocrisis, quam alibi vestitui ouium comparasset, non solùm quoad mores, sed quoad doctrinam ipsam. Quod declarat Apostolus, dicens, f modicum fermentum corrumpere totam massam: Et quòd hæreticorum sermo, vt cancer serpit: quarum vtraq; similitudo, latentem quidem, sed pestilentissimam noxam importat. Salubriter ergo lex Ecclesiastica sanciuit, ne in ditionibus Catholicorum vlla scripta religioni Catholicæ contraria imprimantur, ædantur, diuēdantur, vel â quoquam Catholicorum (nisi quibus propter eorum confutationem permissum esset) legantur, vel etiam habeantur. Quod tamen in hoc Regno alioqui lege, Rege, & maxima ex parte grege, Catholico, (vt alia similia quæ ad disciplinam pertinent) negligitur: quin potiùs fœdissimæ contra diuinissimam Trinitatem hæreses, & fœdissimæ blasphemiæ, varijs dictis & scriptis, vicinas quoq; nationes impunè inficiunt. Vnde

a Polonia vt áère sic religione friget.

b Hæresū in Polonia fomenta: & quàm noxia.

c Iudicum 1. v. 1. Num. 33. ver. 55.

d Cōuersatio & libri hæreticorū Catholicis prohibiti.

e Lucæ 12. v. 1. Matth. 7. vers. 15.

f 1. Cor. 5. vers. 6. 2. Timoth. 2. v. 17. Concilium Trid. sess. 4. & 18. de librorū editione. & delectu.

de metuenda est illa vltio, quam supra retulimus. a Quicquid (inquit Dominus) illis cogitaueram facere, vobis faciam. b Secūdam speciem Acediæ repræhendit admonitio illa Apostolica: Quòd fideles, cultum & honorem diuinum, opera pietatis, charitatis, & iustitię, postponunt suis carnalibus desiderijs, & varijs vitæ vel potiùs mundi sollicitudinibus: cùm tamen magister noster cælestis docuerit, illa esse quærenda, vt ista nobis, nihil sollicitis, paterna cælesti prouidentia adijcerentur: siquidem seruire Deo, (vt ipsi loquuntur) proprium opus fidelium sit, cætera autem operis adiumenta: quorum si studiū inuerteris, fiunt potiùs impedimēta. c Verissimè namq; dixit B. Augustinus: Tota peruersitas est, vti fruendis, & frui vtendis. Cui peruersitati totum fere orbem subiectum esse, deploramus: quando omnes animi, corporis, & fortunarum vires, ad ista secularia atq; caduca intenduntur: quæ vero spiritualia sunt & cælestia, ex more tantùm, & vsu quodam peraguntur. Sic plerunq; palliando, prodit, humilitatem superbia vel ambitio: eleemosynam cupiditas, continentiam luxuria, abstinentiam gula, patientiam rancor absconditus, amicitiam simulata inuidia, & quam tractamus Acediam hypocrisis. Idē de cæteris dicendum; quæ per singula alijs excutienda relinquo. Ad eum sensum præclarè d Chrysologus: Absurda (inquit) atq; indecēs videtur comparatio, quæ tantum gloriæ, quantum turpitudini hominem cupit esse subiectum: sed vtinam vel tantum. Et quando tantum Deo, quantum mundo, quando tantum cælo, quantum terræ: quando tantum virtuti quantū vitijs, fragilitas humana famulatur? Totus homo miser sic carni deditur, sic rebus præsentibus occupatur, vt nihil in se quod futuræ vitæ, quod diuinis bonis deseruiat derelinquat. Hæc ille. e Tertiò, Acediæ vitio adnumeratur otiositas, quā etiam multis scripturæ testimonijs dehortantur diuini Apostoli. Illa siquidem videtur fuisse quædam occasio lapsus primi generis humani: quando homo collocatus in Paradiso voluptatis, vt operaret & custodiret illum, f ociosæ de ligno scientiæ boni & mali quæstioni, cum serpente sese immiscuisset, Exinde enim conditione ex libertate in seruitutem comutata, cū sua posteritate, labori glebæ terrenæ adscriptus est; Creatore ipso sic decernente: In sudore vultus tui, vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram ex qua sumptus es. &c. Hinc beatus Iob: Homo (inquit) nascitur ad laborem, & auis ad volatum: vt idem ius sit aui ex volatu, & homini ex labore, victū conquirere. Talemq; victum esse sicut naturalem, sic etiam felicem, adstipulatur Psalmista dicens: g Labores manuum tuarum manducabis: beatus es, & bene tibi erit. E conuersò autem ocium & desidia, plurima

Cap. XVI.

a Num. 33. v. 56.

b Mundana sollicitudo teporem spiritualiū inducit Matth. 6. vers. 33.

c Tota peruersitas, Deo vti, frui mundo. August. de doctrina Christiana lib. 1. Cap. 4. Idem de Ciuit. lib. 11. Cap. 15. Et lib. 83. quæst.

d Chrysol. serm. 114.

e Ociositas occasio & fomentū peccandi. Gen. 2. vers. 16.

f Gen. 3. v. 1. 19. Eccles. 7. vers. 30. Iob 5. vers. 7.

g Psalm 127. v. 2. Eccli. 33. ver. 29.

plurima inducunt mala, iuxta illud: Multā malitiam docuit otiosi- "
tas. a Si enim in Paradiso, (vt supra diximus) magis in mundo, oti- "
um, tentationis Diabolicæ, fomentum est: quod propterea B. Hiero-
nymus, telum Sathanæ reputauit: & semper aliquid laboris honesti
indixit, ne Diabolus ociosum quem ad liberius tentandum inueniat.
Ideo Christianè profecto Æthnicus ille censor pronuntiauit: Homi-
nes nihil agēdo, discere malè agere. Et S. b Augustinus ociosum pro
viuo, sepultū rectè reputauit. Tulerat Solon apud Athenienses legem,
quicunq; ociosus inueniretur, vt à quocunq; accusari posit. Hanc le-
gem profectò Deus quoq; indixit, quando in se credentes, & ocio di-
ffluentes, omnium Dæmonum tentationi exposuit. Traditur etiā lex
antiqua Aegyptiorum: singulos ciues ad Prætoris calculum, fuisse
coactos referre nomina sua, suorumq; domesticorum, vt constaret qua
li quis labore vitam sustentaret: ociosos autem capitis sententiæ fu-
isse addictos. Similem legem in quibusdam Germaniæ ciuitatibus,
vbi artes Mechanicæ inprimis vigent, seruari accepimus. c Quid
ad hæc dicet gens nostra? quæ militiæ antiquitùs addicta, quæ otium
vtiq; non suppeditabat, nunc exemplo Dauidis, mercenario plerunq;
milite expediri solita, maiore ex parte domi otio, desidia, & volupta-
tibus diffluit. Tres enim hominum status apud nos obseruare licet.
Vnum qui laborat, duos reliquos, qui iuxta Psalmistam, d in labore "
hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur: sed aliorū "
labores coram illis deuorant: sicut Aethnicus quondam cecinit: Nos
numerus sumus, fruges consumere nati. e Statum laborantium di-
co, miseros & seruiles rusticos, glebæ dura natalium lege addictos &
mancipatos: qui diei noctiq;, temporibus etiam sæpiùs sacris, recrea-
tioni vel addictis, nō parcēdo, fame & omni miseria afflicti, simul cū
suis iumentis laboribus & oneribus, plus quā Ægyptiacis, affligun-
tur. Quæ adeò exhausta & enecata penè videas: f vt homines quidē
vt iumenta, iumenta verò vt momenta, quæ vix moueantur (vt sic "
accomodem verba Psalmistæ) salutem & misericordiam à Deo ma "
gnificatam imploret. Ex alijs duobus statibus, sunt Magnates & No-
biles: in altero autem Mercatores, & artifices. Et illi quidem id ma-
ximè operis habent, quomodo à subditis labores eorū, victu non satis
relicto, extorqueant: eosq; vicissim ad omnis generis luxus sibi, suisq;
parasitis, quos ferè loco seruorum alunt, conuertant. Isti verò (vt ver-
bis g Prophetæ vtar) in multitudine negotiationis polluentes sancti- "
ficationem Dei, mercium suarum plerunq; illæcebris & luxui, non
necessitati seruientium, sicut & alij artificum, pretia rerum ad libitū,
coniuratis quibusdam contuberniorum suorum legibus constituunt:
libera

a Ocij noxæ & pœnæ Hieron. in Esech. Cap 16. Et Epist. 4. ad Rusticum.
Cato Romanus.
b August. serm. 17, ad Erem.
Laertius lib. 1, & 6. Diodorus siculus.
c Polonia maximè ocio dedita.
2. Regum 11, v. 1,
d Psalm. 72, v. 5,
e Statuū Reipub. in Polonia discrasia; cui comparata, & quam exitiosa,
f Psalm. 35, v. 8,
g Ezech: 28, v, 18,

libera mercimonia & artificia exteris plerumq; peritioribus non per-
mittentes, sed damno publico quæstum facientes, eumq; postea in lu-
xurijs proprijs insumentes, in hoc (secundùm Prophetam) elabo-
rando, a vt inique agerent. Interim verò nihil cogitantes, non so-
lum in corpore Christi, quod est Ecclesia, sed nec in corpore Politico,
quod est Respublica, inæqualitatem & discrasiā membrorum tollera-
ri non posse, quin totum corpus concutiatur, atq; corruat. b Iccir-
co status nostræ istius Reipublicæ, potest comparari statuæ illi Nabu-
chodonozor: quæ quidem constaret capite aureo, pectore argenteo,
ventre æneo, pedibus verò ferreis, qui tamen in ipsa basi, terræ & lu-
to comisceretur. Vnde pedibus forte contritis, totam machinam cor-
ruisse. Recogitate igitur, ô Poloni, si quæ infaustior quam hactenus
extitit sors, miseram istam plebeculam vos omnes laboribus susten-
tantem exciperet: quomodo quæso dignitas Regni in capite, Senato
ria & Militaris, in pectore & brachijs: Municipalis, & reliquæ plebis,
quæ ad imos pedes protenditur, conditio, subsisteret?
c Cæterùm in statu isto infimo, apud nos cernere est illud Salomo
nis: Egestatem operata est manus remissa: manus autem fortium di- "
uitias parat. Quemadmodum enim (vt diximus) labores agricola- "
rum seruilium, victum & interdum opes alijs statibus subministrant:
sic pars eiusdem plebis liberior vel astutior, desidiam suam, pauperta-
te plerunq; conuestiens, veluti domestica tinea, maximam veræ ele-
emosinæ partem abripit ijs, quibus veluti membris Christi, sustenta-
tio necessaria simul & meritoria debeatur. d Qua in re seruandus est
modus, à S. Ambrosio sic præscriptus. Veniunt (inquit) validi, veni-
unt nullam causam nisi vagandi habentes, & volunt subsidia vacu-
are pauperum, exinanire sumptum: nec exiguo contenti, maiora que-
runt, ambitu vestium captantes petitionis suffragium, & natalium
simulatione licitantes incrementa quæstuum. His si quis facilè defe-
rat fidem, citò exhaurit pauperum alimonijs profutura compendia.
Modus adsit largiendi, vt nec illi inanes recedant, neq; transcribatur
vita pauperum in spolia fraudulentorū. Ea ergo mensura sit, vt neq;
humanitas deseratur, nec destituatur necessitas. &c. Hæc ille. Operæ-
precium autem fuerit, si in liberis non possumus vel nescimus, in mā-
cipijs saltem talibus delectum aliquem constituere, & rectè examina-
tos, qui validiores sunt, operibus sumptu aliquo præparatis addicere:
præsertim cùm si non stultitiæ, ignauiæ saltem, nota sit generi no-
stro, plurima quæ nostra tellus fert, ad alienos vili precio emittere, &
ab eis elaborata, magno sumptu requirere. e Si ergo (vt Christianos
oportet) non propter Dei & proximi charitatem, saltem propter po-
liticæ

Cap. xviij.
a Ierem. 9, vers. 5.
b Respub. nō benè ordinata, statuæ Nabuchodonosor similis, Daniel 2, vers. 32.
c Ocium mendicitatis importunæ causa.
d Pauperum erogandorū modus. Ambros. lib. 2. offic: Cap. 16.
e Exhortatio ad honestum laborē & ex illo eleemosinam.

liticæ iustitiæ, & æqualitatis necessitatem, laborem singuli pro statu quisq; suo, honestum ac decentem assumite: vt exinde victum corpori, & animæ salutem, acquiratis. [a] Id autē sine sollicitudine, quæ Dei honorē & opera iustitiæ & misericordiæ impediat aut retardet. Nam secundum B. Chrysostomum: Dixit Deus primo parenti: In sudore vultus tui, comedes panem tuū: Non dixit: in sollicitudine & cura. Ergo non sollicitudine spiritus, sed labore corporis, acquirendus est panis. Et vt B. Hieronymus scribit: Labor exercendus est, sollicitudo tollenda. Sit vobis exemplo Apostolus, qui quamuis Apostolico summo imperio & pastoratu, libertatem alienorum bonorum haberet, & sollicitudini ac laboribus Ecclesiarum per vniuersum orbem destineretur: tamen memor verborū Domini Iesu, beatius esse magis semper dare, quàm accipere, & ne quem grauaret, labore manuum suarum, seipsum & qui cum illo essent sustentabat. Et in vniuersum sic edixit: [b] Qui furabatur (intellige hîc quācunq; iniustam acquisitionem) iam non furetur: magis autem operetur laborando manibus suis (nota licitos & vtiles labores) quod bonum est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti. Quam doctrinam ipse verbis & exemplo suo sic tandem concludit: [c] Denuntiamus autē vobis fratres, in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionem, quam acceperunt à nobis. Ipsi enim scitis, quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos: neq; gratis panem manducauimus ab aliquo, sed in labore & in fatigatione, nocte & die operātes, ne quem vestrum grauaremus. Non quasi non habuerimus potestatem: sed vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandū nos. [d] Nam & cùm essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis: quoniam si quis non vult operari, nec manducet. Audiuimus enim inter vos quosdam ambulantes inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes. Iis autem qui eiusmodi sunt, denuntiamus & obsecramus in Domino Iesu Christo, vt cum silentio operantes, suum panem manducent. Vos autem fratres nolite deficere benefacientes. Quod si quis non obedit verbo nostro, per epistolam hunc notate: & ne commisceamini cum illo, vt confundatur: & nolite quasi inimicum existimare, sed corripite vt fratrem. Ipse autem Dominus pacis, det vobis pacem sempiternam in omni loco. Amen.

[a] Laborandum sine sollicitudine
Chrys: in Matth. hom. 16. operis imperf. Gen. 3. v. 19.
Hierō. in Matth. 6
1. Cor. 9. vers. 4.
Act. 20. vers. 35.
[b] Laboris forma Apostolica.
Ephes: 4. vers. 28.
[c] 2. Thesal. 3. v. 6.
[d] Qui non operatur non manducet.

Sermo

Sermo decimus quartus.

DE SACERDOTALIS STATVS MINISTERIJS, EORUMQ; DIGNITATE.

Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. 1. Cor: 4.

Cap: I.

QVòd Luciferi peccatum prorsus inexpiabile, hominis autem venia dignum, extitisset, potissima causa assignari solet, quòd ille propria malitia, iste aliena potiùs, & quidem ipsius Pseudoangeli astutia & seductione, corruisset. Hinc est, quòd sicut casus, sic reparatio ipsa hominis, mediatione perficeretur: quòd nimirum inter Deum offensum, & hominem reum, Dei promissione exoriturum foret semen, ex muliere quidem prognatum, sed quòd virtute diuina, caput ipsum eiusdem infernalis serpētis cōtereret. Istud mediatoris officium exequitur Dominus ac redemptor noster, per sacerdotium suum æternum, quod in mortali quidē carne, per sanguinem proprium semel initiauit, sic tamen, vt illud rediuiuus nec ampliùs moriturus, ad finem & consumationem vsq; redemptionis humanæ, ipsiusq; sæculi, in tabernaculo cælesti perficeret. [b] Quod cùm superiori tractatu satis demonstratum sit, restat vt ostendamus, quomodo ipse Pastorum Princeps (vt eum S. Petrus vocat, vel natura Pontifex, vt Clemens & Ignatius loquuntur) officium istud suum, hîc quoq; in visibili corpore suo, quod est Ecclesia, exerceat, per visibiles quoq; ad id peculiariter delectos ministros, & quasi vicem suam gerentes sacerdotes. Hoc enim officium, eis in quos exerceretur debere esse conforme & proportionatum, docet apertè Apostolus sic scribens: [c] Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis: qui condolere possit iis qui ignorāt & errant: quoniā & ipse circumdatus est infirmitate: & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso, offerre, pro peccatis. Ex quibus verbis apertissimè constat, pro nobis qui homines sumus, Christum quidem ex carne nostra assumptum, esse proprium & verū Pontificem nostrum, qui quatenus naturæ nostræ cōmunicat, & condolere possit infirmitatibus nostris, ipse (vt idem [d] Apostolus testatur) est pontifex noster magnus, qui

Mediatio ex lapsu per sacerdotiū necessaria.
Genes. 3. ver. 15.
[b] Sacerdotium Christi naturale & subordinatum
1. Petr: 5. vers. 4.
Clemens Const: Apost: lib. 8. Cap. vltimo.
Ignatius Epist: ad Smyrn:
[c] Hebr: 5. ver. 1.
Hebr. 4. ver. 14.

penetra-

penetrauit cælos, Iesus filius Dei: qui posſit etiam compati infirmitatibus noſtris, tentatus & ipſe per omnia, pro ſimilitudine abſq; peccato. Sed quatenus talis Sacerdos ſit etiam ipſe circundatus infirmitate, & non ſolùm pro populo, ſed etiam pro ſeipſo deprecetur: iſtam Sacerdotii conditionem per ſeipſum non exequitur: quandoquidem (vt idem a Apoſtolus loquitur) eſt pontifex noſter S. innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cælis factus: ſed per miniſtros ſuos viſibiles, mortales. & ſicut naturæ, ſic culpæ, conditione ipſi populo conformes. b Quamùis autem iſtud Chriſti ſacerdotium habeat proprium & principale officium, homines & ſeipſum Deo reconciliare per ſacrificiū: tamen ad eiuſmodi reconciliationem pertinent aliæ etiam iuſtificationis partes, eidē ſacerdotali miniſterio per alia officia competentes. c De quibus reſtat nobis pertractādum: ſeruato ordine ab Apoſtolo ſic præſcripto, quando officium iſtud taliter deſcribit: Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Hîc iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur: Mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die. Triplex ſiquidē ex eius verbis nobis exoritur Tractatus. Primò, quæ & qualia ſint Sacerdotis officia: & quanta dignitate polleant. Secundò, quomodo in tātis officiis ſeipſos gerant ipſi Sacerdotes. Tertiò, non hominibus & quidem ſubditis, ſicut nec propriæ cōſcientiæ, ſed Deo ipſi, cuius miniſterium gerunt ſacerdotes, tale examen & iudicium eſſe reſeruandum. d Primùm igitur præſenti Sermone expendemus: quæ nimirum & qualia ſint Sacerdotii viſibilis in Eccleſia Dei officia, & exinde dignitas. Deinde certitudinem eorum officiorū, primò quidem vocatione, deinde legitima ſucceſsione, eſſe comprobandam edocebimus.

a Hebr: 7. v. 26.

b Sacerdotū plura officia ad iuſtificandos peccatores.

c Methodus ſequētis de Sacerdotio tractatur. 1. Cor. 4. verſ. 1.

d Argumentum & diſpoſitio præſentis Sermonis.

Prima pars.

Cap. II.

PRincipiò cùm Apoſtolus dicat, Sacerdotis officium dirigi ad ea quæ ab hominibus ad Deum ſunt, & hoc loco vocet illos miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei: ſatis indicat Sacerdotem eſſe perſonam maſculam, diuinitus per authoritatem Eccleſiæ delectam, & perpetuo (ſicut natura ipſius ſacerdotii Chriſti eſt) charactere conſignatam, ad omnia quæ inter Deum & homines ad eorum iuſtificationem & ſanctificationem, Deoq; tanquam principio ſuo perhennem vnionem, pertineant. Quod vel denominationes eius officii ſatis indicant. Græcis ſiquidem ἱερεύς, ad ſacra deſtinatum: πρεσβύτερος, ſeniorem ſeu authoritate ſupremū: Κληρι-

Sacerdotis definitio & Etymō. Hebr: 5. verſ. 1. 1. Cor: 4. verſ. 1.

κληρικός, eum qui ſorte miniſterio Dei adſcriptus eſſet, deſignat. Latinis verò, ſecundùm a Iſidorum, Sacerdos dictus eſt, veluti ſacra dans, ſeu ſacrificans. Poteſt etiam fortaſſe dici ſacerdos, quaſi dotem Eccleſiæ ſponſæ Chriſti diſpenſans, quæ eſt gratia & ſanctificatio: per quam, teſte b Apoſtolo, Chriſtus morte ſua, ipſam ſibi ſine ruga & macula, ſanctam & immaculatam perficeret. c Scribit etiam B. Ambroſius, in lege Leuitas miniſterio diuino ſingulariter deputatos, â Deo habere deriuationē, vt Leuita exponatur, ipſe meus: vel ipſe pro me: quod idem ferè eſt cùm Apoſtolo, quando tales perſonas denominat miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei: qui nimirum non ſolùm eius officium in diſpenſando, ſed perſonam etiam in miniſtrando præſeferant. Hinc illæ diuinæ voces, in lege quidem de Samuele ſumo ſacerdote: Non te (inquit Dominus) abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos. In lege verò Euangelica loquitur filius Dei: Sicut miſit me Pater, ita ego mitto vos. Et iterū: Qui vos recipit, me recipit: qui vos ſpernit, me ſpernit, & eū qui miſit me. d Hac quoq; ratione Dominus noſter, qui natura Meſsias ſeu Chriſtus, hoc eſt, vnctus eſt, vnctionis etiam Sacerdotes voluit eſſe participes. Sicut enim (inquit Auguſtinus) omnes Chriſtianos dicimus ſecundùm myſticum chriſma: Sic omnes ſacerdotes, quoniam ſunt membra vnius Sacerdotis. Similiter & B. Cyprianus, aſſerens chriſmatis in lege noua inſtitutionem, & multiplicem vſum ſalutarem, Sacerdotibus quoq; tanquam vices Chriſti veri vncti gerētibus, ſcribit eiuſmodi vnctionem comunicari, maiori ſanè prærogatiua, quàm olim legales Sacerdotes & ipſi Reges vngebantur: quòd nimirum in Euangelio (verba eius ſunt) non ſunt hæreditariæ ſucceſsiones Pontificum, vel vni Leuiticæ tribui miniſteria aſsignata: ſed de omni tribu & gente, & lingua, quos dignos & idoneos diuina probat electio, ſecundùm vitæ non generis meritum, ſtatuit Sacerdotes. Sic ille. e Et ſic illa tria quæ connectit Apoſtolus: lex, ſacerdotium, & ipſum ſacrificium, rectè ſibi correſpondent, ſicut natura & inſtitutione, ſic etiam tempore ſeu duratione. Siquidem lex vetus data Iudæis, tanquā vni populo, & ad vnum locum alligata: (iuxta illud Pſalmiſtæ: Notus in Iudæa Deus. Et alibi: Nō fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis) habeat etiam tempus durationis ſuæ limitatum, vt ſuo loco ex Capite octauo ad Hebræos demonſtrauimus. Idem etiam de ſacerdotio & ſacrificio Apoſtolus ad Hebræos euincit, vt ſuo etiam loco explicuimus. Legē autem, ſacerdotium, & ſacrificium in Euangelio fore æterna, ad cōſummationem humanæ redemptionis ipſiusq; ſeculi, demonſtrat in

a Iſidorus lib: 7 Etymologiarum Cap. 12.

b Epheſ. 5. v. 25.

c Sicut Leuitæ, magis ſacerdotes Deo addicti. Ambr: lib. 1. offic. cap: 50.

d Chriſtus ſeu Meſsias vnctus, vnctos quoq; habet miniſtros, magis quàm legales. Auguſt: Ciuit: lib. 20. Cap. 10. Cyprianus Serm. de vnctione Chriſmatis.

e Lex, Sacerdotium, ſacrificiū. maximè in lege Euangelica coniuncta, & ſtabilia. Hebr: 7. verſ: 12. Pſalm: 75. verſ. 1. Pſalm 147. verſ. 9. Supra Sermo. 6.

a Legem nouã eiúsq; sacrificiũ, quàm apertè prodiderit gentilitati Christus.
Ioan. 4. v. 21, 23.
b Malach. 1. v. 11.

eadem Epistola. a Et Dominus ipse, quando dicebat Samaritanæ : "Mulier crede mihi, quia venit hora & nunc est, quando neq; in mõte hoc, (gentili ritu) neq; Ierosolymis, (legalibus cærimoniis) sed in omni loco, (vt b Malachias prædicit) veri adoratores adorabũt Patrem in spiritu & veritate : Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus, & eos qui adorãt eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Dicit ei mulier : Scio quia Mesias venit qui dicitur Christus : cùm ergo venerit ille nobis annuntiabit omnia. Dicit ei Iesus : Ego sum qui loquor tecum. Ecce quomodo istam doctrinam de adoratione nouæ legis, quæ propriè & potissimè fit per sacrificium, in quo est & sacramentũ signi, & veritas rei, ipse Dominus asseuerat, per apertissimam, quam nusquam fecit aliâs, manifestationem suiipsius, qui tanquam Messias seu vnctus, adorationem istam paternam, institutione noui sacrificii iniciaret & perficeret. c Ex his quæ de nomine & essentia sacerdotii dicta sunt, potest quoq; colligi eius partitio seu officiorum distinctio, quæ trifariam considerari potest. d Primò generaliter, secundùm D. Thomam, in duplicem potestatem sacerdotio attributam : prima in corpus Christi verum, hoc est, ad eius consecrationem, oblationem, & comunionem, quæ potestas sacrificio perficitur : altera potestas in Corpus Christi mysticũ, quod est Ecclesia, quæ potestas complectitur clauem scientiæ, quoad doctrinam & prædicationem : clauem ordinis, quoad sacramentorum & sacramentalium administrationem : & clauẽ iurisdictionis, quantum ad potestatem directiuam disciplinæ, per iudicia & censuras Ecclesiasticas. e Altera distinctio desumi potest ex Angelico officio sacerdotibus per Malachiam attributo : quod secundùm Dionysium, est triplex, illuminare, purgare, & perficere. Quam etiã Nazianzenus insinuauit dicens : Sacerdotibus purgari priùs, deinde purgare : sapientia instrui, atq; ita demum alios sapientia instruere : lux fieri, & alios illuminare : ad Deum appropinquare, & ita alios adducere. Hæc ille. Et sic in sacerdotibus illuminatio, applicanda erit doctrinæ & prædicationi : purgatio sanctificationi, quæ fit per sacramenta : perfectio vnioni cum Deo, quæ efficacissima est per sacrificium Eucharistiæ, eiusq; dignam participationem. Siquidẽ ea, est veluti quædam arha seu pignus beatificæ hominis cum Deo vnionis ac fruitionis. f Istas rursus partitiones, tertiò possumus reuocare ad illam, quando Apostolus sacerdotes vocat ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Ministri enim hoc sensu intelliguntur vicem & personam gerentes ipsius Christi : quod fit in consecratione Eucharistiæ sacræ, & in absolutione. g Vtrobiq; enim sacerdos

Cap. III.

c Sacerdotalis officii partitiones.
d Sacerdotũ potestas in corpus Christi verum & mysticum.
e Sacerdotum officia ad instar cælestis Hierarchiæ.
Malach: 2. v. 7.
Dionys: Areop. cælest. hierarch. Cap. 3.
Gregor: Nasiãs: Orat: 1. Apologet.
f Sacerdotes quo modo ministri Christi, & dispẽsatores mysteriorum Dei.
1. Cor. 4. vers: 1.
g In consecratione Eucharistiæ & absolutione sacerdotes Vicarii Christi.

cerdos, quamuìs ministerialiter, tamen tãquam vicem gerens Christi, verè verbis ipsius Christi, ex elemento panis & vini, conficit corpus & sanguinem eius: & soluendo vel alligando verè dimittit peccata : quod tamen vtrumq; non creatæ alicuius, sed diuinæ est po-
" testatis, iuxta illud, de primo quidem : a Panis quem ego dabo ca-
" ro mea est, pro mundi vita. De altero autem : Ego, ego sum, qui de-
" leo iniquitates tuas. b Dispensatio verò, cùm sit rei alienæ, respon-
" det reliquis istius sacerdotij functionibus. Et sicut is ipse Apostolus
" scribit, prædicationem Euangelij dispensatione sibi fuisse concredi-
tam : similiter in sacramentis Deus est, qui interiùs gratiam opera-
tur ac infundit, sacerdos autẽ externè tantùm applicat, administrat,
& dispensat. Ista igitur sacerdotis officia recenseamus, primò qui-
dem quæ ad corpus Christi verum, deinde ea quæ ad mysticum or-
dinantur. c Primum igitur ac precipuum ponit Apostolus, quod
consistit in rebus quæ ad Deum sunt, per oblationem pro peccatis,
intellige non ampliùs variorum donorum & sacrificiorum, vt olim
" in lege, sed vnius doni optimi & perfecti, quod desursum descendit
" à patre luminum, quod eminẽtissimè intelligitur fons & author bo-
" norum ac donorum Dei filius. d Quòd etiam insinuat Apostolus
" initio eiusdem Epistolæ, quando eundem filium Dei, per quem nobis
" Deus nouissimè fuisset locutus, (vtiq; incarnatũ) vocat simul splen-
" dorem gloriæ, & figuram substantiæ patris, portantem omnia ver-
" bo virtutis suæ, & facientem purgationem peccatorum, sedendo ad
" dexteram maiestatis eius in excelsis : non aliter vtiq; quàm Psalmi-
" sta describit : e Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis,
" &c. Ideò eandem sessionem mox sacerdotio attribuit subijciens: Iu-
" rauit Dominus & non pœnitebit eum : Tu es sacerdos in æternum,
" secundùm ordinem Melchisedech. Quod cùm Apostolus Christo se-
" mel atq; iterum eodem sensu applicuisset, sic demum scribit : f Hic
" autem vnam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in
" dextera Dei : de cætero expectans, donec ponantur inimici eius sca-
" bellum pedum eius. g Vna enim oblatione consumauit in sempi-
" ternum sanctificatos. Intellige, non vnico actu oblationis : Agnus
siquidem ipse existens, qui tollit peccata mundi, duplicem suiipsius
oblationẽ exhibuit, alteram cruentam, de qua longiùs antè sic præ-
" dicebat : h Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor vsq; dũ
" perficiatur ? alteram incruentam, quam inchoando, sic alloquitur
" Apostolos: i Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum
" antequam patiar. k Ecce duplex eiusdem ipsius agni Pascha seu oblatio, vnum quando pateretur, alterum antequam pateretur : illud

peractum

Cap. IIII.

a Ioan. 6. vers. 51.
Isai. 42. vers. 25.
b Dispensatores sacerdotes quarum rerum.
1. Cor. 9. vers. 17.
c Primum officium Sacerdotum, oblatio seu sacrificium, in persona Christi.
Iacobi 1. ver. 17.
d Christi sacerdotium æternum in assumpta humanitate, viget in sacerdotibus.
e Psalm: 109. v. 1.
f Hebr. 10. v: 12.
g Christus vna oblatio, sed modus cruentus & incruentus.
h Lucæ 12. v. 50.
i Lucæ 22. v. 15.
k Agni mane & vespere immolati typus.
Exodi 29. v. 38.
Num: 28. vers. 3

[a] Genes. 1. v. 3. & seq.

peractum est in figura sacrificij matutini, quod ad vesperam desinit & deficere debebat: hoc ad ritum sacrificij vespertini, [a] qui inchoationis temporis terminus est, durationem seu perennitatẽ designans. Cui toti mysterio optimè respondet, quando ibidem simul fit mentio oblationis similæ & vini: tum quòd agnus vespertinus iubetur immolari iuxta ritum matutinæ oblationis, & iuxta ea quæ diximus, in odorem suauitatis. Ista enim verba optimè cõueniunt Christi oblationi vespertinæ & incruentæ, quæ matutinæ cruentæ est repræsentatiua, & perpetuò coram Deo Patre efficax in odorem suauitatis: vt suprà Sermone octauo cap. nono diximus. Quoniam igitur posterius hoc atq; æternum sacrificium, in pane & vino secundùm ordinem Melchisedech peractum est: propterea ipsum Pontifex noster æternus eodem ordine seu ritu initiatum atq; institutum, inuisibiliter quidem per seipsum qui panis est de cælo descendens, ad dexteram Dei Patris, visibiliter autem per Apostolorum successores Pontifices, seu sacerdotes exequitur.

[b] Officii sacerdotalis suprà Angelos dignitatis ratio.

[b] Atq; hinc merè apparet, sacerdotes verè esse ministros Christi, quòd idipsum quod Christus facit inuisibiliter, ipsi visibiliter exequantur, vel potiùs Christus in illis, cũ illis, & per illos, exequatur. Vnde liquet istius ministerij seu officij magnitudo & excellentia, quantam ne Angeli quidem acceperunt, sed potiùs quòd assumpti ex hominibus sacerdotes in manibus suis conficiunt, ipsi Angeli adorant, & stando ac iubilando venerantur:

[c] Hebr. 13. v. 4.

[c] tantò maiores illis quoad istud officium effecti, quantò differentiùs præ illis ministerium ex Apostolis hæreditârunt. Cui namq; (liceat mihi in re prorsus simili sic applicare) vnquã Angelorum dixit Deus: Hoc est corpus meum: hoc facite quotiescunq; manducabitis in meam commemorationem? Quin potiùs cùm per consecrationem toties introducit Deus primogenitum suum in orbem terrarum, dicit: Adorent eum omnes Angeli Dei. Et deinceps Apostolus eidem Dei filio, cuius alibi ministros dixerat sacerdotes, attribuit illud, quod prædixerat Dauid:

[d] Hebr. 1. v. 3, 14.

[d] Sede à dextris meis: Donec ponã inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Angelis verò adscribit ministerium, non ipsius Christi, sed per deputatam singularem custodiam, hominum qui capiunt hæreditatem salutis æternæ.

[e] Christus per Sacerdotes in cõsecratione Eucharistiæ operatur. Chrysost. homel. 66. ad popul. Antioch. Et hõ. 83. & 51. Matth.

[e] Verùm de his Doctores antiquos orthodoxos audiamus. Chrysostomus: Non sunt, inquit, humanæ virtutis opera proposita: qui tunc ipsa fecit in illa cœna, idem quoq; ea nunc facit. Nos ministrorum tenemus locum: qui verò sanctificat ea (nota) & immutat, ipse est. Et ibidem: Verùm & tu laice, cùm sacerdotem videris offerentem, ne vt sacerdotem putes hoc facientem: sed Christi manum inuisibiliter

Cap. V.

visibiliter extensam. Idem alibi:

[a] sacerdos offerens, hominũ viuorum & mortuorũ ad Deũ mediator: & filium Dei manibus tractans.

[a] Eum qui pro ciuitate tota, quid dico ciuitate? immò verò pro vniuerso terrarum orbe legatus intercedit, deprecatorq; est apud Deum, vt hominum omnium, non viuentium modò, sed etiam mortuorum peccatis propitius fiat, qualem quæso esse oportet? Et postea subijcit: Quum autem ille & Spiritum sanctum inuocauerit,

[b] Sacrificiũ Missæ horrendum & reuerendum.

[b] sacrificiumq; illud horrore & reuerentia plenissimum perfecerit, communi omnium Domino manibus assiduè pertractato: quæro ex te, quoto illum in ordine collocabimus? Conuenit & Hieronymus sic scribens:

[c] Hieronymi sacerdotes eorũmq; officia, quãti supra Monachos. Epist. ad Heliodorum & ad Fabiolam.

[c] Absit, vt de his quicquam sinistrũ loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus: qui claues regni cælorum habentes, quodam modo ante diem iudicij iudicant, qui sponsam Christi sobria castitate conseruant. Sed alia, vt ante perstrinxi, monachorum est causa, alia clericorum. Clerici pascunt oues, ego pascor. Illi de altario viuunt: mihi quasi infructuosæ arbori,

[d] Matth. 3. v. 10. & Cap. 5. v. 24. Lucæ 21. vers. 3.

[d] securis ponitur ad radicem, si munus ad altare non defero. Nec possum obtendere paupertatem, cùm in Euangelio anum viduam, duo, quæ sola sibi supererant, æra mittentem in gazophilacium, laudauerit Dominus. Mihi ante presbyterum sedere non licet, illi si peccauero licet

[e] Gladius spiritualis sacerdotũ. 1. Cor. 5. ver. 5. Deut. 17. ver. 12.

[e] tradere me Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini Iesu. Et in veteri quidem lege, quicunq; sacerdotibus non obtemperasset, aut extra castra positus, lapidabatur à populo: aut gladio ceruice subiecta, contemptũ expiabat cruore. Nunc vero inobediens, spirituali mucrone truncatur: aut eiectus de Ecclesia, rabido dæmonum ore discerpitur. Hæc ille. Addamus his S. Bernardum, sic talia extollentem:

[f] Conficere corpus Christi quãta potestas. Bernardus Serm. de Cœna Domini.

[f] O præclara, ô reuerenda potestas vestra, (ô sacerdotes) certè non est potestas post Deum, sicut potestas vestra. Forsitan scire vultis, & audire delectat apertiùs, quænam sit ista tanta potestas, cui nihil in cælo vel in terra valeat comparari? Ad quod ego: Consecrare videlicet corpus & sanguinem Domini. Super potestate vestra, super tam insigni spectaculo, super tam solenni dignitatis vestræ priuilegio, stupet cælũ, miratur terra, contremiscit homo, reueretur plurimùm angelica celsitudo. Sed vnde hoc nobis pijssime Iesu, vt nos vermiculi reptantes super faciem terræ, nos, inquam, qui puluis & cinis sumus, te præsentem habere mereamur præ manibus, præ oculis, qui totus & integer sedes ad dexteram Patris?

[g] Christus in Eucharistia in multis locis præsens.

[g] Qui etiam vnius horæ momento ab ortus solis vsq; ad occasum, ab aquilone vsq; ad austrum, præstò es omnibus, vnus in multis, idem in diuersis locis: Vnde hoc, inquam? Certè non ex debito vel merito nostro, sed ex voluntate tua, & dul-

a Psalm. 67. v. 12.

& dulcedinis tuæ beneplacito. a Parasti enim in dulcedine tua pau- "
peri Deus. Pauper est genus humanum, cui bonum istud cælitus in- "
dultum est. Hæc est verè indulgentia cælestis, hæc est verè cumulata
gratia, hæc est verè superexcellens gloria, sacerdotem Deum suum
tenere, & alijs dando porrigere. O nouam & diuinam potestatem,
cuius ministerio panis angelorum & vitæ, mortalibus quotidie pre-
paratur. b Et alibi sic alloquitur sacerdotes: Quantam dignitatem
contulit vobis Deus? Quanta est prærogatiua ordinis vestri? Præ-
tulit vos Deus Regibus & Imperatoribus: prætulit ordinem vestrũ
omnibus ordinibus: immò (vt altiùs loquar) prætulit vos Angelis
& Archangelis, thronis, & dominationibus. c Sicut enim non An- "
gelos, sed semen Abrahæ apprehendit, ad faciendam redemptionem: "
sic non Angelis sed hominibus, solisq; sacerdotibus, Dominici cor- "
poris & sanguinis comisit consecrationem. d Omnes enim (sicut ait "
Apostolus) sunt administratorij spiritus, in ministeriũ missi propter "
eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Sed longè excellentiùs est of- "
ficium vestrum, quod admirabile est, non solùm oculis vestris, sed
etiam Angelorum. Hactenus Bernardus.

b Officiũ Sacerdotum super Reges & Angelos. Bern. in Serm. Synodali.

c Hebr. 2. v. 16.

d Hebr. 1. v. 14.

e Mariæ Dei genitrici an præferendi sacerdotes consecrantes.

Cap. VI.

e Audent etiam aliqui tanto officio, sacerdotes præferre & ipsi
Dei genitrici: quòd illa secundũ carnem semel Christum genuisset
mortalem: ipsi verò quoties consecrant, Christũ & quidem imorta-
lem & gloriosum in suis manibus gignãt. Ego verò indignum me
iudico, qui tantã cõparationẽ præsumere ausim. Siquidem Maria fi-
lium Dei f verè & naturaliter carnem ex carne, & os ex ossibus, cõ-
ceperit & genuerit. Et sicut secundùm diuinitatem, ab æterno est
consubstantialis Deo Patri: ita in eadem indiuisa hypostaticæ vnio-
nis persona, secundùm humanitatẽ, est consubstantialis matri: adeò,
vt sicut verbi æterni, Deus, Pater, sic filii hominis, Maria verè Dei ma-
ter & θεωτόκος, sit & denominetur. Sacerdotes autem verè quidem
per consecrationẽ, non generant, sed conficiunt, non absolutè Chri-
stum, sed corpus Christi: non genere & puerperio, sed gratia & mi-
nisterio: non speciei argumento, sed veritatis sacramento. Satiùs
igitur eiusmodi cõparationes ad subcælestia reuocemus, quòd quã-
cunq; summam istius vniuersi potestatem simul & dignitatem, exce-
dant tãto suo officio sacerdotes. g Quod antiquissimi Ecclesiæ Do-
ctores sic attestantur. Clemens quidem in Constitutionibus Aposto-
licis sic habet. Si de parentibus secundùm carnem, ait diuina scri-
ptura: Honora patrem tuum, & matrem, vt bene sit tibi: & qui ma- "
ledicit patri, aut matri, morte moriatur? quantò magis de patribus "
spiritualibus verbis Dei moneamur, honore & charitate eos prose-
qui,

f Isai 7. vers. 14. Lucæ 1. vers. 31.

g Sacerdotes tãquam Patres Spirituales summè honorandi. Clẽ. Cõst. Apost. lib. 2. Cap. 33 aliàs 37. Exodi 20. vers. 12 Matth. 15. vers. 4.

qui, vt beneficos, & ad Deum legatos? qui nos per aquam Deo re-
generârunt, Spiritu sancto impleuerunt, lacte verbi Dei aluerunt, &
doctrinæ alimento nutriuerunt, monitis stabilierunt, corpore salu-
tari, & pretioso sanguine nos dignati sunt, nobisq; peccata remise-
runt, & sanctæ ac sacræ Eucharistiæ participes fecerunt, ac promis-
sionis Dei consortes, & Christi cohæredes constituerunt. His igitur
reuerentiam adhibentes, omni eos genere honoris afficite: Siquidẽ
hi potestatem vitæ & mortis à Deo acceperunt, in iudicandis ijs, qui
deliquerunt, & in damnandis ad mortem ignis sempiterni, & ijs, qui
se ad rectè viuendum conuertunt, absoluendis & viuificandis. a Hos
existimate vestros præsides, hos putate reges, his quasi regibus ve-
ctigalia offerte, eos enim eorumq; domesticos bonis vestris alere de-
betis. Et paulò post: Quantò ergo, inquit, anima corpore præstan-
tior est, tantò est sacerdotium regno excellentiùs: ligat enim aut sol-
uit supplicio, vel remissione dignos. Quocirca Episcopum oportet
vt patrem diligere, vt regem metuere, vt dominum honorare, &c.
b Et alibi ostendit, Magistratus à Deo esse constitutos, seculares qui-
dem ad tutelam vitæ, spirituales autem, ad legittimum Dei cultum.
c Gregorius Nazianzenus agens de Episcopali officio quod defugi-
ebat, & alludens ad illud Apostoli: Manus citò nemini impo-
" sueris, & ne communicaueris peccatis alienis: sic sacerdotum officia
" summa exaggerat: Et quis est, qui contra hæc omnia, celeritatem
potiùs, quàm securitatem & vtilitatem exposcat? Quis est, qui veri-
tatis propugnatorem, vnius dieculæ spatio, veluti è luto statuam
fingit? illum, inquã, qui cum Angelis stabit, cum Archangelis glo-
rificabit: d ad supernum altare (nota ministerium veri altaris cæle-
stis) sacrificia transmittit: cũ Christo sacerdotio fungetur: figmen-
tum instaurabit, imaginem exhibebit, (per hæc intellige, hominis
peccato deformati propitiatoriam restaurationem) superno mundo
opificem aget, (hoc est, ex terra in cælum, vbi Christus locum parat,
deducet) & vt, quod maius est dicam, e Deus erit, aliosq; Deos effi-
ciet. Eius quoq; ad sacerdotes hæc extant carmina:

a Sacerdotiũ Regno excellentius duplici honore & timore dignũ.

b Clem: constit: Apost: lib. 8. Capite 37. alias 42.

c Sacerdotiũ cæleste officium, fugiendum magis, quàm ambiendũ. Nasians: oratione 1. Apologet: versus finem.

d Altare terrenũ cælesti cooperatur.

e Sacerdotes Dij ex peccatoribus Deos facientes.

O sacrificia mittentes incruenta sacerdotes.
O animarum custodes gloriosi: O magni
Figmentum Dei manibus in vestris ferentes.

f Et patris post castas nuptias sacerdotis sancti, defuncti sic deflet encomia.

Assistens aris medius, hominesq; Deumq;
Inter, lustratus sacris operatus, & offert
Intima, quæ mens nostra silet, libamina pura.
Æternum magnumq; Deum mortalibus ægris
Coniungens, &c.

f Greg: Nasians Orat: in funere Patris.

animarum. Quam difficultatem Nazianzenus, ostendit primò ex
comparatione pastoratus brutorum, & hominum. Si enim in pa-
scendis pecoribus, tanta (vt experimur) requiritur peritia, diligentia,
a Hominem præsertim in anima regere difficillimum.
labor, & pericula: a quantò magis in regendo homine, in cura, in-
quã, nõ solius corporis, in qua medici cũ arte & industria sua fatigã-
tur: sed animæ & totius hominis, qui secũdùm animã quidẽ ratione
præditus, & ipsius rationis proprium discursum, & voluntatis pro-
pter electionem, libertatem habeat: quorum vtrumq; corruptione
naturæ, ipsiusq; sensualitatis impetu, ad falsum potiùs quàm ad ve-
rum, ad errorem quàm ad morem, ad malum quàm ad bonum, ad
libertatẽ, quàm ad disciplinam, naturaliter propẽdeat. Quod ab ini-
b Genes. 3. ver. 5. Ierem, 17. ver, 9.
tio mundi attestatus est ipse Creator: b hominis cunctam cogitati-
onem intentam esse ad malum in omni tempore. Et per Ieremiam "
sic dicit: Prauum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet il- "
c Hominis peruersitas maxima in quo consistit. Supra Sermo. 13. Cap. 16.
lud? Hæc ibi. c Vnde subsecuta fuerit illa in homine veluti innata "
peruersitas, quam suo loco ex doctrina S. Augustini retulimus, quòd
homines bonis spiritualibus atq; æternis, quibus frui seu in illis finẽ
constituere debuissent, vtũtur quasi ad vsum tantùm accidentalem:
rebus autem temporalibus, quibus ad vitæ corporis solam necessi-
tatem vti debebant, fruuntur, hoc est, vltimam veluti summi boni
delectationem in illis constituunt. Accedit & præposterus hominũ
in seipsum amor, qui plerunq; vitia pro virtutibus reputent, ac in tali
errore optimis etiam monitoribus, optimorũ etiam censuras & cor-
reptiones non admittãt. Illa porrò directionis istius summa diffi-
cultas est, quòd homo in tanta libertate simul & corruptione, interi-
ùs constitutus, exteriùs etiam, sæuissimis hostibus, diabolica nimirũ
d Math. 7. ver 13.
tentatione, ac mundanis & carnis propriæ illæcebris, subinde abri-
pitur, quominùs à via perditionis lubrica reuocatus, d viæ angu-
stæ & asperæ, quæ ad Deum tãquam summum bonũ reducit, pasto-
rum suorum directione constanter insistat. Istas & similes rationes
e Pastoralis supra regale officii difficultas. Chrysost. de verbis Isaiæ hom. 4. Et lib. 2. de Sacerdotio.
diuinus ille Theologus Gregorius apud se expendit. e Conuenit &
B. Chrysostomus sic scribens: Regi corpora commissa sunt: sacer-
doti animæ. Rex maculas corporum remittit: sacerdos autem ma-
culas peccatorũ. Ille cogit, hic exhortatur. Ille necessitate, hic con-
silio. Ille bellum gerit cum Barbaris: mihi bellum est aduersus Dæ-
mones. Propterea alibi asserit, Episcopum non duobus vt cæteros
homines, sed sexcentis oculis indigere. Quòd si nostri temporis Dio-
f Ouid: lib: 1.
cœses tam amplas ac dissolutas, lustrasset, suprà f Argum illũ fabu-
losum, Myriades etiam oculorũ in rectoribus illarum requisiuisset.
Accedit & vltima, sed maxima ratio: quòd Christus tanquam ca-
put

a Charitas rara, & tamen Pastori ouium Christi necessaria. Ioan: 21. ver. 15. Ambr: de dignit. Sacer: lib: 1. ca. 2.
put a includi voluit in suis ouibus tanquã membris, quas propterea
adeò adamasset, vt pro illis vitam profunderet: Earum igitur curã
simili amoris ardore suscipi, tractari, & perfici voluit. Ideóq; ante-
quam Petro supremam earum curam demandasset, ter vsq; etiam ad
" tædium compellabat eum dicens: Petre amas, vel diligis me, plus
" his? Pasce oues meas: Pasce agnos meos: Pasce oues meas. Qualem
quidem amorem rarum esse inter homines, non dissimulauit tandẽ
b Philip: 2. v: 21.
Apostolus, in eam prorumpens vocem: b Omnes quæ sua sunt
" quærunt, non quæ Iesu Christi.
c Potestas Sacerdotum remittendi peccata qualis & quanta. Math. 18. vers. 18.
Cap. IX. c Porrò in tali officio sacerdotali erga corpus mysticum Christi,
hoc est, pastorali, iuxta distinctionem ex Dionysio positam, pri-
mum locum habet purgatio, hoc est, hominis peccatoris cũ Deo
reconciliatio, quæ propriè fit per pœnitentiam, & potestatem cla-
uium à Domino pastoribus relictam, quando dicebat: Quicquid
alligaueritis super terram, erit ligatum in cælis: Et quicquid sol-
" ueritis super terram, erit solutum in cælis. Quam promissionem re
" ipsa exequutus est eo tempore, quod esset præsignatum ab Euan-
d Ioan. 7. ver. 39.
" gelista dicente: d Nondum datus erat Spiritus sanctus, quia Iesus
" nondum erat glorificatus. Quapropter per resurrectionem glorifi-
e Peccatorũ remissio cur p sufflationem à Christo data. Ioan. 20. ver. 22.
" catus, idipsum præstitit sic Apostolos alloquens: e Sicut misit me
" Pater, & ego mitto vos. Et insufflans in illos dixit: Accipite spi-
ritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &
f Supra Sermone 4. Cap. 8.
quorum retinueritis, retenta sunt. Quod quamuis in tractatu de
Pœnitentia f satis exposuerimus. Illud tamen addendum occur-
rit. Quòd Dominus inuisibilem cælestẽ potestatem, quam à Patre ha-
beret, in mortales sacerdotes transferens, vsus est flatu corporali, qui
g Ephes. 1. ver. 6.
mediũ quid inter corpus & spiritum habeat: vt designet, potestatẽ
propriè diuinam, in homines verè transferri, g per medium suæ in-
carnationis, secundùm quam corporalia spiritualibus, terrena cæle-
stibus, humana diuinis, reconciliata copularentur. Qua de re per-
h Potestas remittendi peccata cælestis supra angelicam & terrenã. Chrysosto: lib. 3. de Sacerdo: Math. 16. & 18.
pulchrè Chrysostomus: h Qui, inquit, terram incolunt, atq; in ea
versantur, ijs commissum est, vt ea quæ in cælis sunt dispensant: ijs
datum est, vt potestatem habeant, quam Deus optimus neq; Ange-
lis, neq; Archangelis datam esse voluit: neq; enim ad illos dictum
est: Quæcunq; alligaueris in terra, erunt alligata & in cælo: & quæ-
cunq; solueris in terra, erunt soluta & in cælo. Habent quidem &
terrestres Principes vinculi potestatem, verùm corporum solùm. Id
autem quod dico sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam con-
tingit, atq; ad cælos vsq; peruadit: vsq; adeò, vt quæcunq; infernè
sacerdotes confecerint, illa eadem Deus supernè rata habeat, ac ser-

uorum sententiam Dominus confirmet. Etenim quidnam hoc aliud esse dicas, nisi omnem rerum cælestium potestatem illis à Deo concessam? [a] Quorumcunq; enim, ait, peccata retinueritis, retenta sunt. Quænam, obsecro, potestas hac vna maior esse queat? Pater omnifariam filio potestatem dedit: cæterùm video ipsam eandem omnifariam potestatem à Deo filio, illis traditam. Nam quasi iam in cælum translati, ac supra humanam naturam positi, atq; nostris ab affectibus exempti, sic illi ad principatum istum perducti sunt. Et postea sic subinfert: [b] Corporis lepram purgare, seu veriùs dicam, haud purgare quidem, sed purgatos probare, Iudæorum solis sacerdotibus licebat: neq; nescis: quanta cum ambitione, quanto cum studio & concertatione, sacerdotalis dignitas id temporis acquirere- tur. At verò nostris sacerdotibus, non corporis lepram, verùm animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est. Idem alio rursus loco: [c] Sacerdotium, principatus est, ipso etiam regno venerabiliùs & maius. Cuius rei collationes aliquas postquam perscripsisset, sic subinfert: Verùm sacerdoti thronus in cælis collocatus est, & de cælestibus negotiis pronuntiandi habet authoritatem. Quis hæc dicit? Ipse cælorum rex: Quæcunq; ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis: & quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cælis. Quid cum hoc honore conferri possit? A terra iudicandi principalem authoritatem sumit cælum. Nam iudex sedit in terra: Dominus sequitur seruum: & quicquid hic in inferioribus iudicârit, hoc ille in supernis comprobat. Hactenus Chrysostomus. Propterea optimo iure, tanto sacerdotum officio applicari potest illud, [d] quod post paralitici sanationem Christo populus acclamasse scribitur: glorificando Deum, qui talem potestatem dedisset hominibus. Ad istud officiũ pascendi per purgationẽ, pertinet potestas administrandi reliqua sacramẽta. [e] Per ipsa namq; sacerdotes, sunt veluti patres spirituales fidelium, vt suprà ex S. Clemente annotauimus. Per ea, inquam, homo in vita & via spirituali, versus finem suum vltimum disponitur ac dirigitur. Baptismo quidem, ad nouos actus salutares regeneratur: Confirmatione robur contra tentationes vincendas, & virtutes sectandas acquirit: Pœnitentia (vt iam diximus) tentationibus impetitus, subinde erigitur: Eucharistia nutritur, roboratur, & vnionis cum suo principio futuræ, pignus accipit: Sacramento ordinis spiritualiter, Matrimonij autem corporaliter, multiplicatur, & in statu conseruatur: Extrema deniq; vnctione ad extremæ militiæ victoriam, & coronam roboratur. Proinde tanta ministeria expendens Chrysostomus, ista adijcit verba:

a Ioan. 20. v. 22. Math. 28. ver. 18.

b Lepram non corporis explorare, sed lepram animæ curare Sacerdotibus commissum. Leuit. 13. ver: 2.

c Sacerdotis thronus supra Reges in cælo positus. Chrysost. de verbis Isaiæ homel. 5 Math. 18. ver. 18.

d Math. 9. ver. 8.

e Sacramenta vitæ spiritualis alimenta. Clem Const. Apost. lib. 2. ca. 33.

verba: Insania est manifestaria, despicere tantum ipsum principatũ, sine quo, neq; salutis, neq; promissorum bonorum, compotes fieri possumus. Hæc ille. [a] Tertium officium sacerdotum, & quidem eorum qui præsunt, est pascere oues Christi verbo & doctrina, quod idem est, docere & prædicare. Quod & presbyteri vel ipsum nomen arguit, secundùm quod deuotissima & fortissima illa [b] Iudith dicebat: Vos estis presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum: & ad eloquium vestrum corda eorum erigite. Et S. Clemens scribit, Apostolos in pastoribus requirere, vt in lege Dominũ assiduè meditentur, multi sint in lectione: vt Scripturas accuratè interpretentur. [c] Quod etiam S. Paulus Timothæum exhortatur, vt attendat lectioni & exhortationi doctrinæ. [d] Eam potestatem respondere illuminationi angelicæ, quam ponit Dionysius, disertè asserit Malachias Propheta his verbis: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem ex ore eius requirent: quia angelus Domini exercituum est. Quod intelligendum est, officio vtiq;, non natura. Nam vt describit sacer Dionysius, à Deo qui lux essentialis est, illuminationem hominibus salutarem recipiunt primæ Angelorum hierarchiæ, eamq; subordinatæ alijs inferioribus communicant, donec ad singulos etiam fideles, per Pastorum & Doctorum subministrationẽ deueniat. Et sic pastores vel prædicatores, Angelorum officium participare dicuntur. Qualem subordinationem adeò firmam esse, dicit idem [e] Apostolus, vt si præter illam, vel Angelus de cælo annuntiauerit, suspectum esse, neq; recipiendum. Hoc etiam intellexit, quando sic scribit: [f] Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo per nos exhortante. Idipsum insinuauit ipse Dominus, quando discretionem scientiæ de Deo, inter humanã & diuinam discernit: [g] quod illam caro & sanguis, istam ipse Pater cælestis, qui lux & veritas est, reuelet, infundat, & suggerat. Eo etiam sensu [h] Dominus Apostolos lucem mundi, & sal terræ denominauit, quòd homines sibi subditos, & luce syncerae prædicationis, & opere honestæ conuersationis dirigant atq; corrigant. Istud docendi officium veluti diuinum reputat [i] Clemens nomine Apostolorum sic scribens: Si Aaron, postquam nuntiauit Pharaoni verba Moysis, Propheta dictus est: Moyses verò Deus Pharaonis; vt Rex simul & Pontifex, sicut ait illi Deus: Posui te Deum Pharaoni: & Aaron frater tuus, erit tuus Propheta: Cur vos internuntios Sermonis vestri non habetis in Prophetis, & Episcopos tanquam Deos colitis? Hæc ille. [k] Eiusdem potestatis quoad doctrinam & prædicationem, Dominus præmisit quendam veluti apparatum: quando ex discipulis suis binos præmittebat ad omnem

a Pastorale officium quoad doctrinam.

b Iudith. 8. ver: 21 Clem: Const: Apost: lib: 2. cap. 5.

c 1. Timoth. 4. vers. 13. 16.

d Sacerdotes quomodo Angeli. Malach. 2. ver. 7. Dionys. cælestis Hierarch. cap. 1. & Seq. Et de Eccles. Hierarch. Cap. 3.

e Gal. 1. vers. 8

f 2 Cor. 5. ver. 20.

g Math. 16: v. 17

h Math. 5. ver. 13

i Clem. Constit. Apost. lib. 2. cap. 33. aliâs 29. Exod. 7. vers. 1.

k Doctrinæ Apostolicæ à Christo initium & ordo. Lucæ 10. vers. 1.

nem locum, quo ipse venturus esset, qui aduentantem regni sui gratiam prædicarent: simul etiam vt lex cum Euangelio curreret, quousq; post Dominicam glorificationem, in ipsam gratiæ abundantiã supereffluerct. Quod quidem effectum est, quando Dominus cælos conscensurus, dicebat in persona Apostolorum, omnibus subsequentibus Pastoribus: [a] Euntes in mundũ vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus, &c. Et rursus: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: docentes eos seruare omnia, quæcũq; mandaui vobis. [b] Vnde apparet prædicationem & conuersionem gentium, debere fieri per doctrinam, tum fidei ipsius, cuius basis est baptismus, & professio diuinissimæ Trinitatis, tum pietatis & probitatis, cuius vtriusq;, pastores verbo & exemplo, magistros & professores sese exhibere debent. Quod adeò verùm est, vt sacerdotium absq; scientia Deus non agnoscat, vel potiùs reprobet, sic dicendo per [c] Prophetam: Conticuit populus meus, eò quòd non habuerit scientiam. Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Ad eũ sensum accipi potest illud Apostoli. [d] Si quis videtur propheta esse aut spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata. Si quis autem ignorat, ignorabitur. Quod eò magis requirit quidem ipse Dominus, & idem Apostolus, in ijs Pastoribus, quibus permisti sunt falsi prophetæ & hæretici: [e] vt sciant secundùm scientiam legis diuinæ, ab illis attendere sibi & vniuerso gregi, atq; ouinas pelles à luporum rabie discernere: amplectentes ipsi eum, qui secundùm doctrinam fidelem sermonem, vt possint in doctrina sana exhortari, & eos qui contradicunt arguere. Vbi notandum est, Apostolum requirere in idoneo pastore fidelem sermonem, hoc est, rerum sacrarum peritiam non ex proprio cerebro desumptam, sed qui per doctrinam vtiq; Ecclesiasticam, sufficienti studio fuisset comparatus: nec à suspectis magistris edoctam, sed vt doctrina illa sit fidelis, hoc est, secundùm regulam vnius religionis & fidei orthodoxæ: & hæc quidem quoad intellectum ab eo requiruntur. Secundùm voluntatem autem & affectum, vt eiusmodi sermonem amplectatur: hoc est, ipse primò eum in se interiùs in fructificando persentiat, eiq; tota delectatione incumbat atq; inhæreat: deinde eundem verbo simul & exemplo, ouibus sibi commissis communicet.

[a] Marci 16. v. 15. Math. 28. ver. 18.

[b] Scientiæ & probitatis in Pastoribus necessitas.

[c] Oseæ 4. ver. 6.

[d] 1 Cor. 14. v. 37.

[e] Doctor Euangelicus qualis. Math. 7. ver. 15. Actor. 20. ver. 28. Tit. 1. vers. 9.

Secunda

Secunda pars: De vocatione, & legittima ordinatione ministrorum Ecclesiæ: & quot eorum gradus.

Vocationis seu missionis Ministrorum in Ecclesia ratio & ordo.

Cap. XI.

PRo fundamento istius tractatus, proposuimus initio sententiam Apostoli, quæ asserit, sacerdotes esse ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Nunc ergo videndum est, quomodo eorum istud officium à Christo, qui & Deus est, ad illos deriuetur. Hoc autem fieri asserimus, propria vocatione & missione diuina, per ordinationem tamen Ecclesiæ, suæ sponsæ, relictam, certa & indeficienti successione firmatam. Quod quidem confirmat idem [a] Apostolus dicens: Nec quisquam sumit sibi honorem, nisi à Deo vocatus, tanquam Aaron. [b] Legimus autem Aaronem sicut Moysem ipsum, nil tale cogitantes, diuino prorsus delectu, ad similia officia fuisse postulatos. Moyse enim tantum munus recusante, & dicente: [c] Quis enim ego sum, vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israël de Ægypto? Et rursus: Obsecro Domine, mitte quem missurus es. Respondit Dominus: Ego ero tecum, & in ore tuo, doceboq; te quid loquaris. Et Aaron frater tuus Leuites, egredietur in occursum tuum, vidensq; te, lætabitur corde. Loquere ad eum, & pone verba mea in ore eius, & ego ero in ore tuo, & in ore illius. [d] Ecce quàm luculenter in prima ista missione ostenditur, ad eiusmodi ministeria, & vocatio Dei absoluta, & ordinatio Ecclesię subdelegata. Deus enim Moysem ex pastoratu pecorũ ex improuiso prælegata. Deus enim Moysem in occursum eius inspirauit; ac vtriusq; os & ordinauit, & Aaronem in occursum eius inspirauit; ac vtriusq; os & linguam, ad depromenda coram Pharaone & populo suo mysteria instruxit. Rursus verò Moysi facultatem dedit, vt voce & quasi electione sua, Aaronem sibi adiungeret, & verba Dei homo in ore hominis poneret: sic tamen vt Deus tanquam à se prolata recognosceret. Atq; exinde [e] in lege veteri summus synagogæ sacerdos seu Propheta de gente, ex populo quidẽ & gente propria, sed simili diuina dispensatione, per manus quasi traditus indesinenter exurgeret.

[a] Hebr. 5. ver. 4.

[b] Vocationis legitimæ in Mose & Aarone typus.

[c] Exodi 3. v. 11. & cap. 4. ver. 13.

[d] Vocatio fit per Deũ, missio seu ordinatio per Ecclesiam sponsam.

[e] Deut. 18. v. 15.

Cap. XII.

[f] Non absimilem ordinem Dominus & princeps pastorum in lege Euangelica seruauit. Primi enim ex discipulis Ioannis Baptistæ qui inuenissent Christum, erat Andreas frater Simonis, cum suo socio: sed quantum ad agnitionem humanam & habitationem localem. Cæterùm Simon primus extitit, cui primò innotuisset Christus ex officio & virtute, tanquam Messias. Ideóq; & ipse veluti Moyses ad summum sacerdotium illico consignatus est, dicente Domino: Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur

[f] Ministerii Euãgelici ad instar legalis processus. Ioan: 1. ver. 37. & seq:

tatur Petrus seu petra, in qua posimodum Christus Ecclesiam suam esset exædificaturus. [a] Eandem vocationem diuinam Christus solenniter & effectiuè perfecit & in aliјs Apostolis, quando Nathanaëlem, Philippum, Petrum & Andream, Iacobum & Ioannem filios Zebedæi, Matthæum ex thelonio, & alios, ad expressum Apostolatus seu Pastoratus orbis officium externo modo vocauit, sic vt nunquā postea à se discederent. Rursus autem diuinæ vocationis declarationem, insinuauit Dominus in vocatione Nathanaëlis, quę per Philippum quasi humano delectu & suasione inchoata: diuina tamen virtute perfecta fuit, quando Christus dicebat: [b] Priusquam te Philippus vocaret, cùm esses sub ficu, vidi te. In quo Philippus diuinam agnoscens virtutem, dicebat: Rabbi: tu es filius Dei: tu es rex Israel. [c] Porrò vocationis istius diuinæ rationem, ad humanum veluti ordinem reuocans Dominus, non ampliùs, vt in lege certam tribū sacerdotio designauit: sed vt Cyprianus, & ante eum apud Clementem, ipsi Apostoli attestantur: abrogata successione sacerdotali vnius tribus, ex omni gente & lingua, quos dignos & idoneos diuina probat electio, secundùm vitę non generis meritum, statuit sacerdotes. [d] Cuius rei exēplum seu formam Dominus instituit: quando primò quidem, initio suæ prædicationis, ex vniuersa credentiū multitudine, præcipuos duodecim deligit: & quos simpliciter ad sequelam & discipulatum suum antehac vocasset, tunc nominatione & officio Apostolos designat, & reliquis ad prædicationem & miracula facienda præficit, veluti superiores Pastores & Episcopos Ecclesiæ, & ouili suo præficiendos. Deinde ex eadem credentium multitudine eligit & designat alios septuaginta duos discipulos, prædicationis ac virtutis suæ, & Apostolorum suorum veluti præcursores ac prænuncios seu cooperatores. Ac primis quidem duodecim dedit, & alijs per manus tradendā reliquit vtramq; potestatem, tàm super corpus suum verum consecrandi, offerendi, & dispensandi Eucharistiam, (vt suo loco diximus) quàm in corpus suum mysticum, hoc est, pascere, regere, & curare oues seu Ecclesiam suam, quam acquisiuit sanguine suo. [e] Quod quidem fecit, quando post suam gloriosam resurrectionem, primò quidem quoad officium docendi, aperuit illis sensum vt intelligerent scripturas: eamq; intelligentiam postmodum die Pentecostes, visibili missione Spiritus sancti perfecit: deinde promissionem ligandi & soluendi, quæ quidem in cælis rata esset, re ipsa eisdem exhibuit, quando insufflauit super eos, dicens: [f] Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Deniq; reliquas eiusdem

[a] Ioan. 1. ver. 43. & seq: Math 4. v. 18. & cap. 9. vers. 9.

[b] Ioan. 1. ver. 48.

[c] Ministeriū nouæ legis vniuersale, sicut sacrificium, & lex ipsa. Cypr: de vnctione Chrism: Clem: Const. lib. 6. cap. 23.

[d] Electionis Apostolorum, & postea discipulorum mysterium Lucæ 6. vers 13. & cap. 10. ver. 1.

[e] Missionem Apostolorū Christus post resurrectionē perfecit. Lucæ 24. ver. 45.

[f] Ioan. 20. ver. 22.

eiusdem Pastoralis officii partes, quæ in admistratione sacramentorum, & in directione populi fidelis consistunt, generaliter cōplexus est inquiens: [a] Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Quasi clariùs dicat: potestatem diuinam saluandi animas, ego tanquam vnus cum Patre Deus, natura obtinens: per medium humanitatis assumptæ, secundùm quam à Patre missus sum, vobis propriè qui proxima membra mea estis, & quos ex mundo elegi, & prædestinaui, cōmunico, & veluti in vos aliјs communicandā transfundo. [b] Et sic Apostoli sub Petro, & simul cum Petro, Christo Messiæ, secundùm Prophetiam Dauidis, nati sunt filiј, pro patribus Patriarchis & Prophetis, ab eodem cōstituti principes super omnem terram, memores nominis sui, in generatione & generatione: quando nimirum effecti sunt Pastores & Episcopi omnis orbis nationū. Quod vt in alias quoq; generationes perseueraret, & (vt addit Propheta) memores essent nominis Dei in generatione & generationem, adsciuerunt in locum suum successores Episcopos & Pastores, per diuersa orbis terrarum loca: qui vicissim singulis Ecclesiis vel locis ordinabant, & præficiebant, tum Episcopos, tum Presbyteros & Diaconos, prout rationes fundatarum per orbem terræ Ecclesiarum postulabant.

Cap. XIII. [c] Quæ subordinationis Apostolicæ lex adeò firma erat, vt Paulus quamùis non ab homine, sed à Iesu Christo Deo, & quidem in humanitate glorioso, neq; per hominem, hoc est, per illam subdelegatam ordinationem, fuerit ad Apostolatum assumptus, (vt ipsemet gloriatur) tamen quarto decimo post vocationem suam anno, conuenit Petrum, tanquam Apostolatus ordinariј Principem, & cum eo confert Euangelicæ suæ prædicationis calculum: ne nisi hoc faceret, sua prædicatione, vel subsequente in vanum curreret, vel præcedente, in vanum cucurrisset. Ideò absq; eiusmodi ordinaria missione, salutem æternam irritam esse, idem Apostolus tali indictione asseuerat. [d] Quomodo, inquit, inuocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo audient, sine prædicante? quomodo autem prædicabunt, nisi mittantur? [e] Quinetiam idem ipse Apostolus, quamùis speciali & extraordinaria vocatione cælesti, designatus fuisset vas electionis & Apostolatus gentium, qui peculiariter sibi fuisset concreditus: eiusdem tamen potestatis, ab vniuersali Ecclesia accipit externam ordinationem, [f] quando instinctu Spiritus sancti, cum socio Barnaba, ad idem conuersionis gentium opus destinatur: idq; per ritum impositionis manuum, per eiusdem Ecclesiæ seniores: quæ quidem facta erat, partim exemplo, partim mysterio: exemplo quidem Moysis, [g] quando iussu di-

[a] Missio filii quomodo in Apostolos deriuata. Ioan. 20. vers. 21.

[b] Apostoli pro patribus filii Christo nati sunt. Psalm: 44. ver. 17. Vide August: super hunc locum.

[c] Missionis externæ vel ordinationis etiā apud Apostolos obseruantia. Galat: 1. vers. 1. & cap. 2. vers. 2.

[d] Rom: 10. v. 14.

[e] Ordinationis Apostolicæ per impositionē manuum ratio.

[f] Actor. 13. v. 2.

[g] Num. 27. v. 18.

ſu diuino imponebat manum capiti Ioſue, in ſymbolum aſsiſtentiæ
Spiritus ſancti, ad perducendum Iſraelem in terram promiſsionis:
myſterium autem in lege noua hoc acceſsit, quòd cùm a Apoſtoli
per flatum Chriſti, & linguas igneas, ſenſibiliter accepiſſent Spiritū
ſanctum, rationabile videbatur, vt illum alijs comunicarent, per ma-
nus, quæ (ſecundùm Gregorium Nazianzenum) vtiq; dandi & acci-
piendi, naturale ſunt inſtrumentum: ſic tamen vt ſuperior eorum
capiti impoſitio, ſummam conferendi quæ diuina ſunt poteſtatem
deſignaret. Quod ipſum b S. Ambroſius diſertè ſic atteſtatur: Quis
dat Epiſcopalem gratiam? Deus an homo? Reſpondes ſine dubio:
Deus: ſed tamen per hominem dat Deus. Homo imponit manus:
Deus largitur gratiam. Sacerdos imponit ſimplicem dexteram: &
Deus benedicit potenti dextera. Epiſcopus initiat ordinem: & De-
us tribuit dignitatem. Hæc Ambroſius. c Eundem igitur modum
miſsionis ſeu ordinationis, quem Paulus cum Barnaba ab Eccleſia
Apoſtolica accepiſſet, per ieiunium & impoſitionem manuum, ipſi
quoq; in alijs ordinandis conſeruabant, vt dicitur d Acto: cap. 14.
Talis verò ordinationis virtutem & efficaciam atteſtatur, ſcribens
Timotheo, quem Epiſcopum Epheſiorum ordinauerat. e Noli ne- "
gligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per Prophetiā, cum "
impoſitione manuum presbyterij. Vbi per presbyterium intelligit
Epiſcopatum. Siquidem & Paulus imponens manus erat, Apoſto-
lus, & Timotheus cui imponebantur, erat Epiſcopus, qui à presby-
tero minori ſe, ordinari non poteſt: vt obſeruauit hoc loco f Theo-
philactus. Timotheum autem à ſe fuiſſe ordinatum, teſtatur alibi ſic
ſcribens: g Propter hanc cauſam admoneo te, vt reſuſcites gratiam "
Dei quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum. Rurſus verò "
cautelam eiuſmodi ordinationis ſic præſcribit: Manus citò nemini "
impoſueris: & ne communicaueris peccatis alienis. Vbi hoc inten- "
dit Apoſtolus, quòd ſicut ex bene ordinato meritum, ſic ex non re-
ctè inſtituto, eius errorum pœna, in ipſum ordinantem redūdet. Eos
deniq;, qui ſic ab Apoſtolis fuiſſent præſertim in Epiſcopos ordinati,
aliorum quoq; ſimiliter ordinandorum poteſtatem accepiſſe, teſta-
tur idem Apoſtolus, ſic ad Titum ſcribens: h Huius rei gratia reli- "
qui te Cretæ, vt ea quæ deſunt corrigas (nota hîc ſucceſsiuum reli- "
gionis Chriſtianæ progreſſum) & conſtituas per ciuitates presbyte- "
ros, ſicut ego diſpoſui tibi. Vbi per presbyteros intelligit Epiſcopos,
qui ſingulis vrbibus ſeu ciuitatibus primarijs præficiebantur, vt ex
hoc loco colligitur, & hucuſq; obſeruatur.

Non tamen propterea ſacerdos cum Epiſcopo, ordine & pote- Cap. XIIII
ſtate

a Ioan: 20. v. 22. Actor. 2. verſ. 2. Gregor. Naſianſ. Oratione 26.

b Ambroſ. de dignitate ſacerdotali, Cap. 5.

c Ordo eſt Sacramentum viſibilis ſigni, & inuiſibilis gratiæ.

d Actor. 14. v. 22.

e Præsbyteri eminenter ſunt Epiſcopi.

1 Tim 4. ver. 14.

f Theophilactus

g 2 Tim. 1. ver. 6.

h 1 Tim. 5. ver. 22.

h Tit. 1. verſ. 5

ſtate confunditur, cuius a erroris Aerius iam pridem condemnatus
eſt. Nam Epiſcopus ſupra presbyterium ſeu ſacerdotium, alium ſu-
periorem ſuſcipit gradum, ordinis quidem ad alios conferendi, &
paſtoratus ac iuriſdictionis ſortem ſeu portionem ſibi deſignatam
ſub ſummo Pontifice adminiſtrandi. b Quod confirmari poteſt,
primò quidem ex facto ipſius Domini, quando Apoſtolos quidem
Principes, hoc eſt, Epiſcopos orbis Chriſtiani delegit, deinde ſeptua-
ginta duos diſcipulos ab Apoſtolis in ſacerdotes ordinandos inſti-
tuit, vt ſuperiùs diximus. c Deinde idipſum colligitur ex electione
S. Matthiæ, quando in locum Iudæ traditoris, qui Apoſtolatus mi-
niſterium ſortitus eſſet, ſorti itidem, vtiq; vocationis diuinæ non
humanæ, Diuini Apoſtoli, ſubſtitutionem ſancti Matthiæ com-
mittunt. Quæ tamen ſors in poteſtate poſtmodum Apoſtolorū
eorumq; ſucceſſorum reſedit, quando dicebat Dominns: Sicut miſit
me Pater, ita & ego mitto vos. Ita tamen vt in ordinatione Epiſco-
pali diuina vigeat electio: ſecundùm illud B. d Cypriani, quod ſu- "
prà adduximus: Ex omni tribu, & gente, & lingua, quos dignos &
idoneos diuina probat electio, ſecundùm vitæ, non generis, meritū
(Chriſtus in lege noua) ſtatuit ſacerdotes. e Multò autem expreſſi-
ùs S. Clemens in formula Apoſtolicæ ordinationis Epiſcopi ſic ha-
bet: Da ipſi Domine omnipotens, per Chriſtum tuum, participatio-
nem Spiritus ſancti, vt habeat poteſtatem remittendi peccata ſecun-
dùm mandatum tuum: item dandi cleros, id eſt, ſortes, vt tu iuſsi-
ſti: ac ſoluendi omne vinculum ſecundùm poteſtatem, (nota) quam
Apoſtolis dediſti, &c. f Et alibi officium Epiſcopi, ab alijs inferiori-
bus ſic diſtinguit: Scitis, inquit, planè, eos qui à nobis (Apoſtolis) per
orationem & manuum impoſitionem Epiſcopi, presbyteri, & Dia-
coni nominati ſunt, differentiam nominum, differentiam rerum de-
clarare. Neq; enim quicunq; volebat, apud nos manus implebat,
vt in falſo & adulterino ſacerdotio vitularum, rege Ieroboam: ſed
qui vocabatur à Deo. Etenim ſi nō eſſet aliqua lex poſita, & aliquod
diſcrimen ordinum, ſatis erat vno nomine affectos, omnia iſta mini-
ſteria perficere. Verùm cùm à Deo conſequentiam rerū didicerimus:
g Epiſcopis quidem aſsignauimus & attribuimus, quæ ad principa-
tum ſacerdotij pertinent: presbyteris verò, quæ ad ſacerdotiū: de-
inde Diaconis, quæ ad miniſtrandum vtriſq;: vt purè & caſtè fiant,
quæ ad religionem pertinent. Neq; enim fas eſt Diacono ſacrificiū
offerre, aut baptizare, aut benedictionem ſiue paruam, ſiue magnam
(intelligit Epiſcopalem ſeu ſacerdotalem) facere: Neq; presbytero
ordinationes clericorum facere. Siquidem non licet ordinem inuer-
tere,

a Aerii hæreſis Epiſcopum Presbytero adæquās. Epiph: hæreſi 75. Auguſt. Ad Quod uultdeum hæreſi 53.

b Ordinatio Epiſcoporum quomodo à Chriſto ad Apoſtolos, eorumq; ſucceſſores, deriuata.

c Act: 1. ver. 26.

d Cypr. de vnctione chriſmatis.

e Clemens Cōſt: Apoſt, lib. 8. ca. 5.

f Ordines ab inuicem poteſtate & dignitate quā diſtincti. Clem. cōſt. lib. 8. cap. 52.

3 Regū 13. v. 28.

g Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum officia.

a 1 Cor. 14. v. 33.
b Clemēs const: Apost lib. 8. Capit: 38.

tere, [a] cùm non sit Deus dissensionis, vt inferiores quæ sunt superioris, per vim sibi vindicent, &c. [b] Idem Clemens inducit S. Simonem Apostolum sic statuentem: Idem de Canonibus: Episcopus benedicit, & non benedicitur, manum imponit, ordinat, offert: benedictionem ab Episcopis accipit: à presbytero autem non accipit. Deponit autem Clericum, qui dignus sit, vt deponatur: præter Episcopum: Episcopus enim solus Episcopū deponere non potest, &c. Hæc ibi. [c] Quod autem initio fit mentio Canonum, suspicor intelligi Canones Apostolorum seu Ecclesiasticos, quorum primus sic habet: Episcopus à duobus aut tribus Episcopis ordinetur: Presbyter ab vno Episcopo: item Diaconi, & reliqui Clerici. Idipsum Clemens in Constitutionibus Apostolorū sic tradit: Ego Simon Chananæus constituo: à quibus Episcopis debeat ordinari Episcopus: scilicet à duobus, aut tribus Episcopis. Sin verò aliquis ab vno Episcopo ordinatus fuerit, tum is qui ordinatus est, tum is qui ordinauit, deponatur. Quòd si necessitas coëgerit ab vno ordinari, quòd propter persecutionem, aut aliam causam, plures adesse non possint, afferatur decretum Commissionis plurium Episcoporum. [d] Et alibi constitutionem communem Apostolicam sic refert: Iubemus vt à tribus Episcopis, Episcopus ordinetur, & vt minimùm à duobus: ita vt ab vno constitui non possit: Testimonium enim duorum vel trium firmiùs est & certum. Item iubemus, vt Presbyter & Diaconus, & reliqui Clerici, ab vno Episcopo ordinentur: & vt neq; Presbyter, neq; Diaconus, reliquos Clericos ex laicis ordinent. Sed tantummodo, Presbyter quidem doceat, offerat, baptizet, benedicat populo: Diaconus verò ministret Episcopo, & Presbyteris, id est, agat Diaconum: reliqua verò non faciat. [e] Idem habetur in formula benedictionis Episcopi Apostolica, ab eodem Clemente descripta.

c Episcopus ab aliis tribus, reliqui inferiores ab vno Episcopo ordinantur. Canon Apostolorum primus. Clemens Const: Apost: lib. 8. Capit. 33.
d Clemēs Const. lib. 3. cap. 20.
e Clemēs Const. lib. 8. cap. 2.

Cap. XV.

[f] Eiusmodi missionis seu ordinationis praxim describit idē Clemens, quando per varias partes orbis terrarum recenset Patriarchas, Metropolitanos, Episcopos, & Presbyteros, ab Apostolis singulis locis ordinatos & præfectos, quorum postmodum successio ad posteros quoq; indesinente serie peruenisset. [g] Reliquorum ordinum seu officiorum seriem, quòd crescente postmodum religione Christiana vberior factus fuerit progressus, causam reddunt Epiphanius & Ambrosius. Ille enim confutans Aerium, quòd Episcopatum cum Presbyteratu confunderet, ex verbis Apostoli non satis intellectis, sic scribit. Et non nouit ille (Aerius) qui consequentiæ veritatis ignarus est, & historias profundissimas non legit, quòd cùm recens esset prædicatio, sanctus Apostolus pro re nata, velut habebat, scripsit. Vbi enim

f Apostoli quos in locum suum ordinauerant. Clemens Const: lib. 7. Cap. 46.
g Ordinationis tempore Apostolorum & successiuè, ratio. Epiph: hæresi 75. Philip: 1. vers. 1. 1 Timot. 4. ve. 14.

nim Episcopi erant iam constituti, scripsit Episcopis & Diaconis.
Non enim omnia statim potuerunt Apostoli constituere: Presbyte-
ris enim opus erat & Diaconis: per hos enim duos Ecclesiastica cō-
pleri possunt. Vbi verò non inuentus est quis dignus Episcopatu,
permansit locus sine Episcopo. Vbi autem opus fuit, & erant digni
Episcopatu, constituti sunt Episcopi. Quum autem multitudo non
esset, non inuenti sunt inter ipsos, qui Presbyteri constituerentur, &
contenti fuerunt solo Episcopo in loco constituto. Verùm sine Dia-
cono impossibile est esse Episcopū. Et curam adhibuit sanctus Apo-
stolus, vt Diaconi essent Episcopo propter ministerium. Sic Ecclesia
accepit complementa dispensationis, sic illo tempore erant loci.
[a] Nam singulæ res non ab initio omnia habuerunt, sed progressu
temporis, ea quæ ad necessariorum perfectionem requiruntur, para-
bantur. In eandem sententiam [b] Ambrosius: Posteaquam, inquit,
omnibus locis Ecclesiæ sunt constitutæ, & officia ordinata: aliter
composita res est, quâm cœperat. Primùm enim omnes docebant,
& omnes baptizabant, quibuscunq; diebus vel temporibus fuisset
occasio. [c] Nec enim Philippus tempus quæsiuit aut diem, quo Eu-
nuchum baptizaret, neq; ieiunium interposuit. Neq; Paulus & Silas
tempus distulerunt, quo optionem carceris baptizarent cum omni-
bus eius. Neq; Petrus Diaconos habuit, aut diem quæsiuit, quando
Cornelium cum omni domo eius baptizauit, nec ipse, sed iussit fra-
tribus, qui cum illo ierant ad Corneliū ab Ioppe: adhuc enim præ-
ter septem Diaconos nullus fuerat ordinatus. vt ergo cresceret plebs
& multiplicaretur, omnibus inter initia concessum est, & euangeli-
zare, & baptizare, & scripturas in Ecclesia explanare. Vbi autem om-
nia loca circumplexa, conuenticula constituta sunt, & rectores, &
cætera officia in Ecclesiis sunt ordinata, vt nullus de Clero auderet,
qui ordinatus non esset, præsumere officium, quod sciret non sibi
creditum vel concessum: & cœpit alio ordine & prouidentia guber-
nari Ecclesia: quia si omnes eadem possent, irrationabile esset, &
vulgaris res, & vilissima videretur. Hinc ergo est, vnde nunc, neq;
Diaconi in populo prædicant, neq; Clerici vel laici baptizant, neq;
quocunq; die credentes tinguntur, nisi ægri. Ideò non per omnia cō-
ueniunt scripta Apostoli, ordinationi quæ nunc in Ecclesia est, quia
hæc inter ipsa primordia sunt scripta. Hactenus ille.

a In Ecclesia qualis mutatio quando admissa.
b Ambrosius in Caput 4. Epistolæ ad Ephesios.
c Actor. 8. v. 36. & Cap. 16. ver: 33. Cap: 10. ver. 47.

Cap. XVI.

[d] Cæterùm quamùis institutum nostrum sit, de sacerdotio tan-
tùm pertractare, cuius apex sit Episcopatus: tamen data hac occasi-
one, propter rudiores, visum est quoq; reliquos Ecclesiasticos ordines
breuiter perstringere, Quorum pleniorem cognitionem, qui deside-
rauerit

d De numero ordinum Ecclesiasticorum. Isidorus de offi. Eccles. lib. 2. Capit. 7.

Rabanus lib: 1. Cap: 3.

a Episcopatus, & prima tõsura, an sint Ordines distincti.

rauerit, legat Isidorum, Rabanum, & posteriores Theologos, qui ista ex professo pertractârunt. a Primò ergo sciendum est, Theologos septem tantùm Ordines Ecclesiasticos constituere, quòd Episcopatus illis non videatur esse ordo distinctus, sed ordinibus supereminens, & ordines potiùs cõplens & conferens: sic vt prima tonsura in altero extremo, dispositio quædam seu apparatus sit ad ipsos ordines. Istum autem numerum septenarium referunt ad mysterium perfectionis scripturæ vsitatum, & ad septiformem gratiam Spiritus sancti, cuius officia tales ministri exequuntur. Canonistæ autẽ addunt & Episcopatum, & primam tonsuram: quòd Episcopatus non solùm ordo, sed summus gradus ordinis sit, vtpotè quem Dominus ipse instituisset: & Apostoli fortasse propterea à tribus Episcopis eũ perfici constituissent. Prima etiam tonsura quamuis propriè ordo nõ sit, sed est initiũ quoddam ordinis, sine quo ad ordines processus non fit: quemadmodum vnitas non est numerus, sed numeri initium, tamen progressus numeralis consistere non possit: Nec ipse numerus suo quoq; vacat mysterio, relatus ad cælestem hierarchiam nouẽ choris Angelorum distinctam, cui Ordines Ecclesiastici ad iubilandum Deum, & humanæ salutis ministeria conformantur. De Episcopi officio satis (vt puto) suprà diximus. b Primæ tonsuræ quoq; ratio, ex his quæ modò subiecimus, colligi potest. Est enim veluti quædam ianua ordinum, & professio vitæ spiritualis, qua ius clericale & beneficij Ecclesiastici percipiendi acquiritur. c Origo autem illius trifariam considerari potest. Primò ex imitatione Nazaræorũ legis veteris: qui initio coma neglecta & producta, eam ante ipsam consecrationem detondebant & comburebant, capillorum superfluitatem, symbolum secularia relinquendi reputantes: d in quo nũc quoq; clerici veluti in sortem Domini deputati, magis autem Monachi seculo prorsus abrenuntiantes, Nazaræos imitantur. Secundam rationem aliqui ducunt ex imitatione Christi (qui carnali origine e Nazaræus quoq; esset) f coronam spineam gestantis: vt sic quoque familia ipsi mancipata, opprobrium ipsius in capitibus suis circumferret. g Quod primùm S. Petrus fecisse fertur, qui verticillato ambitu coronam capillarem primus efformasset, quæ postmodum in eam, quæ in summo vertice circularis hucusq; defertur, commutata fuit.

b Prima tonsura quomodo est ordo? eiusq; originis ratio.

c Nasaræos imitatur prima tonsura.

Num: 6. ver 5, 18.

d Tõsuræ clericalis ratio & origo.

e Matth. 2. v. 23.

f Ioan. 19. ver. 2.

g Beda Histor. Anglicæ lib. 5. cap. 25.

Concil. Toletanum 4. cap. 40.

Cap. XVII

Porrò reliqua septem officia magis propriè appellantur Ordines, eò quòd ad ministerium Ecclesiasticum, præsertim sacrificij, secundùm proprios gradus dirigebantur. g Quorum primum est Ostiarij, fortè desumptum ad imitationem & signationem typicam legis veteris. Vnico enim templo Salomonis leguntur assignata fu-

g Ostiarii officiũ vnde & quale?

1 Paral: 23 ver: 5.

2 Paral. 9. ver. 24

isse

isse multa millia ianitorum, qui aditus ad templum illud custodirent, Singulariter autem quatuor portis ipsius templi, à quatuor ven tis præfecti erant ducenti & duodecim, qui distinctis veluti stationibus, illas obseruarent. Quod eò magis cõuenit Christianorum Ecclesiis, quæ nõ vnã tãtùm gẽtem, sed omnes totius orbis nationes verè (vt a Saluator dicit) à quatuor ventis collectas continent: quod templo illi Iudaico cõuenire non poterat. b Ideò à temporibus ipsis Apostolorum, id officium in vsu fuisse Ecclesiis, constat ex S. Clemente Romano, & aliis scriptoribus antiquissimis. Officium autem eorum erat, præesse clausuræ & securitati Ecclesiarum, ad easq; non nisi idoneos admittere, alienos autem expellere. Propterea traditis in manus clauibus Ecclesiæ, tali forma c olim ordinabantur: Accipe: Sic age, vt rationem redditurus, pro his rebus, quæ his clauibus recluduntur. d Secundus ordo est Lectoris, qui etiam mutuatus fuisse creditur à consuetudine synagogarum, vbi per Sabbatha & alias soleñitates, fiebant lectiones ex Moyse, Prophetis, alijsq; libris sacris. Quando igitur ex synagoga exoriebatur Ecclesia, mos quoq; eiusmodi lectionis ad Christianos transiuit. e Nam Apostoli, & ipse Dominus, ex occasione eiusmodi lectionis scripturarum in synagogis, doctrinam Euangelicam inchoasse memorantur. Et sic ab Apostolis perpetuò fuisse conseruatum officium istud, videre est in Canonibus & Constitutionibus Apostolorum, & apud alios authores vetustate simul & pietate commendatos. Eligebantur autem ad officium istud, qui ea quæ legenda essent, benè intelligerent, & ex loco æditiori Ecclesiæ, rectè populo pronunciarent. Cærimonia eius erat traditio per Episcopum libri Euangeliorum & lectionum, cum formula quæ in suprà citato Concilio Carthaginensi, & Pontificali Romano habetur. f Tertius ordo est Exorcistarum: qui habebant curam eorũ, qui corporaliter à Dæmonijs fuissent obsessi, eosq; virtute diuina per certas adiurationes expellebant. Quod officium videtur initium accepisse, g quando Dominus legitur discipulos misisse ad

a Marci 13. v. 27.

b Clem: Const. lib: 2. Cap. 6.

Cornelius Papa apud Eusebium lib: 6. hist: Eccles. Cap. 33.

Epiphanius in Epitome.

Isidorus loco supra citato.

c Concilium 4. Cartag: Can: 9.

d Lectoris ordo & officium.

e Lucæ 4. v. 16.

Canon Apostolorum 27, 43, 64.

Clemens Const: lib. 2. cap. 61. & lib. 8. cap 28.

Cornelius Papa loco citato.

Actor: 13. ver 15. & Cap. 17. ver. 1 & cap. 15. ver. 21

f Exorcistarum ordo & potestas contra dæmonia.

g Luc: 9. v: 1. & Cap. 10. v8. 17, 18. Marci 16. ver. 17

" prædicandum, eisq; simul potestatem, vtiq; diuinam, secundùm quã
" vidisset Sathanam tanquam fulgur è cælo cadentem, cõmunicasse,
" calcandi super serpentes, hoc est, dæmonia ejciendi. Ideóq; cum
" gaudio, & quasi stupore reuertentes dicebant: Domine, etiam in no-
" mine tuo dæmonia nobis obediunt. Porrò proxima illa potestatis contra dæmones communicatio, tanti vigoris erat, vt non solùm in discipulos, vt iam diximus, sed etiam ad alienos fideles deriuaretur.
" Dicebant enim discipuli Domino: h Vidimus quendam in nomine
" tuo dæmonia ejcientem, & prohibuimus eum, quia non sequitur

h Mar: 9. ver. 38

 nos:

a Primorũ Christianorum in dæmones potestas. Iustinus Apolo: 1 & Dialogo cum Tryphone. Tertull: de Corona militis, & cõtra Scapulam. Minutius in disput: Octauii. Clemens Const. lib. 2. Cap. 7.

b Energumeni Exorcistis nunc præualẽt, & cur.

nos: quod tamen Christus eos facere prohibuit. a Sed etiam prima illa ætate post Apostolos, tantùm vigebat fidei & pietatis Christianorum feruor, vt pasſim Christiani Energumenos curarent: quo argumento Iustinus martyr, Tertullianus, Minutius Felix, gentiles ad abijcienda idola, & sectandam religionem Christianam inuitant. Eaq; fortaſsè ratio erat, quòd Clemens Romanus scripserit, Exorcistas tunc in Ecclesia non fuisse ordinatos, quòd nimirum omnes fideles, eiusmodi potestate pollerent: Sed refrigescente eo fidei & charitatis feruore, ad Dominici facti imitationem, Episcopi per singularem ordinationem, huic officio aliquos, infra ordines sacros præficiunt; adhibentes materiam & formam verborum, iuxta antiquiſsimum Pontificalis Romani præscriptum. b Nostro corruptiſsimo seculo, sicut charitas, sic etiam tam insignis contra dæmones potestas, maximè elanguit. Nam & Energumenorum speciem pleriq; impunè ementiuntur, vt miranda sit diuina patientia, tales aliquando à dæmonibus, quibus ipsis calumnia infertur, non dilaniari: Deinde in veris obſeſsis curandis, qui gradum Exorcistarum acceperunt, sicut alios Minores Ordines, raró, vel pro forma tantùm (vt vulgo dicitur) exercent: & sic eiusmodi contra dæmones, non tàm certamen quàm imperium, attingere non audent, sed ad sacerdotes remittũt: quasi verò potestas ista sacrificio & sacratiſsimæ Eucharistiæ, quæ plerunq; ad eam curationem nescio quàm rectè adhibetur, & non potiùs dono & profeſsioni, quam Exorcistæ acceperunt, fuerit annexa. Sed & centesimus ex Presbyteris interdum reperitur, qui opus tale aggredi audeat, vitã fortaſsè propriã, non potestatem quã gerũt diuinam, in hoc considerantes. Vnde neq; mirum est, dæmonia adeò fieri rebellia, vt vix sæuiſsimis etiam exorcismis (præsertim quando communiter curiosa vel superstitiosa admiscentur) cedant, & obſeſsos verè relinquant.

c Acolutorum ordo & officiũ.

c Quartus ordo est Acolytorum: qui Græca deriuatione à sequendo vel aſsistendo, tanquam aſſeclæ dicti sunt. Eorum enim officium est, sequi & ministrare, Presbyteris quidem in præparando & porrigendo vinum, aquam, & alia vasa non sacra ad sacrificium: Diaconis autem ad deferenda candelabra, cæreos, libros & similia ad locum lectionis Euangelicæ. Propterea forma illorum ordinationis in Pontificali ea antiquitus tradita est, quæ & verbis & cærimonijs, tale ipsorum officium exprimere censeatur.

d Ordinũ sacrorum, seu Maiorũ à Minoribus non sacris differentia.

Cap. xviii.

d Isti de quibus hactenus tractauimus, dicti sunt Ordines Minores: reliqui tres (& quartus insuper Episcopatus) dicuntur Ordines Maiores, & quidem sacri. Distinctionis istius ratio est, quia licèt omnes isti ordines re vera sint sacri, quia sacris ministerijs in Ecclesia Dei addicun-

a Cœlibatus maiorum ordinum.

b Leuit. 20. v. 26. Isaiæ 52. vers. 11.

addicuntur: tamen posteriores isti dicuntur sacri per Antonomasiã
duplici ratione: primò, quòd eorum officia diriguntur ad corpus
Christi, tàm verum circa sacrificium, quàm circa corpus mysticum,
quoad curam animarum pastoralem: quorum ministri vicem Chri
sti gerere dignoscuntur, vt suprà diximus. a Altera ratio est, quòd
taliter ordinati, profiteantur sanctitatem singularem illam, de qua à
„ Domino dictum est: b Sancti eritis, quia ego sanctus sum. Et rur-
„ sus apud Isaiam: Mundamini qui fertis vasa Domini. Tales enim
Deo eiusq; cultui sic mancipantur, vt quod in prioribus ordinibus
non prohibetur, (modò discretè nec temerè fiat) istis ad statum secu-
larem redire nequaquam liceat: Quinetiam sicut Monachi voto ex-
presso & solenni, sic isti voto quodam tacito per Ecclesiam annexo,
ad perpetuam carnis continentiam se adstringant: adeò vt vinculũ
quamuis matrimoniale, post susceptum aliquem ex maioribus ordi-
nem, eos obligare non valeat. Proptereaq; in ritu ordinationis illo-
rum, supra porrectionem aliquarum rerum officium exprimentem,
adhibetur quoq; indumenti sacerdotalis pars, præsertim Albæ eiusq;
cincturæ, secundùm partes, donec Presbyteris integer apparatus im-
ponatur.

c Subdiaconi ordo & officia.

d Clemens locis supra citatis. Et constit. lib. 8. Cap. 34. Cypr: lib. 2. Episto. 10. Et lib. 3. Epi. 10. & sæpius. Concilium Laodicenum, cap. 21 22 43. Concilium Romanum sub Syluestro, cap. 5.

c Istorum ergo Ordinum Maiorum primus est Hypodia-
coni, quod Latinè Subdiaconum sonat. d Sanctus Clemens, & alij
Græci antiqui vocant ὑπηρέτας, quasi subministros, vel vt vulgo
vocamus substitutos. Vnde non mirum est, eorum apud S. Paulum
inter Diaconos non fieri mentionem, sub quibus propter officij con-
sortium includebantur. Tamen distinctum fuisse ordinem, & ab A-
postolis duxisse originem, constat ex eodem Clemente, Cypriano, &
antiquiſsimis Concilijs in plerisq; locis, quorum aliqua marginibus
adnotamus. Officium autem eorum est duplex: primò subministra-
re panem & vinum, aliaq; sacrificio necessaria Diacono, quæ ipse vi-
ciſsim Presbytero offerenti porrigat: deinde circa solenne sacrificiũ
Missæ, legere Epistolam. Quamuis autem hoc officium proprium
esset Lectoris: sed elanguente vsu eiusdem officij, & propter lectio-
nis maiorem authoritatem in habitu sacro, lectio eiusmodi iam pas-
sim ad Subdiaconos deuenit. Ordinationis eorum formam Pontifi-
cale Romanum ex antiquiſsimis excerptam, præscribit.

e Diaconi ordo, institutio, & officia.

f Actorũ 6. ver. 3.

e Sequitur
Diaconatus, ordo sacerdotio proximus: quem ab Apostolis proces-
sisse, frequens illorum mentio in scriptis Apostolorum arguit, vbi
plerunq; Presbyteris Diaconi iunguntur. Quinetiam eorum institu-
tio aperta est f Actorum cap. 6. vbi ad ministrandum mensis, hoc
est, Oeconomiam & temporalem prouisionem illius communita-
tis fidelium, leguntur ab Apostolis creati fuisse optimi ex tota mul-
titudine

titudine viri septem, qui tamen non solùm temporalia, sed spiritualia quoq;, dum vacaret, tractandi potestatem accepissent. Quod statim apparuit in B. Stephano: & de alijs idem colligere licet, quando

a Actor. 6. ver. 7

a S. Lucas testatur, statim post ordinationem illorum Diaconorum, quòd verbum Dei crescebat, & multiplicabatur numerus fidelium: quasi causam referens, quòd accreuisset numerus ministrorum, qui propter necessitates temporales inter homines conuersati, maiores prædicandi verbi Dei occasiones habuissent.

b Diaconorum olim sicut paucitas, sic excedens autoritas.

b Cùm itaq; ad prædicationem verbi, dispensatio quoq; bonorum Ecclesiæ communium in potestate illorū fuisset, (vt ex historia quoq; S. Laurentij constat) & Presbyteri cæteriq; ex eorum dispensatione viuerent, factum est successu temporis, vt officium istud ad magnam arrogantiam extolleretur, & Presbyteris seu Episcopis in honore sese coæquaret.

c Sacerdotum multitudo honorem suū minuit. Hieron. in Epist. ad Euagrium.

c Causam etiam aliam assignat B. Hieronymus, quòd cùm Diaconi septem plerunq; ad imitationem Ecclesiæ Hierosolymitanæ ordinarentur: Presbyteri autem plures institui volebant: factum est vt ordo Diaconorum paucitate & raritate esset honoratus, Presbyteratus verò multitudine & quasi communitate, vilesceret: quod & modò sic fieri non solùm videmus, sed etiam deploramus. Ista igitur Diaconorum prærogatiua in tantum excreuerat, vt non solùm prędicarent, baptizarent, absoluerent, & reliqua sacramenta administrarent, sed in quibusdam locis, non modò sanguinem Christi per medium calicis, verumetiam corpus ipsum Christi, per proprium attactum, laicis distribuerent, & omnia ferè Presbyterorum, excepta sola consecratione, pręsumerent.

d Concilium Nicænum, cap. 14. Concilium Laodicenum, cap. 20 Concilium Agaten. cap, 65. Concil. 4. Tolet. Cap. 39. Hieron. Epist. ad Euagrium, & in Esech. cap. 44.

d Qua de re plures quærelas & reprehensiones in sacris Concilijs & antiquis Doctoribus legimus. Communiter autem officium illorum & modò in vsu mansit quadruplex. Primum, Presbytero sacrificanti, panem & vinum, aut calicē ad consecrationem porrigere, & in ipsa oblatione ministrare: Secūdum, Eucharistiam quoq; occupato sacerdote fidelibus dispensare, vel deferre, sic tamen vt non ipsam, sed eius tantùm receptacula cōtingāt: Tertiò, Euangelium circa Missas solenniores legere: & in defectu Episcopi aut Presbyteri, vel ex illorū admissione, etiam prædicando explicare. Quartò ad eos pertinebat, docere & informare Catechumenos, & alios infideles ad baptismum præparare. Forma ordinationis eorum magis quàm aliorū solennis, ex Pontificali Romano peti potest.

e Episcopatus & Presbyteratus.

e Succedit his ordinibus Presbyteratus, & excedit atq; supereminet Episcopatus, de quibus tanquam dignioribus iam ante pertractauimus.

f Characteri in Ordinibus quid, eiusq; effectus.

f Non omittendum quoq; est: Ordines istos præsertim Maiores, quando semel legitimè collati sunt, imprimere homini

homini illi characterem, hoc est, qualitatem quandam, & veluti notā diuinam, in anima, ad actus ordinum illorū exequendos impressam: quæ, vel potiùs ipsa mancipatio ad actus sacratissimos Deo facta, efficit, vt ordinatio illa semel facta iterari non possit, sed in quacunq; tandem siue temporali seu spirituali mutatione stabilis permaneat.

Cap. XIX.

a Cantores seu Psaltæ inter ordines Ecclesiasticos collocati. Isaiæ 43. vers. 21. Psalm: 83. ver. 5. 1 Cor. 10. ver. 31

a Cæterum omnibus quidem in vniuersum Christianis incumbit laudis diuinæ persoluendæ necessitas: vtpotè qui ruinas Angelorum perpetuæ laudi diuinæ addictorum, implere debeant, iuxta illud: Populum istum formaui mihi, laudem meam narrabit. Et Psalmista: Beati qui habitant in domo tua Domine, in seculum seculi laudabunt te. Vnde etiam illud Apostoli: Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Quia tamē homines tēporalibus occupationibus & necessitatibus addicti, huic officio quietè vacare non possunt: propterea spiritualium seu Clericorum status ad hoc opus sequestratus est, vt non solùm Dominicis & festis diebus, (quod b aliis passim conuenit) sed etiam reliquis diebus, quos B. Syluester Papa propterea ferias denominauit, eiusmodi laudi diuinæ, pro seipsis & reliquo populo fideli, incumbant, iuxta illud quod Dn̄us dicit per Prophetam: c Super muros tuos Ierusalē (quod de cælesti simul & terrestri accipi potest) constitui custodes: tota die, & tota nocte, in perpetuum non tacebunt. Proinde ad imitationem Dauidis Prophetæ, qui manè, vesperi, & nocte, & septies in die dicebat, vel potiùs dicere edocebat laudem Domino, in noua lege eiusmodi orationem seu laudem commendatam nobis reliquit ipse Dominus, quando docuit d oportere sine intermissione orare, & nō deficere: & quando ipse sæpiùs pernoctabat, & interdiu secedebat ad orationem. Quam etiam iubilatione cantus vocali consecrauit, post vltimam cœnam, in loco illo quem cultui suo & perceptioni Spiritus sancti deputasset. Eius vsum confirmauerūt Apostoli, quando dicuntur perseuerasse in oratione, eamq; in statas horas distinxisse. Et S. Paulus solet ista tria coniungere, & Christianis commendare, psalmos, hymnos, & cantica spiritualia: sic & S. Iacobus, sicut res aduersas oratione submissa, sic prosperas cantu, excipere fideles docet. Potissimam igitur eius laudis partem persoluunt Episcopi vel Presbyteri, & ad eorum ministerium deputari Diaconi & Subdiaconi, in oblatione sacrificij incruenti, vbi summæ laudes, & gratiarum actiones Deo persoluuntur, e vt suo loco diximus. Propriè tamen in isto sacrificio, secundùm Prophetam, Deo reddimus vitulos labiorū nostrorum: ipsa enim est verè hostia laudis, & sacrificium laudis, in quo Deus singulariter honoratus, ostensurus est nobis iter salutaris sui.

b Feriæ dies profesti cur nuncupati. In vita B. Syluestri Papæ.

c Isaiæ 62. ver. 6 Psalm. 54. ver. 18 Psal. 118. ver. 164.

d Lucæ 18. ver. 1. Cap. 6. vers. 12. & cap. 5. ver. 16 Matth. 26. ver. 30. Actor: 3. vers. 1. Et cap. 2. ver. 14. Ephes: 5. ver. 19. Colos: 3. ver. 16 1 Cor. 14 ver. 26. Iacobi 5. ver. 13.

e Supra Serm. 11 Osee 14. vers. 3. Psalm: 115. v. 17. Psalm: 49. ver. 23

a Officii seu laudis diuinæ institutio, & obligatio. Hieronymus in Regula Monachorū ca: de Cōtemplatione, &c.

a Quoniam verò (vt in tractatu Missæ diximus) sacrificium illud in consecratione, oblatione, & cōmunione propriè exigitur: propterea prolixiorem Dei laudem Ecclesia in proprias diei currentis horas distinxit: quas laudes Ecclesia in vigilias sacras, in tres nocturnos cum laudibus, & in reliqua sex diei interualla hucusq; retinet distinctas. Quamuìs autem liberum sit laicis quoq; ad eundem modum orare, quod pleriq; virorum faciunt: tamen eiusmodi oratio veluti pensum diurnum propriè exigitur, ab ijs qui Ordines Maiores susceperunt, vt potè qui sacrificia offerentes, vel ad illa ministrantes, cultui diuino & laudi, proximè essent addicti. Deinde idem pensum requiritur ab ijs, qui beneficium aliquod Ecclesiasticum obtinent: vt secundùm Prophetam b peccata populorum comedentes, hoc est, illorū laboribus seu sumptibus viuentes, eorum quoq; in frequentiori laude diuina vices sustineāt.

b Oseæ 4. vers. 8.

c Cantores in Ecclesia qui & quales esse debēt

Cap. XX.

c Porrò eiusmodi laudis diuinæ pars, præsertim in solennitatibus, cantu quoq; & iubilatione perficitur. Quam ad rem antiquitùs, non quidem ordinibus, sed officiis Ecclesiasticis adnumerabantur Cantores, fortasè etiam aliquando non clerici, sed arte musica & voce instructi: qui certis temporibus, Psalmodias, Antiphonas, hymnos, & similia cantica in Ecclesia absoluerent, adiuuante interdum toto populo in canticis magis vsitatis: quem ritum etiam B. Paulus d à Corinthijs obseruatum fuisse insinuat. In quibus tamen non minùs quâm in Clericis pietas, morum probitas, & in moderando cantu sobrietas, requirebatur.

d 1 Cor. 14. v. 26.

e Cantus Ecclesiastici vsus, & interdum abusus. August: Confessionū lib. 9. Ca: 6 & 7. Et lib. 10. Cap. 33. Hieron: Epist: ad Rusticum: & in caput 5. Epist: ad Ephes: Gregorius lib. 4. Epist. 88. Concilium Romanum sub Gregorio, Cap. 1.

e Quemadmodum enim teste B. Augustino, cantus deuotus, Christianos persecutionibus, ieiunijs, & vigiliis circa continuam orationem exhaustos, non sonus sed sensus suauitate, refocillabat, & suijpsius exemplo cultum religionis Christianæ ex Gentilismo, Iudaismo, & hæresibus alliciebat seu reuocabat: sic eius postmodū mollities, & secularis æmulatio, multò plures in deuotione pessundabat. Qua de re antiqui Ecclesiæ Doctores sæpiùs conqueruntur. Inter quos idem ipse Augustinus, qui syncerio cantu tantopere ædificatus fuisset, in tantum postmodum lasciuiente vel molli offensus est, vt parū abfuerit, quin totum ex suis Ecclesiis exterminasset: Et publicè confiteri non erubuerit, toties peccati pœnalis se reum agnoscere, quoties magis melodia cantus, quàm verbis ipsis quæ canerentur, delectaretur. Sic & Gregorius: Dum, inquit, blanda vox quæritur, congrua vita negligitur. Propterea talis canendi modus maximè tandem probatus est, qui magis ad lectionem quàm cantum accedens, singula sacra verba, gracili & cōposito sono, animis instillaret. Quid ad hæc dicemus nos veri illius Christianismi quisquiliæ, qui communiter ad Ecclesias eas modulationes

dulationes

dulationes admittimus, quæ sæculari prorsus spiritu, modo, intentione, voce, & sensu, theatra vel tabernas potiùs, quàm sacras Basilicas, redolent? Non est enim dubium, sicut ipsos Psalmos, sic eorum & aliorum canticorum certas modulationes, diuina inspiratione in Ecclesias fuisse introductas, & tot sæculis approbatas: proptereaq; eas non minùs sicut alias cærimonias approbatas, ad libitum quoties & quomodo libet immutare, & plusquam Disdiapason, molli, si nō lasciuo modo intorquere, non adeò liberum censeri debet. Quod vel ipsa experientia arguit, quando videmus nouos & exquisitos cantus in Ecclesiis spectacula tantùm & distractionem, veteres autem attentionem, & apud peritiores concentum quoq; pium, excitare. Et mirū est: cùm in dies nouæ atq; aliæ ex Musico exquisito artificio cantilenarum strophæ excogitentur: vix tamen aliquam inueniri, quæ suauitatē melodiæ Ecclesiasticæ saltem imitetur. Accedit & illud, quòd populus Christianus cantiones sibi cōmuniores & lingua vernacula compositas, quamuìs barbariusculæ videantur, præ illarum modulationibus eligat. Nec tamen quisquam nouorum istorum magistrorum extiterit, qui ista alioqui pia & populo Christiano ferè cum lacte imbuta, ad commodiorem tum stylum, tum sonum redigat. Postremò quomodo excusabimus vel expiabimus communem illum morem, vel potiùs errorem, quando ad sacerdotia primarum Ecclesiarum, non solùm admittuntur, sed etiam studiosè conquiruntur, qui cantu, vel potiùs vocis boatu excellant, mores tamē non minùs quàm voces agrestes, scenicis exercitationibus contractas, difficiliùs quàm Æthyops pellem immutent? Quasi verò eædem quæ in cantoribus, facultates tremendis sacrificijs, & ipsius Christi ministeriis sufficiant; & non potiùs (vt experimur) tali confusione, sacerdotes in cantorum dissolutionem, quàm cantores in Presbyterorum qualem requirimus disciplinam, traducantur. Horrenda S. Augustini citatur sententia: a Plus Deo placet latratus canum, mugitus boum, grunnitus porcorum, quàm cantus luxuriantium Clericorum. Hæc ibi. Non igitur reprehendimus vocis gratiam, & artis peritiam: cùm Dauid vtrunq; requirat dicens:
» Benè psallite illi in vociferati-
» one: sed vt vocem mens præcedat atq; dirigat exoptamus, iuxta il-
» lam Apostoli regulam: Orabo *spiritu* (hoc est voce) orabo & men-
» te. Psallam spiritu, psallam & mente.

a Augustinus apud Dionysium Carthusianū, de arcta via, Salutis art. 30.

Psalm. 32. ver. 3. Psalm 26. vers. 6. 1 Cor. 14: ver. 15

Cap. XXI.

b Cæterùm, quemadmodum ipse Dominus noster ante electionem Apostolorum, dicitur solus in monte præmisisse integræ noctis orationem: eiusq; vicissim Apostoli ante ordinationem Pauli & Barnabæ principum conuersionis gentium, ad orationem etiam ieiunia

b Ordines sacri cum examine & ieiunio conferūtur. Lucæ 6. ve. 12. &

adhibuisse

Cap. 2. vers. 10. Actor. 13. vers. 2.

adhibuisse perhibentur: simili imitatione Ecclesia, singulari apparatu & cautela, ordinationes eiusmodi, per singulas quatuor anni partes iustituit, quibus etiam temporibus fortasse propterea ieiunia publica indixit. Quas conditiones ordinandorum pertractare, non est præsentis instituti neq; temporis. a Satis fuerit admonere, vt qui ordinat, & qui ordinantur, meminerint illius sententia Apostoli: " Manus citò nemini imposueris, & noli communicare peccatis alienis. " Nam & ipse Dominus cordium quamuis scrutator & cognitor, qui Nathanaelem priusquam ad se veniret præuidisset, non necessitate, sed instructione & exemplo, præcipuos Apostolos, in propriæ habitationis loco, deinde etiam in sociali quasi conuersatione explorabat, antequam eos ad discipulatum suum vocasset. Deinde in schola sua prius veluti examinatos, subsequenter publicè b Apostolos renuntiauit. Ad eundem modum & Apostoli ipsi, in locum præuaricatoris Iudæ, non elegerunt Stephanum, Barnabam, & similes in congregatione illa magis nominatos: sed ex iis qui ab initio prædicationis Dominicæ, ad illud vsq; tempus in conuersatione Apostolica, fideles & constantes perseuerassent. Sic S. Petrus Marcum & Clementem, Paulus Timotheum, Lucam, Dionysium: Ioannes Polycarpum & Ioannem: & alij Apostoli alios, in Cathedris suis, vel substituerunt, vel post se reliquerunt. c Apostolus etiam Neophitum or" dinari prohibet, ne in superbiam elatus, in iudicium incidat diabo" li. d Sed quid sit manus citò imponere, & alienis peccatis communicare, audiamus S. Leonem talia in hunc modum explicantem. Quid est manus citò imponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ, sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinantem, qualis ille est, qui non meruit ordinari? Sicut enim boni operis sibi comparat fructū, qui rectum tenet in eligendo sacerdote iudicium: ita graui semetipsum afficit damno, qui ad suæ dignitatis collegium sublimat indignum. Non enim in cuiusq; persona prætermittendum est, quod institutis generalibus continetur, nec putandus est honor ille legitimus, qui fuerit de præuaricatione collatus. e Et paulò post: Meritò beatorum patrum venerabiles sanctiones, cùm de sacerdotum electione loquerentur, eos demum idonæos sacris administrationibus cēsuêre, quorum omnis ætas, à puerilibus exordiis, vsq; ad prouectiores annos, per disciplinæ Ecclesiasticæ stipēdia cucurrisset, vt vnicuiq; testimonium prior vita præberet: nec posset de eius prouectione dubitari, cui pro laboribus multis, pro moribus castis, pro actibus strenuis

a Examen scientiæ & vitæ ordinandorum.

1 Timot. 3. ver. 6

Ioan. 1. ver. 48, 38

b Lucæ 6. ver. 13

Actor. 1. ver. 21

c 1 Tim. 3. ver. 6

d Manus citò imponere, & communicare peccatis alienis quid?

1 Timot. 3. ver. 6

Leo 1, Epist. 87 ad Episcopos Aphric. Cap. 1.

e Ordinādorum qualitates.

nuis, celsioris loci præmium deberetur. a Si enim ad honores mundi sine suffragio temporis, sine merito laboris, indignum est peruenire, & notari ambitus solent, quos probitatis documenta non adiuuant: quàm diligens & quàm prudens habenda est dispensatio diuinorum munerum, & cælestium dignitatum, ne in aliquo Apostolica & Canonica decreta violētur? Hæc ille.

Cap. XXII.

Quanta autē fuerit primis illis Christianis diligentia in examine ordinandorum, multa possent adduci tum testimonia, tum exempla. Sufficiat autem quòd Apostolus in Episcopo bonū opus, hoc est, omnium virtutum, quas ibi magna ex parte enumerat, veluti complementum requirat: adeò vt non solùm à domesticis fidei, sed etiam ab ijs qui foris sunt, hoc est, secularibus, vel etiam infidelibus, inculpatæ probitatis testimonium habeat. b Ad quod certè diuturna disciplinæ exercitatio, & matura ætas requiritur, quam etiam vel nomen ipsum Presbyteri arguit. B. Chrysostomus affert rationē à veteris legis non solùm hominibus, sed etiā animalibus, quæ iusta ætate sacrificiis vel vsibus sacris deputabantur. Deinde exemplo Ezechielis, qui anno ætatis perfectæ refert sibi prophetiam fuisse reuelatam. Sed & ipse Dominus c quamuis in pueritia plenus fuisse sapientia & gratia, & palmam inter Doctores in disputando habuisse describatur: tamen à tempore perfectæ ætatis, voluit officium salutis nostræ inchoare. d Præclarè Gregorius Nazianzenus, reddens rationem cur susceptum Episcopatum refugisset, inter alia inquit: Purgari priùs (sacerdotem) quàm purgare: sapientia instrui, atq; ita demum alios sapientia instruere: lux fieri, & alios illuminare: ad Deum appropinquare, & ita alios adducere: sanctificari, & postea sanctificare: cum manibus ducere, cum prudentia consilium dare. Quando igitur hæc erunt, inquiūt homines ad omnia celeres, nec satis cauti, facilè ædificantes, & diruentes? Quando lucerna supra candelabrum: vbi talentum? sic enim gratiam vocant. Hæc ij, qui amicitia, quàm religione, feruidiores sunt. Quando hæc erunt: & quæ mea est ratio, quæritis viri fortissimi? e Ne extrema quidem senectus huic rei præstituta, longum tempus censeri debet. Senectus enim cum prudentia coniuncta, imperitæ iuuentuti præstat, & considerata tarditas, inconsultæ temeritati: & breue regnum, diuturnæ tyrannidi: quemadmodum & exigua portio maximi pretij, multis vilibus & periculosis opibus; & parū auri, multis plumbi libris: & parua lux densissimis tenebris. Alioqui verendum est, ne lubrica hæc celeritas, præcepsq; studium, seminibus illis non absimile sit, f quæ in petras ceciderunt, & quia terræ altitudinē non habebant, statim exorta ne primum quidem solis calorē ferre

a Ambitio in secularibus turpis, in spiritualibus non ferenda.

b Maturam ætatem cura animarum requirit.

Chrysost: homel. 14, in Euangelium Marci.

Esech: 1, vers. 1.

c Lucæ 2. ver. 52 & cap. 3. vers. 23.

d Contra præcipites quorūdam ordinationes.

Nasians: oratione 1. Apologetica.

e Senectus Presbyterii quomodo computanda.

f Matth. 13. v: 7

ferre potuerunt: aut etiam fundamento in arena iacto, quod pluuiæ
ac ventis ne tantillũ quidem restitit: Væ tibi ciuitas (ait [a] Salomon) "
cui rex iunior est. Et alibi patri suo defuncto, pro sanctitate reputat, "
quòd sacerdotium suscepisset, non ea facilitate & confusione, quæ
tunc vigeret. Quod profectò nostris temporibus magis cõuenit. Vi-
dimus enim in diuersis locis non semel, & ingemuimus, tortas Pa-
schales, & Clericos pari facilitate, si nõ leuitate, initiatos. Quibus il-
lud Ambrosianũ perbellè congruit: [b] Caro suscepit dignitatem,
& anima perdidit honestatem. Atq; iudicio Gregorij Nazianzeni tã
subita mutatio, eam admirationem incutiat: Num etiam Saul inter
Prophetas? Causa potissima eius mali est, quòd ad ordines largè ad- "
missi, largiùs promoti, largissimè dispensentur, quominus in mino-
ribus iusto tempore sese exercitent, donec maioribus idonei reddan-
tur. [c] Nec satis habuit hostis generis humani, gradus sacros ambiti-
oni, amicitijs, fauoribus, & licitationibus humanis sic exponere: nisi
etiam prima eorum exercitia (primitias vocãt) [d] quæ Apostoli ipsi
orationibus & ieiuniis excipiebant, ipsi quidem in templis tumultu-
aria deuotione, in domibus autem cauponaria dissolutione, contami-
naret. Et hoc est illud, quod Dominus exemplo [e] sacrificio Caimi
abominetur, quòd illud rectè quidẽ secundùm ordinationis autho-
ritatem offeretur, non rectè tamen secundùm secularis fastus vel lu-
xus admixtionem diuidatur. [f] Scimus, & ipsi aliquando authores
fuimus, talia Synodo nostra prouinciali fuisse interdicta. Sed quid
prouinciales adducimus, quando nec generales, nec generalissimæ
& Oecumenicæ Synodi, in talibus suam quoq; authoritatem & ob-
seruationem obtinent? [g] Multa quidem in talibus supra anti-
qua Ecclesiæ iura indulsit sancta Tridentina Synodus: sperans ma-
terna lenitate discolem huius seculi Ecclesiæ sobolem, ad primæuã
disciplinam reuocari posse. Sed lenitas piæ matris leuitate excipitur:
vt non solùm onus alioqui non subleuasse, sed subleuatum prorsus
deposuisse videatur.

Hæc de Ordinibus Ecclesiasticis, & ipsa ordinatione ad præsens Cap.
dicta sufficiant. [h] In qua insuper requiritur, vt certa etiam, vera, & xxiii.
legitima comprobetur: quod antiquitate & succesione propria ne-
que interrupta dignoscitur. Quamuis enim (vt superiùs ex B. Cle-
mente, & Cypriano adnotauimus) lex Euangelica carnalem legis
veteris succesionem excludat, spiritualem tamen, quæ ipsa electio-
ne diuina per authoritatem Ecclesiæ dirigitur, ex omnibus gentium
nationibus in tantum admittit, vt absq; illa ministerium legitimum
non agnoscat. Quemadmodum enim synagogæ propria promisio
erat

[a] Eccles: 10. v: 16 Nasian: oratione 19. in funere Patris sui. Idem de Cornelio, Cyprianus lib. 4. Epist: 2

[b] Ambros: de dignitate Sacerdotali, Cap. 5.

1 Regũ 19. ver. 24

[c] Primarum Missarum sæculares dedicationes notantur.

[d] Act: 13. v: 2. & Cap 14. vers: 22

[e] Genes: 4. ver. 6

[f] Synodus Prouincialis.

[g] Indulgentia nimia, licentiæ mater.

[h] Successio sacerdotii nouæ legis non genere, sed legitima vocatione, quàm firma.

erat illa: [a] Prophetam de gente tua & fratribus tuis, sicut me, su-
„ scitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies: Sic Ecclesiæ nouæ
„ legis tanquam sponsæ filij Dei, propriè conuenit fœdus illud, quod
„ Dominus per Isaiam sic firmauit: [b] Hoc est fœdus meum cum eis
„ dicit Dominus: Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui
„ in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, dicit Do-
minus, vsq; in sempiternum. Hoc enim de synagoga illa gentis sin-
gularis, & temporanea, dici nõ potuit, vt Apostolus ad Hebræos fu-
sè ostendit. Sed aptissimè correspondet Ecclesiæ nouæ legis, cui De-
„ us nouissimè in filio suo locutus, eandem prorsus fecit promisionẽ,
„ quando dicebat in persona Apostolorum omnibus credentibus:
„ [c] Ego rogabo Patrem: & alium paracletum dabit vobis, vt maneat
„ vobiscum in æternum: spiritum veritatis quem mundus non po-
„ test accipere, quia non videt eum, neq; scit eum: vos autem cogno-
„ scitis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit, &c. [d] Ideo S.
„ Ioannes sic determinat: In hoc cognoscimus, quoniam in eo ma-
„ nemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis. Et nos
„ vidimus & testificamur, quoniam Pater misit filium suum saluato-
„ rem mundi. Et paulò antè: Qui nouit Deum audit nos: Qui non est
„ ex Deo, non audit nos: Et in hoc cognoscimus spiritum veritatis, &
„ spiritum erroris: Et alibi: [e] Si quis venit ad vos, & hanc doctrinã
„ non affert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis. Qui
„ enim dicit illi aue, communicat operibus eius malignis. Hæc ibi.
„ Eandem regulam in seipso præscribit S. Paulus, [f] Thessalonicensi-
bus sic scribens: Cùm accepissetis à nobis verbum auditus (nota hîc
traditionem) Dei, accepistis illud, non vt verbum hominum, sed, si-
cut verè est, verbum Dei. Et rursum Corinthijs: An (inquit) expe-
rimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus? Et alibi: Si
quis videtur in vobis propheta esse, cognoscat quæ scribo vobis,
quoniam Domini sunt mãdata. Ex quibus testimonijs apertissimè
constat, regulam fidei, esse verbi Dei, non literam cartæ & atramen-
to, exindeq; corruptioni hæreticorum alligatam, sed eiusdem verbi
scripti sensu, quem constans & perpetua Ecclesiæ doctrina conser-
„ uet & proponat familiæ suæ, secundùm mensuram fidei in tempore
„ opportuno. [g] Istius succesiuæ ordinationis rationẽ præclarè red-
Cap. dit S. Anacletus martyr, quartus in sede Romana post Petrum suc-
xxiiii. cessor, sic scribens: In nouo testamento post Christum Dominum à
Petro sacerdotalis cœpit ordo, quia ipsi primò Pontificatus in Ec-
clesia Christi datus est, dicente Domino ad eum: Tu es, inquit, Pe-
„ trus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ in-
„ feri

[a] Deut: 18. v: 15.

[b] Isaia 59. v: 21.

[c] Ioan. 14. v. 16.

[d] Pastorum legitimorum doctrina, est regula fidei 1 Ioan. 4. v. 13. 6.

[e] 2 Ioan. ver. 10

[f] 1 Thess. 2. v. 13 2 Cor. 13. vers. 3 1 Cor. 14. ver. 37

[g] Successionis Apostolicæ calculus.

Anacletus Epist: 2. ad Episcopos Italiæ, & Epist: 3

Matth: 16. ver. 18

feri non præualebunt aduersus eam : & tibi dabo claues regni cælorum. Hic ergo ligandi atq; soluendi potestatem primus accepit à Domino, primusq; ad fidem populum virtute suæ prædicationis adduxit. Cæteri verò Apostoli cum eodem pari consortio honorem & potestatem acceperunt, ipsumq; principem eorum esse voluerunt. [a] Qui etiam, iubente Domino, in toto orbe dispersi, Euãgelium prædicauerunt: Ipsis quoq; decedentibus, in locum eorum successerunt Episcopi, quorum ordinatio prætacto fieri debet ordine & modo: quos qui recipit & verba eorum, Deum recipit: qui autem eos spernit, eum à quo missi sunt, & cuius funguntur legatione, spernit, & ipse indubitanter spernetur à Domino. [b] Videntes autem ipsi Apostoli messem esse multam, & operarios paucos, rogauerunt Dominũ messis, vt mitteret operarios in messem suam. Inde electi sunt ab eis septuaginta duo discipuli, quorũ typum gerunt presbyteri, atq; in eorum locum sunt constituti in Ecclesia. Et ibidem postquam rationem reddidisset dispositionis per orbem Christianum Episcoporum, Metropolitanorum, Primatum, ab Apostolis inchoatæ, & ab antecessore suo B. Clemente & à seipso perfectæ, sic subinfert: Hæc ab antiquis, hæc ab Apostolis, hæc à sanctis Patribus accepimus, vobisq; (vt postulastis) rimanda, & futuris tenenda temporibus, mittimus, & reliquis fratribus prædicanda, ac cunctis fidelibus tradenda mandamus. Hactenus Anacletus. [c] Clemens quoq; eius immediatus in eadem sede antecessor, describit catalogum Episcoporum, quos tum B. Petrus, tum alij post se successores ordinassent & reliquissent. Propterea antiquissimi Ecclesiæ Doctores talem legitimæ ordinationis ab Apostolis successionem, pro certissima veræ Ecclesiæ & religionis nota statuebant. [d] Certè B. Cyprianus Episcopum sic definit: Episcopus, inquit, est, qui Apostolis vicaria ordinatione succedit. Et rursus: Ecclesia, inquit, in Episcopo est: & qui cum Episcopo non sunt, in Ecclesia non sunt: frustraq; sibi blandiuntur, quòd latenter apud quosdam communicare se credunt. Idem alibi de schismaticis & hæreticis scribit, quod siue diuina dispositione sese vltro apud temerarios conuenas seu sodales præfecerunt: se præpositos sine vlla ordinationis lege constituerunt: & nemine Episcopatum dante, Episcopi sibi nomen assumpserunt. Et Cypriano antiquior Irenæus sic habet: [e] Iis qui in Ecclesia sunt presbyteris obaudire oportet, & qui successionem habent ab Apostolis, & qui cum Episcopatus successione charisma veritatis acceperunt: Reliquos verò qui absistunt à principali successione, quocunq; loco colliguntur, suspectos habere, vel quasi hæreticos & malæ sententiæ, vel quasi scin-

a Matth. 28. v. 19 Marci 16. ver. 15 Lucæ 10. vers. 16

b Presbyteri successores discipulorum Christi.

c Apostoli primi quos sedibus suis post se præfecerunt, Clemens Const: Apost. lib. 7. capit. 46.

d Episcopatus quanti habendus in Ecclesia. Cypr. lib. 4. Epist. 9. & lib. 1. Epist. 5 Idem de vnitate Ecclesiæ.

e Irenæus cõtra hæreses lib. 4. Cap. 43.

Cap: XXV.

si scindẽtes & elatos. Hæc ille. [a] Huic assertioni applicari potest illa similitudo Christi: quòd ipse sit vitis, Apostoli veluti rami, reliqui ab illis missi, tanquam palmites, ex quibus spiritualis fructus in reliquos redundet. In radice igitur permanenti congruit vitis, non permanenti imminet (vt etiam loquitur Augustinus) ignis. Ad quod veluti alludens B. Augustinus, eiusmodi ordinationem successione Apostolica firmatam, vocat radicem Christianæ communionis, sic scribens: Videtis multos præcisos à radice Christianæ societatis, quę per sedes Apostolorum, & successiones Episcoporum, certa per orbem propagatione diffunditur, de sola figura originis sub Christiano nomine, quasi crescentia sarmata gloriari: quas hæreses & schismata nominamus. Idem censet [b] Optatus Mileuitanus, sic inquiens: Videndum quid in radice cum toto orbe manserit, qui foras exierit, qui cathedram sederit alteram, quę ante non fuerit: & qui altare cõtra altare erexerit. Sanctus quoq; Hieronymus hac ratione Luciferianos ab Ecclesia proscribit inquiens: Hilarius cùm Diaconus de Ecclesia recesserit, & iam mortuus sit, cum homine pariter interijt & Secta, quia post se nullum clericum potuit ordinare: Ecclesia autem non est, quæ non habet sacerdotem. Hæc ille. [c] Tertullianus verò antiquissimus, eiusmodi furum & latronũ, qui non missi ouile Christi dilaniandum inuadunt, graphicè sic perstringit. Apostoli primò per Iudęam contestata fide in Iesum Christum, & Ecclesiis institutis, dehinc in orbe profecti, eandem doctrinam eiusdem fidei Nationibus promulgauerunt, & proinde Ecclesias apud vnamquamq; ciuitatem condiderunt, à quibus traducem fidei & semina doctrinæ, cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur, vt Ecclesiæ fiant. Ac per hoc & ipsę Apostolicæ deputantur, vt soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur, necesse est. [d] Itaq; tot ac tantæ Ecclesiæ, vna est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primæ, & omnes Apostolicæ, dum omnes vnam probant vnitatem. Communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & contesseratio hospitalitatis, quæ iura non alia ratio regit, quàm eiusdem sacramenti vna traditio. Et postea: Cæterùm, si quæ (hæreses) audent interserere se ætati Apostolicæ, vt ideo videantur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt: possumus dicere: [e] Ædant ergo origines Ecclesiarum suarum: euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrẽtem, vt primus ille Episcopus, aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerint, habuerit auctorem: & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt

a Vnitas Ecclesiæ viti fructificanti comparata. Ioan. 15. vers. 1. August. Tractatu 81. in Ioannem. Idem Epist. 40.

b Optatus Mileuitanus lib. 1. cõtra Parmenianũ. Hieron. Dialogo contra Luciferianos.

c Hæretici sine legitima missione, graphicè depicti. Tertull. de præscriptione cõtra hæreticos, Cap. 20, 33, 41.

d Ecclesia Apostolica vnitatem per orbem terrarum diffundit.

e Successio qualis ab hæreticis requiritur.

deferunt: sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum, ab Ioan-
ne collocatum refert: sicut Romanorum, Clementem à Petro ordi-
natum edit: proinde vtiq; & cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in
Episcopatum constitutos, Apostolici seminis traduces habeant. Cõ-
[a Doctrina hæreticorum Apostolis contraria.]
fingant tale aliquid hæretici. a Quid enim illis post blasphemiam in
licitum est? Sed etsi confinxerint, nihil promouebunt. Ipsa enim do-
ctrina eorum cum Apostolica comparata, ex diuersitate & contra-
rietate sua pronuntiabit, neq; Apostoli alicuius auctoris esse, neq; A-
postolici: quia sicut Apostoli non diuersa inter se docuissent, ita &
Apostolici non contraria Apostolis ædidissent, nisi illi qui ab Aposto
[b Hæretici Ministri, eorumq; ordinationes quales?]
lis desciuerunt, & aliter prædicauerunt, &c. b Et rursus ibidem: Or-
dinationes eorum temerariæ, leues, inconstantes: nunc neophytos
conlocant, nunc seculo obstrictos, nunc apostatas nostros, vt gloria
eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam faciliùs profici-
[c Intolerabiliores moderni hæretici qui nullũ ordinem agnoscunt.]
tur, quàm in castris rebelliũ, vbi ipsum esse illic, promereri est. c Itaq;
alius hodie Episcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui cras Lector:
hodie Presbyter, qui cras Laicus. Nam & Laicis sacerdotalia mune-
ra iniungunt. His Tertulliani & aliorũ verbis, quoad nostri tem-
[d Hæresum modernarum ex Lutherismo progressus lubricus.]
poris hæreticos, non est quod addamus. d Leones namq; vel vrsos [Cap. XXVI]
ex vnguibus agnoueris, quando quæ modò dicta sunt omnia, quasi
digito ipsi in semetipsis demonstrent. Ex Luthero certè tanquam ex
equo Troiano, omnes nostri temporis in tot sectas dissectæ hæreses
[e Ierem. 3. ver. 9]
prodierunt, & quadam facilitate fornicationis (vt loquitur e Prophe-
ta) depromptæ sunt. Lutherus quidem sacerdotium hæresi polluit, [cc]
cucullam apostasia excussit, schismate ab Ecclesiæ corpore seipsum
præcidit. Quæ tamen quamuis integra habuisset, quando non erat
Episcopus, alios mittere & ordinare non potuit: quemadmodum su-
[f Hieroni contra Luciferianos. Athanas. hæresi 69. Cypr. lib. 1. Epist. 6. ad Magnum.]
pra & testimoniis & exemplis ostendimus. f Igitur sicut B. Hierony
mus Hilarium, B. Athanasius Colythum, S. Cyprianus Nouatianũ:
sic nos Lutherum cum sua Babylonica sobole, extra Ecclesiam esse
pronuntiamus: qui (vt loquitur Cyprianus) Apostolica & Euange-
lica ordinatione contempta, nemini succedentes, à seipsis orti sunt:
[g Hæretici Acephali. Nicephorus lib. 15. hist. Eccles. cap. 45.]
eosdemq; g Acephalos reputamus, quod exemplo Monophysitarum
(vt refert Nicephorus) neq; Episcopi fuerint, neq; sub Episcopis.
Ideoq; secundùm Hieronymum, cum sectis suis interierunt, quorũ,
iam vmbræ tantùm, & quidem inuicem dimicantes & mordentes, à
[h Ecclesiæ maximã nota, sacerdotium & sacrificium.]
seipsis absumũtur. Si igitur, nulla alia esset regula, quę Ecclesiã verã
à falsis hæreticorum conuenticulis discerneret, sufficerẽt ea de quib
h ucusq; tractauimus: quòd cùm sola Ecclesia Catholica ex Põtificũ
[Hebr. 7. vers. 12]
à S. Petro successione, habeat verũ sacrificiũ, legittimũ sacerdotium:
iuxta

iuxta consequentiã Apostoli, in ea quoq; legem qua Ecclesia dirigitur
[a Catholicorum contra hæreses vera gloriatio ex Scriptura.]
ac congregatur, inueniri. a Et omninò, si statũ Ecclesiæ Catholicæ
cum impetu insurgentium subinde & pereuntium hæresum confe-
ramus: eum semper progressum atq; exitum certaminis comperie-
[2 Paral. 13. ver. 9]
mus, quo tribus Iuda Deo suo semper fidelis, contra Israëlem præua-
ricantem sic gloriabatur: & nos Catholici contra hæreticos post
tot experientias atq; exempla gloriari possumus. Sic igitur cum fi-
» deli tribu Iuda iustè aduersarijs exprobramus: Eiecistis sacerdotes
[b Sacerdotium Catholicum ab hæretico diuersum.]
» Domini, filios Aaron, atq; Leuitas: b & fecistis vobis sacerdotes si-
» cut omnes populi terrarum: quicunq; venerit, & initiauerit manum
» suam in tauro de bobus, & in arietibus septem, fit sacerdos eorũ qui
» non sunt dij. Noster autem Dominus, Deus est, quem non relinqui-
» mus: sacerdotesq; ministrant Domino de filijs Aaron: & Leuitæ
» sunt in ordine suo. Holocausta quoq; offerunt Domino per singulos
» dies manè & vespere: & thymiama iuxta legis præcepta confectũ,
» & proponuntur panes in mensa mundissima, estq; apud nos cande-
» labrum aureum, & lucernæ eius, vt accendantur semper ad vesperã:
» nos quippè custodimus præcepta Domini Dei nostri, quem vos reli-
[c Victoriæ Catholicorum contra hæreses ratio.]
» quistis. c Ergo in exercitu nostro dux Deus est, & sacerdotes eius,
» qui clangunt tubis, & resonant contra vos: filij Israel nolite pugna-
» re contra Dominum Deum patrum vestrorum, quia nõ vobis expe-
[Cap. XXVII.] [d Apostrophe exhortatoria, ad errantes & in errorem mittentes]
dit. Hæc ibi. d O igitur præposteri veritatis Euãgelicæ præcones,
ô sine lege Doctores: ô vos rursus sine disciplina discipuli, & ijdem
[Ioan. 5. ver. 39]
» absq; discipulatu magistri: scrutamini ecce propositas vobis scri-
» pturas, in quibus putatis vitam vos habere: consulite annales sacros:
euoluite Christianas & profanas historias: recolligite quid ipsi se-
culo nostro audistis, & aliqui vidistis, semper tale iudicium diuinum,
[e Psalm. 4. ver. 3]
quod modò sacer vobis præscripsit cõtextus, inter Ecclesiã Catho-
» licam, & vestram colluuiem apparuisse. e O igitur filij hominum,
» non Dei & Ecclesiæ, sed hominum Deo & Ecclesiæ rebellium secta-
» tores: vsquequo graui corde: vt quid diligitis vanitatem, & quæri-
» tis mendacium? Cùm vestras mediæ noctis tenebras, sol non exo-
riens, sed meridiano quasi orbis vos conuincentis radio perstringat?
Coagmentastis aciem, induistis arma Philistinorum contra populũ
Dei: Quare tandem potentiæ Dei pro suis prodigiosæ non ceditis?
[f 1 Regũ 6. ver. 6]
» f & quare contra monita Satraparum illorum aggrauatis corda ve-
» stra, sicut aggrauauit Aegyptus & Pharao, cor suum? Nonnè post-
» quam percussus est, tunc dimisit eos? Cur tandem si non resipiscen-
[g 1 Regũ 4. ver. 7]
» do, saltem metuendo dicitis: g Væ nobis: venit Deus in castra. (Ec-
» clesiæ suæ tanquam castrorum acie in ministrorum missione ordi-
natæ.)

natæ.) Quis nos liberabit de manu Deorum sublimium istorum? Hi sunt Dij, qui percusserunt Ægyptum omni plaga in deserto. Confortamini igitur, & estote viri. (nō ad obstinatam Ecclesiæ Dei persecutionem, sed ad humilem diuinæ maiestati eiusque in vna Ecclesia vni veritati subiectionem.) Et si vos (suadet, & vtinam tandem persuadeat, B. [a] Augustinus) nec scripturarum authoritatis antiquitas, nec miraculorum potestas, nec morum sanitas, nec rationis veritas, non asserit, abite confusi, & redite confessi, ipsum esse Christum omnium in se credentium saluatorem: cuius nomen, & cuius Ecclesiā ita exhibent præsentia tempora, sicut præterita nuntiarunt. Et alibi [b] Qui, inquit, mundo credente non credit, magnum ipse est prodigium. Hæc ille. Sed quoniā monet Apostolus, vt nemini demus vllam occasionem, vt vituperetur ministerium nostrum: propterea quasi apparatu quodam ad futuram commonitionem, Sermonem istum sic verbis D. Bernardi concludamus. [c] Hoc itaque sacramentū ab æterno repositum, diabolo celatum, Prophetis reuelatum, solicitudini vestræ creditum, debita est gratiarum actione prosequendū, O sacrum, ô cæleste ministerium vestrum, laudabile desiderium, insigne spectaculum, solenne miraculum. Deus, qui mirabilis est in omnibus, seipso certè mirabilior quantum ad vos ostenditur, dum mirabiliora per vos operatur. Quid plura? Sacerdotes Dei benedicite Domino, digna Deo satagentes, ne vobis fiat in ruinam, quod dignè sumentibus prouisum est ad medelam. Sacerdotes Dei non immeritô vos dixerim, si vixeritis sacerdotaliter in domo Domini. Non enim prouenit dignitas in hoc nomine, quod est sacerdos. Non, inquam, ex nomine, sed ex virtute: conuersatione, non officio: merito, non vocabulo: sanctitate, non ministerio. Vnde scriptura dicit: Sacerdotales viros quærimus, qui plures habemus sacerdotes. Plures, inquā, numero, non merito: simulatione, non fide; specie, non virtute: cōmixtione corporali, non vinculo spirituali: carnis adiunctione, non cordis vnitate. Sunt enim lotis manibus, tamen illotis operibus: cruenta conscientia ad diuina accedunt sacrificia: comedunt sine timore & sine reuerentia carnes agni, qui præsidet in cælo, sicut carnes quæ venduntur in foro. Nō sicut sacerdotes assistunt in altario, sed sicut carnifices in macello. Graue igitur pondus, graue est periculum istius honoris. Gradus quippè iste, gradus casualis est, gradus iudicialis est, nisi meritis illustretur dignitas vnctionis, nobilitate morum, exercitatione virtutum, & instantia bonorum operum. [d] Fodite igitur charissimi, domesticos parietes, id est, ponite corda vestra super vias vestras. Satagite quantum potestis redimere citò in qui-

[a] August. contra Faustum lib. 13. Cap. 6.

[b] August. de Ciuitate Dei, lib. 22 Cap: 8.

Cap. xxviii

[c] Apostrophe conclusiua ad Sacerdotes. Bernardus Sermone, de Cœna Domini.

[d] Esech. 8. ver. 8 Agæi 1. ver. 5.

quibus offendistis. [a] Dies enim Domini, sicut fur ita veniet. Sicut enim nihil certiùs morte, ita hora mortis nihil incertius: quod vt dignum est, pensate, & ad pensandum circumspectiùs inuigilate. Deo quidem erit ad gloriam, angelis ad lætitiam: subditis vestris odor ad vitam, vobis autem ad coronam. In quo Christus & christos suos exaudire dignetur, ministrando auxilium gratiæ suæ, qui viuit & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

[a] 2. Petri 3. v. 10

Sermo decimus quintus.

DE OFFICIO CLERICORVM, exercitio, & vitæ conuersatione.

Hîc iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. 1. *Timot.* 3.

Cap. I

Reprobationis sacrificii & sacerdotii legalis causas, refert Dominus per Malachiam, primò quidem materialem, quòd apponeretur cultui eius panis pollutus: secundò formalem, quia sacrificia illa essent typica tantùm, & vmbratica, tum imperfecta, defectuosa, & Deo eiusque honore & placatione, parum digna: tertiò efficientem, quòd & ipsi sacerdotes essent tantæ expiationi insufficientes & contaminati: quartò finalem, quia sacerdotium illud, sicut & ipsa sacrificia, erant ad tempus tantùm vni carnali populo & loco attributa, quæ saluationem spiritualem vniuersalem, ac perhennem præstare non potuissent. Istas imperfectiones sacrificio & sacerdotio Euangelico fuisse sublatas, superioribus Sermonibus satis (vt puto) ostendimus: præsertim quoad sacrificij & sacerdotij materiam, formam, & finem. Ad causam efficientem, pertinet causa ministerialis seu instrumentalis, quæ in visibili atque externo sacerdotio consistit. Cuius pars ea restat nobis expedienda, quam ex verbis Apostoli ab initio proposuimus: Hîc iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur? Hæc enim inter alias causa fuit reiectionis & translationis sacerdotij legalis: quòd sacerdotes illi, nō satis fideliter ac diligenter officia sibi concredita administrassent. Postquam enim Dominus per Malachiam proposuisset quærelā toti populo vniuersalem, quòd existens pater, inhonoraretur, & cùm esset Dominus, contemneretur, mox radicem quasi istius præuaricationis retor-

Sacerdotii legalis defectus, & reprobationis causæ, Mala: 1. v. 6. &c.

retorquet in sacerdotes, sic subijciẽs: Ad vos sacerdotes, qui despicitis
a Heli Sacerdotium cur reiectũ.
nomen meum, &c. a Quod clariùs habetur in exprobratione Heli
sacerdotij eiusq; filijs facta. Vbi inter alia exprobrationis verba sic ha-
1 Regum 2. v:30
betur: Loquens locutus sum, vt domus tua, & domus patris tui mi-
nistraret in conspectu meo, vsq; in sempiternum. Nunc autem dicit
Dominus: Absit hoc à me: sed qui honorificauerit me, glorificabo
eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Ecce dies veni-
unt, & præcidam brachium tuum, &c. Iste typus erudire debet no-
uæ legis sacerdotes. Si enim Deum tantopere offendit inhonoratio,
& contaminatio victimarum carnis hœdorum & vitulorum, quan-
tò non magis debet illum offendere suipsius, qui & hostia simul &
b Sacerdotii Euangelici perfectio per Malachiam adumbrata.
sacerdos est, tum pollutio, tum inhonoratio? b Sacerdotes namq; nõ
tam legales spectat illa exprobratio apud Malachiam, quando dicit
Dominus: Maledictus dolosus, qui habens in grege suo masculum,
Malach: 1. ver. 14
& votum faciens, immolat debile Domino: quia rex magnus ego
dicit Dominus, & nomen meum horribile in gentibus. Hîc enim pri
mùm quidem inculpat Iudæos, qui habentes in grege suo, hoc est, in
c Isaiæ 66. ver. 7.
genere Dauid, Christum Mesiam, quem c Prophetæ masculum ex
Ierem: 31. ver. 22
muliere præsignassent, tamen in debilitate, vel potiùs vanitate victi-
marum brutalium perseuerent. Deinde afficit idipsum sacerdotes E-
uangelicos indignos, vel indignè offerentes, exemplo Caim rectè
quidem offerentes, sed non benè diuidentes: quòd cùm habeant in
d Colos: 1. v:18 Hebr: 6. vers. 6
grege Ecclesię militantis, simul & triumphantis, d caput ipsius gre-
gis Christum, masculum, potentem, & in cælis gloriosum: ipsum ta-
men quasi denuò in seipsis crucifigentes & ostentui habentes, in in-
firmitate quadam offerant. Ne igitur tale quid nobis Deo dicati sa-
e 1 Cor: 11. v:31
cerdotes, siue humano, siue diuino ineuitabili iudicio obijciatur: e vt
non ab alijs iudicemur, nos ipsos (obsecro) iudicemus, & examine-
mus partes officij nostri, & quomodo nos in singulis geramus. Si
benè quidem, vt Deo gratias agentes, in bono proficiamus: sin secus,
vt nos ipsos maturè corrigamus, & non cum hoc mundo damne-
mur. f Quod in isto Sermone, prout Dominus inspirauerit, præstare
f Argumentum & dispositio sermonis.
conabimur, ordine quo superiùs vsi fuimus: vt primò quidem erga
Christi corpus verum, deinde erga corpus mysticum, officia nostra
exploremus: deinde vitæ conuersationem, quæ moribus prælucere
debet, subijciamus.

Prima pars.

g Officium Pastoris quàm arduum
MOyses cùm à Deo mittebatur ad liberandum populum Dei ex Cap.
seruitute Aegyptiaca, triplici impedimento vel potiùs defectu II.
tantum

tantum officium recusabat. Primò, deterrebatur officij maiestate, exemplo Mosis
suoq; ipsius periculo, quando dicebat: Quis ego sum, vt vadam ad Exodi 3. vers. 11.
Pharaonem, & educam filios Israel ex Aegypto? Secundò, reuereba-
tur ipsum populum veluti Deo electum, numero quasi infinitum, &
a Exodi 3. ver. 13
ad credẽdum duræ ceruicis, dicens: a Ecce ego vadam ad filios Isra-
el, & dicam eis: Deus patrum vestrorũ misit me ad vos. Si dixerint
mihi: Quod est nomen eius, quid dicam eis? Et iterum: Non cre-
dent mihi, neq; audient vocem meam: sed dicent: Non apparuit ti-
bi Dominus. Tertium impedimentum considerabat Moyses in seip-
b Exodi 4. ver. 10
so, quando dicebat: b Obsecro Domine: Non sum eloquens ab heri
& nudiustertius: & ex quo locutus es ad seruum tuũ, impeditioris &
tardioris sum linguæ. Omninò istam triplicem difficultatem pastor
Euangelicus, in seipso etiam atq; etiam expendere debet: Primò qui-
dem officij quod suscepturus sit magnitudinem, suumq; exinde pe-
riculum: deinde in suscepto iam, eius administrandi summam diffi-
cultatem. Tertiò, in persona propria varios defectus: cùm secundùm
c Hebr: 5. vers. 2
c Apostolum, dum alios saluat, ipse circumdatus sit infirmitate: eoq;
fortasse maiore, quo grauius onus assumpsisset, & maioribus tẽtati-
d Intentio autoris in ista Clericorum institutione. Ambr: lib. de dignit: sacerdot: Cap: 1.
onibus in tanta spirituali specula sit expositus. d Iam verò singula
ordine instituto simul, charissimi in Domino cõmilitones, expenda-
mus. Nec enim (loquor cum S. Ambrosio) dum hæc meis consacer-
dotibus charitatis intuitu prærogem, mihimet prærogatiuam sci-
entiæ vendicabo, aut vitæ perfectæ me esse fateor, cùm de vita per-
fecta alios moneo: sed potiùs cùm hæc ad alios loqui audeo, simul
cum illis quæ loquor audiam. Principiò igitur officij, quod gerimus
magnitudo, & excellentia, satis superiori Sermone explicata est: vn-
e Prælationis Ecclesiasticæ pericula.
de etiam ipsa sese prodit ipsius difficultas, periculis vndiq; subiecta.
e Ante omnia autem expendenda est vocatio, tanquam primus offi-
Matth. 22. ver. 12
cij aditus atq; ianua. Quod enim cælestis ille Paterfamilias in vniuer
sali & promiscua populorum vocatione, immò etiam compulsione,
vnicum ex omnibus virum compellat, quòd carens veste nuptiali,
intrare ad conuictum suum præsumpserit: per hunc singularem ho-
minem, videtur mihi fuisse designatus spiritualium status, ex homi-
nũ multitudine delectus, qui etiã propter tum officij, tum vitæ præ-
rogatiuam, vestitu peculiari insignitus, à communitate distingua-
f Vestis nuptialis statum Ecclesiasticum designat. Supra Serm: 6. Cap. 27. Hieron: Epist: ad Fabiolam.
tur. f Nam & vestes sacerdotales suis singulæ non destituuntur my-
sterijs, vt Origenes & B. Hieronymus explicant, & à nobis in suis lo-
cis dictum est. In communi etiam cultu, sacerdotes productiore &
laxiore vestitu induuntur, vt ampliorem quoq; dignitatem in se ex-
pendentes, nihil nudi & inhonesti relinquant, quo sectatores suos of-
fendant,

fendant. [a] Seruanda igitur & identidem animis inculcanda eſt regula Apoſtoli: Nemo ſumit ſibi honorem, niſi à Deo vocatus vt Aaron: quem vocationis ordinem ſuperiori Sermone explicuimus. Super quæ verba ſic Ambroſius: Hic, inquit, percutit ſacerdotes honoris cupidos, & ſacerdotij auidos, non pro ſalute populi, ſed propter ambitionem ſeculi. Igitur Aaron vocatus eſt à Deo ſigno florentis virgæ, & demõſtratus eſt ſacerdos à Deo eſſe electus, etiam in incendio eorum, qui pontificatui inuidere voluerunt. Hæc Ambroſius. Inter plantas clibano & cineribus deputatas, quæ præſtantiſsimæ ſunt (atteſtante [b] diuina ſcriptura) recuſant principatũ, ne alijs mancipatæ, ſeipſas deſerant: ſolus rhamnus ſpinis & tactu horridus, dominatũ vſurpare præſumit. Sed quid vilia & inanimata prodimus, conuertamus nos ad ſublimia. [c] Reprehendit Dominus, cognatam ſibi ſecundùm carnem, quòd cum martyrij præparatione, ſedes primas in regno ſuo filijs depoſcat. Quomodo audent alienigenæ, ſimiles aucupari ſedes, vt in illis, non labore, ſed honore, non martyrio, ſed imperio, non exercitijs, ſed delitijs diffluant? Ambitio ſemper reputata eſt, veluti tinea quædam occulta, quæ Reſpub. ſeculares, & ipſos tandē ambientes abſumeret. Illa quippe (vt cenſet [d] Seneca) inſtar turbinis eſt, qui rapta conuoluit, ſed ipſa antea voluitur: & ob hoc maiore impetu incurrit, quia nullum illi ſui regimen eſt. Sic ille. [e] Quomodo igitur talis confuſio locum habebit in Eccleſia Dei, quæ (vt S. Nazianzenus demonſtrat) pulcherrimo ordine ad inſtar corporis humani, adeò diſpoſita eſt & ordinata, vt ſi vel vnum membrum non ſuo loco conſtiterit, monſtrum potiùs, quàm corpus capitis, quod Chriſtus ipſe eſt, recognoſcas.

Cap. III.

[f] Iſidorus poſt legittimam miniſtrorum in Eccleſia Dei deſcriptionem, eius poſtmodum abuſionem ſic partitur: Aliquos ad talia miniſteria mitti à Deo tantùm, qualis erat Moyſes: alios per hominem & Deum, vt Aaron & Ioſue: alios rurſus per ſolum hominem, ſicut his temporibus fauore populi & poteſtatum, in ſacerdotiũ ſubrogantur: quartum autem genus ex ſe eſt, ſicut pſeudoprophetæ & pſeudoapoſtoli (hoc eſt hæretici) Hæc ille. [g] Talem miniſteriorũ diuinorum inuaſionem, alij ſacri & antiquiſsimi Eccleſię Doctores ab Eccleſia ſic proſcribere conantur: Clemens quidem Apoſtolos ſic refert conſtituentes: Chriſtus non ſeipſum glorificauit vt fieret Pontifex: ſed expectauit, vt patrem audiret: Iurauit Dominus & non pœnitebit eum: Tu es ſacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech. Si igitur Chriſtus non vendicat ſibi priuatim gloriam ſine patre: quomodo poteſt homo ſeipſum in ſacerdotium (nota hoc

a Vocatio legitima ambitionem excludit.
Hebr. 5. verſ. 4.
b Ambitionis nota.
Iudicũ 9. ver. 14.
c Matth. 20. v. 20
d Seneca Epiſ: 95
e Vocationis legitimæ ab ambitione diſcrimen
1 Cor. 12. v: 14 &c.
Naſianſ: orat: 26.
f Iſidorus de officiis Eccleſiaſticis, lib. 2. cap. 5.
g Vocationis Miniſtrorum regula à Chriſto qualis.
Clemens Conſt: Apoſt. lib. 2. Capit: 27 aliâs 31.

verbum) proijcere, non accepta dignitate præſtantiore? Origenes autem: [a] Moyſes, inquit, receſſurus de ſeculo, orat Deum, vt prouideat ducem populo. Quid agis Moyſes? Nunquid filij tibi non ſunt, Gerſon & Eleazar? Aut ſi aliquid de ipſis dubitas, non ſunt filij fratris magni & egregij viri? Quomodo non oras Deum pro ipſis, vt eos conſtituat populo duces? Sed diſcant Eccleſiarum principes ſucceſſores ſibi, non eos, qui conſanguinitate generis iuncti ſunt, nec qui carnis propinquitate ſociantur, teſtamento ſignare, neq; hæreditarium tradere Eccleſiæ principatum, ſed referre ad iudicium Dei, & non eligere illum, quem humanus commendat affectus, ſed Dei iudicio totum de ſucceſſoris electione permittere. Nunquid non poterat Moyſes eligere principem populo, & vero iudicio eligere, & recta iuſtaq; ſententia, ad quem dixerat Deus: [b] Elige Presbyteros populo, quos tu ipſe ſcis Presbyteros eſſe: & elegit tales, in quibus continuò Dei ſpiritus requieſceret, & propheterent omnes? Quis ergo ita potuit eligere principem populi, vt Moyſes poterat? Sed hoc non facit, non eligit, non audet. Cur non audet? Ne poſteris præſumptionis relinquat exemplũ. Sed auſculta quid dicit: Prouideat, inquit, Dominus Deus ſpirituum & omnis carnis, hominem ſuper ſynagogam hanc, qui egrediatur ante faciem eorum, & qui ingrediatur, & qui producat eos, & qui reducat. [c] Si ergo tantus ille ac talis Moyſes, non permittit iudicio ſuo de eligendo principe populi, de conſtituendo ſucceſſore: quis erit qui audeat, vel ex plebe quæ ſæpè clamoribus ad gratiam, aut ad precium fortaſſe excitatis, moueri ſolet, vel ex ipſis etiam ſacerdotibus, quis erit qui ſe idoneum ad hoc iudicet, niſi ſi cui oranti, & petenti à Domino reueletur? Sicut & Deus dicit ad Moyſen: [d] Adſume ad temetipſum Ieſum filium Naue, hominem qui habet ſpiritum Dei in ſemetipſo, & impones manus tuas ſuper eum, & ſtatues eum coram Eleæzaro ſacerdote, & præcepta dato ei in conſpectu totius ſynagogæ, & præcipe de ipſo coram eis, & dabis claritatem tuam ſuper illum, vt audiant illum filij Iſrael. [e] Audis euidenter ordinationem principis populi tam manifeſtè ad ſcripturam, vt penè expoſitione non egeat. Nulla hîc populi acclamatio, nulla conſuanguinitatis ratio, nulla propinquitatis habita contemplatio eſt. Propinquis agrorum & prædiorum relinquatur hæreditas: gubernatio populi illi tradatur, quem Deus elegerit: homini ſcilicet tali, qui habet (ſicut ſcriptum audiſtis) in ſemetipſo ſpiritum Dei, & præcepta Dei in conſpectu eius ſunt. Hucuſq; Origenes. [f] Apponat tandem deuotus & melliſluus Bernardus ſuam calcē vel potius falcem, cuidam Archiepiſcopo ſic ſcribens. Genus, ætas,

a Sacerdotia non ſecundum carnē, ſed ſecūdum ſpiritum conferēda.
Num: 27. ver. 16
Orig: homel: 31. in Num:
b Num: 11. verſ. 17. 24.
c Electio popularis ad officia præſertim ſpiritualia nō probatur.
d Num: 27. v. 18
e Succeſsio & hæreditas temporalium, non ſpiritualium conceditur.
f Ambitio dignitatum Eccleſiaſticarum perſtringitur.

Bernard. Epist. 42. ad Henricum Senonensem.

scientia, cathedra, & quod maius est, primatus prærogatiua, cui non
essent insolentiæ fomes, elationis occasio? Quanquam esse possint
& humilitatis, meditantibus quidem honores blandiuntur, sed one-
ra pensantibus tædio sunt atq; formidini. Non autem omnes capiũt
hoc verbum. Multi enim non tanta fiducia & alacritate currerent ad
honores, si esse sentirent & onera. Grauari profectò metuerent, nec
cum tanto labore & periculo quarumlibet affectarent infulas digni-
tatum. Nunc verò quia sola attenditur gloria, & non pœna, purum
esse clericum erubescitur in Ecclesia, seq; viles æstimant, & inglo-
rios, qui quocunq; eminentiori in loco non fuerint sublimati. [a] Scho-
lares pueri, & impuberes adolescentuli ob sanguinis dignitatem pro-
mouentur ad Ecclesiasticas dignitates, & de sub ferula transferuntur
ad principandum presbyteris: lætiores interim quòd virgas euase-
rint, quàm quòd meruerint principatum: nec tam illis blanditur ad-
eptum, quàm ad emptum magisterium. Et hoc quidem in initio.
Processu verò temporis paulatim insolescentes, docti sunt in breui
vendicare altaria, subditorum marsupia vacuare, magistris nimirum
in hac disciplina vtentes idoneis, ambitione & auaritia. Verùm quã-
ta vis industria tua tibi lucra conquirere cautulus videaris, quantali-
bet vigilantia rem possis seruare tuam, quãtocunq; studio regum ti-
bi ac principum gratiam captare cures: dicimus tamen. [b] Væ terræ
cuius rex est puer, & cuius principes manè comedunt. Nec dicimus
quamcunq; ætatem Dei gratiæ præmaturam, sicut nec seram: cùm
multos videamus iuniorum super senes intelligere, moribus anti-
quare dies, præuenire tempora meritis, & quod ætati deest, compen-
sare virtutibus. Boni pueri, qui quod ætate videntur esse, student &
malitia. [c] Malitia, inquam, sed non sensu: quorum iuxta admoniti-
onem Apostoli, nemo contemnat adolescentiam. Meliores bonæ in-
dolis adolescentes, inueteratis dierum malorum. Puer centum anno-
rum maledictus est: & est è regione senectus venerabilis, non diu-
turna, neq; numero annorum computata. Bonus puer Samuel, qui
loquenti Deo promptus aderat auditor, dicens: Loquere Domine,
quia audit seruus tuus. Ac si diceret: Paratus sum, & non sum turba-
tus, vt custodiam mandata tua. Bonus & Hieremias, qui antè sancti-
ficatus quàm natus, cùm se excusaret de pueritia, nihilominus consti-
tutus est super gentes & super regna. Bonus quoq; [d] Daniel, cuius
spiritum suscitauit Deus, vt conuinceret iniqua iudicia, & sanguinẽ
innoxium liberaret. Deniq; [e] cani sunt sensus hominis, & ætas se-
nectutis, vita immaculata. Sicubi huiuscemodi puer senex promo-
tus inuenitur: opus Dei est, his qui tales non sunt, mirandum, non
imitan-

a Aetas & conditio in promouendis ad officia Ecclesiæ expendenda.

b Eccles. 10. v. 16

c 1. Cor. 14. v. 20
1. Timot. 4. ver. 12
Daniel. 13. ver. 52
Isaiæ 65. vers. 20
Sapien. 4. vers. 8
1 Regũ 3. ver. 10
Psalm. 118. ver. 60
Ierem. 1. vers. 7.

d Dan. 13. ver. 45

e Sapien. 4. ver. 9

Cap. IIII

imitandum. Hæc Bernardus. [a] Postremò ad rectam vocationem
pertinet, vt sicut non prece, sic non precio, ad ministeria diuina pate-
at aditus. Idololatris id quidem attribuit diuina Scriptura, dum sic
loquitur: [b] Non reuersus est Ieroboam de via sua pessima: sed è
contrario fecit de nouissimis populi sacerdotes excelsorum. Quicũq;
volebat, implebat manum suam, & fiebat Sacerdos excelsorum. Et
propter hanc causam peccauit domus Ieroboam, & euersa est, & de-
leta de superficie terræ. Quod etiam mentalibus idololatris hæreti-
cis perbellè conuenit: quando post tot Catholicas monitiones &
conuictiones, in suis nouis sectis in peius subinde proficiunt, [u] er-
rantes, & in errorem mittentes, per pseudoministros ex promiscua
plebe delectos, manus suas munere vel licẽtia implentes: [c] vnde etiã
sicut ipsæmet sectæ cum suis authoribus & sectatoribus, sic plerumq;
ciuitates ipsæ, eorum præuaricatione (vt loquitur Isaias) intereunt.
Quemadmodum enim olim Samaritanos incolentes terram sanctã,
& legitima diuina terræ ignorantes, per leones deuastauit: sic modò
hæreticos & schismaticos in terra Christianorum, sine Christiana re-
ligione viuentes, per leones Mahumetanos aliosq; Gentiles magna
ex parte depopulatus est. [d] Renouauit in lege Euangelica gentilicũ
istum ad officia sacra ingressum, Simon Magus, qui largitionem Spi-
ritus sancti, per impositionẽ manuum ab Apostolis licitãs, sic à Prin-
cipe Apostolorum audire meruit: Pecunia tua tecum sit in perditi-
onem: quoniam donum Dei existimasti pecuniis possideri. Non est
tibi pars neq; sors in sermone isto: Cor enim tuum non est rectum
coram Deo. Hæc ibi. In lege quoq; Mosaica tanquam mercenaria,
hic næuus apparuit in [e] Giezi seruo Elizæi: qui cùm à Naaman Sy-
ro lepra mundato, munera à propheta repudiata accepisset, eam retu-
lit maledictionem ab Elizæo: Lepra qua mundatus est Naaman, ad-
hæreat tibi, seminiq; tuo in sempiternum. Sicut & modò in Eccle-
sia Simoniaci nõ solùm in anima maledicti, sed etiam in honore in-
fames pronuntiantur: & donec ista labe emundantur, semper lepra
impietatis eorum officio adhæret, vt ostendit Ambrosius. Et sic (vt
etiam lex attestatur) simoniæ maledictæ reciprocus contractus, ha-
bet duos maledictos authores, Giezi qui rem sacram vendidisset, Si-
monem verò, qui cum precio exquisiuisset. Sed istud vitium lex E-
uangelica prorsus exterminat, cùm (vt ostendit S. Ambrosius) lex
sit gratiæ, non precii vel meriti [f] Lex enim per Moysen data est, gra-
tia & veritas per Iesum Christum facta est. Propterea Dominus di-
scipulis à se ad prædicationem missis dicebat: Gratis accepistis, gra-
tis date. [g] Contrarium facientes perstringit ibidem Ambrosius, in-
ter alia

a Simonia ab ordinatione Ecclesiastica exploditur.

b Simonia Idololatris & hæreticis conuenit.
3 Regũ 13. v. 33

u 2 Timot. 3. v. 14

c Hæresum & hæreticorum breuis interitus.
Isaiæ 1. vers. 5.

d Autores Simoniæ in scriptura, eorúmq; pœnæ.
Actor. 8. ver. 20

e 4 Regum 5. vers. 22, 27.
Gregor. libr. 4. Epist. 51. ad Virgilium.
Ambr. de dignit. sacerdot. cap. 5.
Causa 1, quæst. 3 & sequent.

f Ioan. 1. ver. 17.
Matth. 10, ver. 8

g Contra Simoniacè ordinatos.

& ordinatos. Ambros. loco supra citato.

ter alia sic habens. Nescij homines & indocti, in ordinationibus eorũ clamant & dicunt: Dignus es, & iustus es: & conscientia misera: Indignus es, & iniustus es, dicit. Pronuntiat enim Episcopus huiusmodi ad populum dicens: Pax vobis. Oculis quidem carnalibus videtur quasi Episcopus magnus, & diuinis obtutibus inspicitur leprosus magnus. Per peccuniam, acquisiuit indebitum ordinem, & Deũ perdidit in interiore homine. Caro suscepit dignitatem, & anima perdidit honestatem. Caro ancilla, domina facta est animæ: & anima quæ erat domina, facta est famula carni. Caro dominatur populis, & anima seruit dæmoni. Carni sacerdotium comparauit, & animę detrimentum parauit. [a] Et quid prodest huiusmodi homini si totum mundum lucretur, & animæ suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Quod dedit cùm ordinaretur Episcopus, aurum fuit: & quod perdidit, anima fuit. Cùm alium ordinaret: quod accepit pecunia fuit: & quod dedit lepra fuit. Hæc ille.

a Matth. 16. v:26

b Simonia precio vel rebus æstimabilibus committitur.

Greg. 1, homel 4 in Matt. caput 10
Alexãder Papa 5. Cap. 14. parte 2.
Hieron. in caput 58. Isaiæ.
Vide de Simonia Capit. Cũ esset. eiusq; glossas.
Zachar. 14. v. 21
Malach. 1. ver. 10

Cap. V.

[b] Non omittendum autem est, legem Ecclesiasticam Simoniæ precium reputare, non solùm pecuniam, & alia munera, sed quicquid pro illis reputari potest: vt nec seruitia seu famulatus, vel quęcunq; officia, à labe saltem mentalis simoniæ excusentur. Istam Ecclesiæ nouæ legis immaculatæ sine ruga & macula proprietatem, quòd gratia gratiam referat, Zacharias penultimus Prophetarum, quasi propius prospiciens expresśit vltimis Prophetiæ suæ verbis, vbi prędicens in domo Domini sacrificium quoddam omnibus gentibus vniuersale, sic concludit: Et non erit mercator vltra in domo Domini. Quod totum caput alioqui difficillimum, Ecclesiæ Euangelicæ ab Ierusalem exortum, progressum, & modum, præsignare, aliquando liberiori occasione explicabimus. Conuenit huic proposito mox subsequens & vltimus vates Malachias, propter mercenaria officia, legem etiam ipsam sic voce diuina exterminans: Quis est in vobis, qui claudat ostia, & incendat altere meum gratuito? Non enim mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis vsq; ad occasum magnum est nomen meum in gentibus Hæc ibi. [c] Isto quasi iure vsus est Saluator noster, quando primo solenni suo in templum Salomonis ingressu, supremo & Iudæis admirando imperio, eiecit ex templo illo vendentes & ementes boues, oues, columbas, & nummulariorũ effudit æs, & mensas subuertit: quæ si oportuit in templo illo offerre, licebat etiam vendere atq; coemere. Sed verus sacerdos, & vera ipsa victima, vmbraticas & mercenarias oblationes demolitur atq; exterminat;

c Simonia per Christum ex Ecclesia profligata.
Ioan. 2. vers. 14
Matth. 21. ver. 12

exterminat: vt domum patris sui, hoc est, Ecclesiam, gratuitum inuocationis & salutis emporium credentibus exponeret. [a] Istum locum B. Hieronymus sic expendit: Secundùm mysticos intellectus, quotidie Iesus ingreditur in templum, & eijcit omnes tàm Episcopos, & presbyteros, & diaconos, quàm laicos, & vniuersam turbam de Ecclesia sua: & vnius criminis habet vendentes pariter & ementes. Scriptum est enim: [b] Gratis accepistis, gratis date. Mensas quoq; numulariorum subuertit. Obserua propter auaritiam sacerdotum, altaria Dei nummulariorum mensas appellari, &c. [c] Idem alio loco contra istam labem sic inuehitur: Nec quenquam moueat illud quod in primo Regũ libro legimus: Saul volentem ire ad Samuelem dixisse puero suo, ad eum se ire non posse, quia pretium quod offerret pro vaticinio non haberet, & puerum respondisse: Ecce inuenta est in manu mea quarta pars sicli pecuniæ, & dabo viro Dei, & annuntiabit nobis viam nostram. Non enim scriptum est, quòd Samuel acceperit, aut quòd illi obtulerint: quin potiùs à Propheta pascuntur, & inuitantur ad prandium. Sed fac eum accepisse, stipes magis æstimandæ sunt tabernaculi, quàm munera Prophetiæ. [d] Siclus enim viginti obolos habet: & quarta pars sicli, quinq; sunt oboli. Et nostri igitur sacerdotes, si volunt vendere prophetiam, & columbas in cathedris suis proponere, quas Dominus flagello subuertit: [e] vtinam non pretia villarum, sed quinq; obolos acciperent. Hoc ipsum sonat [f] & in tertio Regnorum libro, quod vxor Hieroboam infirmante filio pergit ad Achiam hominem Dei, & defert ei panes, & vuas passas, & vasculum mellis. Dicitur enim quid secum illa portauerit, & tamen Propheta non scribitur accepisse: quippè cùm & corripuerit eam, & venturum luctum prædixerit: licèt potuerint hi, qui ad ariolos ire consueuerant (quia multi diuini & arioli erant in Israel) mala consuetudine æstimasse idipsum etiam de Prophetis, & voluissē sanctis viris offerre, quod diuinis offerre consueuerant, & tantumodo scripturam narrasse quid illi voluerint: nec tamen intulisse quòd ipsi aut offerre ausi fuerint, aut Prophetæ acceperint. [g] Apostolus Paulus: Qui altari, inquit, seruiunt, de altari participant, & viuunt. Permittitur tibi ô sacerdos, vt viuas de altari, non vt luxuries. Boui trituranti os non clauditur. Scimus ista: & tamen licentia hac Apostolus non abutitur, [h] & habens victũ vestimentumq;, contentus est: nocte & die laborat manibus suis, ne cui grauis sit. Et iurat in Epistolis, se sanctè, & sine auaritia in Christi Euangelio conuersatum, & non solùm de se, sed de discipulis quoq; suis hoc ipsum asserit: quod nullum miserit, qui ab Ecclesiis aut posceret aliquid, aut vellet accipere,

a Spiritualia vendentes & ementes perstringuntur.
Hieronym: super Matth. 21.
b Matth. 10. v. 8
c Simoniam scriptura nõ excusat.
Hieron: in caput 3. Micheæ.
1 Regum 9. ver. 8
d Siclus quot obolis constat.
e Simoniæ precium.
f 3 Regũ 14. v. 6
g Ex altari viuendum non luxuriandum.
1 Cor. 9. vers. 13
h sacerdotũ reditus, vltra victum pauperibus cedant, & qualibus.

pere. Si autem gratulatur in quibusdam Epistolis, & mittentiū munera beneuolentiam Dei appellat: non tàm sibi congregat, quàm pauperibus sanctorum, qui erāt in Hierusalem. Sancti autem pauperes, hi erant in Hierusalem, qui primùm in Christo crediderant de Iudæis, & proiecti à parentibus, & cognatis, atq; affinibus suis, tàm possessiones, quàm vniuersam suppellectilem, sacerdotibus templi, ac populo vastante, perdiderant. Si tales pauperes sunt, accipiant.

> a Bonorum Ecclesiæ mala dispēsatio notatur.

a Si autem sub occasione pauperum paucæ ditantur domus, & in vitro ac vase fictili aurum comedimus: aut cum thesauris mutemus & vestes, aut pauper habitus non quærat diuitias senatorum. Quid prodest circa collum ad abstergendos sudores linteolum non habere? Quid iuuat esse μονοχίτωνας & præferre habitu paupertatem, cùm marsupium nostrum vniuersa pauperum turba suspiret, &c. Idem alibi huic proposito, singulare exemplum refert de S. Hilarione.

> b Simoniæ pœna in accipiente & dante.
> Hieron: in vita Hilarionis.

b Cui cùm obsessus quidam ab eo curatus, non simoniæ, sed gratitudinis causa, munuscula offerret, sanctū Anachoretam sic respondisse: Non legisti, inquit, quid Giezi, quid Simon, passi sint, quorum alter accepit pretium, alter obtulit: vt ille venderet gratiam spiritus sancti, hic mercaretur? Cùmq; Ociemus (sic dicebatur ille curatus) flens diceret:

> c Simonia eleemosina palliata.

c Accipe, & da pauperibus. Respondit. Tu melius potes tua distribuere, qui per vrbes ambulas, & nosti peuperes: Ego cùm mea reliqui, cur aliena appetam? Multis nomen pauperum occasio auaritiæ est:

> d Misericordia artem nō habet.

d misericordia verò artē non habet. Nemo meliùs erogat, quàm qui sibi nihil reseruat. Tristi autem & in terra iacenti: Noli, inquit, contristari fili: quod facio pro me, & pro te facio. Si enim hæc accepero, & ego offendam Deum, & ad te legio (eiectorum dæmonum) reuertetur. Hæc ibi. Quæ vtinam modò & ab ijs, qui in sortem Domini recepti, sortem sæculi ambiunt, & ij qui sortem seculi professione prorsus abiurârunt, tàm in propria, quàm in pauperum, quam suscipiunt sustentatione, securiùs excutiant. Adeò autem Dominus istud vitium in Ecclesia sua abominatur: vt eo inquinatos, pro suis ministris non recognoscat.

> e Simoniacus nomen Spiritus sancti enuntiare nō potuit.
> Martinus Polonus lib. 4. Chronicorū, sub Leone Papa.

e Cuius rei exemplum terribile legimus, de quodam Episcopo in Gallijs: qui coram Legato Apostolico (qui postea Gregorius septimus Papa effectus est) de Simonia fuisset conuictus, & tamen illam confiteri & emendare nollet, Legatus omissis alienis testimonijs, eius proprium exposcit: Iubet vt Antiphonam, Gloria patri, & filio, & spiritui sancto, clarè & expeditè enuntiet. Cùm autem ille verba præcedentia & consequentia promptè proferret, verbum Spiritus sancti nequaquā, multiplicato quamuis conatu, profari valuit. f Hæc igitur suffici-

ant

> f Electio melior quò electores meliores.
> Bernar: Epist. 48 ad Eugenium Papam.

ant de introitu seu electione. Quæ secūdùm Bernardū, eò melior erit, quò qui eligunt vel ordinant, fuerint & ipsi meliores. Nescio enim quid naturalis similitudinis soboles ex genitoribus solet protrahere.

> Cap. VI.
> a Ordinatos ad Ecclesias, ordinatè oportet viuere

a Porrò ille ad regis cælestis conuiuium, hoc est, ad Ecclesiæ ministerium, accedens, siue ex palatio, siue ex tugurio, siue ex penetralibus, siue ex foro, siue ex plateis, vicis, sepibus, vndecunq; tandem euocatus, vel etiam expulsus; ecce iam in Regiam intrauit, exceptus consedit. Videamus ergo quomodo denuo ex vestitu de vocatione exploratur, cùm sic audiat:

> b Matth. 22. v. 12

b Quomodo intrasti huc, non habens vestem nuptialem? Hoc illud est, fratres dilecti, quod Apostolus in verbis à nobis pro themate positis innuit. Cùm enim sacerdotes appellasset ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei: mox subijcit:

> c Prælationis Ecclesiasticæ difficultas.
> 1 Cor. 4. vers. 2
> Eccli: 31. vers. 7.
> Matth. 24. ver. 45
> Chrysost: in eundem locum.

c Hîc iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur: significans officium quidem esse multis commune, sed eius rectam administrationem rarissimam: vt etiam hîc dici meritò debeat. Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Idem intendit Dominus ipse dicens: Quis est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, &c. Super quæ verba Chrysostomus. Quærit Dominus non quasi prudentem & fidelē dispensatorē ignorās: sed volens innuere huius rei difficultatē & raritatē. Hæc ille. Quæ difficultas maximè exinde colligitur, quòd homo circumdatus ipse infirmitate, (vt ex Apostolo diximus) gerat officium, circa Eucharistiam quidem & absolutionem, prorsus diuinum, in reliquis autem functionibus angelicum.

> d Sacerdotū officium plus quā Angelicum.
> Hebr. 1. vers. 14.
> Malach: 2. ver. 7
> Concil: Trident. Sess. 6. Cap. 1. de Reformat.

d Siquidem secundùm eundem Apostolum, Angeli quoq; sunt salutis humanæ ad æternam beatitudinem comministri: qua ratione sacerdos quoq; simili legatione perfungens, Angelus apud Malachiam denominari mereatur. In carne igitur mortali, & tot infirmitatibus & aduersis tentationibus expositæ, officium gerere angelicum, hoc opus, hic labor est. Quod sacrum etiam Tridentinum Concilium intellexit, quando Episcopatum dixit esse onus angelicis etiam humeris formidandum.

> e Episcopatus onus non honos.
> Causa 8. quæst: 1. Cap. Qui Episcopatum.
> Isidorus de off. Eccl. lib. 2 cap. 5
> Augus. Ciuit. lib. 19. cap. 19.
> Hebr. 1. vers. 3
> Matth. 11. ver. 30
> Psalm. 128. ver. 3

e Citat etiam Gratianus & Isidorus ex B. Augustino, Episcopatum esse nomen operis, non honoris. Certè Dominus noster, qui secundùm Apostolum, omnia portat verbo virtutis suæ, officiū tamen suum, quod sacerdotibus exequendum reliquisset, non honorem sed onus appellauit, dicens: Iugum meū suaue est, & onus meū leue. Ille etiam ipse est cum suis ministris, supra cuius dorsum fabricauerunt peccatores: & qui tollit peccata mundi. Quantò igitur onus grauiùs est, & portator infirmior, tantò periculo & casui vicinior.

> f Greg. homel.

f Quod benè expendit nomine & re vigilantissimus pastor B. Grego-

Grego-

14. in Euangelia. Ioan. 10. vers. 15

Gregorius, ex ijs, quæ princeps ipse pastorũ in vero pastore requirit, nimirum vt ponant pro ouibus suis animas suas. Propterea expositionem istorum verborum, vel potiùs exhortationem sic aggreditur: Audistis fratres charissimi, ex Euangelica lectione eruditionem vestram: audistis & periculum nostrum. Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis. Fecit quod monuit: ostendit quod iussit. Hæc ille. [a] Eiusmodi periculum solent Doctores sacri declarare ex similitudine altitudinis, & casus naturalis. Ambrosius: Sicut, inquit, nil esse diximus Episcopo excellentiùs, sic nil est mirabiliùs, si de sancta vita Episcopus periclitetur, si sacerdos in crimine teneatur. Et vt leuius est de plano corruere, sic grauius qui de sublimi ceciderit dignitate: quia ruina quæ de alto est, grauiori casu colliditur. Honor quidem Episcopalis coram hominibus præclarus est: sed si ruinã sustineat, dolor magnus est. Nam quantò præ cæteris gradus Episcopalis altior est, tanto si per negligentiam delabatur, ruina grauior est. Magna sublimitas, magnam debet habere cautelam. Honor grandis, grandiori debet sollicitudine circumuallari. Cui plus creditur, ab eo plus exigitur: sicut scriptum est: Quia optimis permixta sunt pessima. Et alibi: [b] Potentes potentiora tormenta patientur. Hæc ille. In eandem sententiam [c] Hieronymus. Grandis, inquit, dignitas sacerdotum: sed grandis ruina eorum si peccant. Lætamur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum. Non est tanti gaudij excelsa tenuisse, quanti mæroris de sublimi corruisse. Neq; enim solùm pro delictis nostris reddemus rationem, sed pro omnium quorum abutimur donis, & nequaquam sumus de eorum salute solliciti. [d] Idem ad Heliodorum scribens, postquam statum sacerdotalem supra Monarchalem longè extulisset, vt superiori Sermone retulimus, sic subijcit: Quòd si te quoque ad eundem ordinem, pia fratrum blandimenta sollicitant, gaudebo de ascensu, timebo de lapsu. [e] Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Scimus ista: sed iunge quod sequitur: oportet autem huiusmodi irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, sobrium, pudicum, prudentem, ornatum, hospitalem, docibilem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum. Et cæteris quæ de ea sequuntur, explicitis, non minorem in tertio gradu adhibuit diligentiam, dicẽs: Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpilucros, habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primùm: & sic ministrent, nullum crimen habentes, [f] Væ illi homini, qui, vestem non habens nuptialem, ingreditur ad cœnam. Nihil super est, nisi vt statim audiat: Amice, quomodo

a Prælatio sublimis, casui subiectior.

Ambr. de dignit. Sacerdot. cap. 3.

b Sap. 6. vers. 7

c Hieron. super Caput 44. Ezech. Cap VII.

d Hieron. Epist. ad Heliodorum.

e 1 Timot. 3. v. 1

f Matt. 22. v. 12

modo huc intrasti? Et illo obmutescente, dicatur ministris: Tolite illum, ligatis manibus & pedibus: & mittite eum in tenebras exteriores, vbi erit fletus, & stridor dentium. [a] Væ illi qui acceptum talentum in sudario ligans, cæteris lucra facientibus, id tantùm, quod acceperat, reseruauit. Illico indignantis Domini responsione, ac clamore ferietur: Serue nequam, quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum vsuris exegissem eam? id est, deposuisses ad altare, quod ferre non poteras. Dum enim tu ignauus negotiator denarium tenes, alterius locum, qui peccuniam duplicare poterat, occupasti. Quamobrem sicuti, qui bene ministrat, bonum gradum sibi acquirit, ita, [b] qui indignè ad calicem Domini accedit, reus erit Dominici corporis & sanguinis. Non omnes Episcopi, Episcopi sunt. Attendis Petrum: sed & Iudam considera. Stephanum suspicis, sed & Nicolaum respice: quem Dominus in [c] Apocalypsi, sua damnat sententia: qui tam turpia & nefanda commentus est, vt Nicolaitorum hæresis ex illa radice nascatur. Probet se vnusquisque, & sic accedat. Non facit ecclesiastica dignitas Christianum. [d] Cornelius centurio adhuc ethnicus, dono sancti spiritus mundatur: Presbyteros Daniel puer iudicat: Amos ruborum mora distringens, repentè propheta effectus est: Dauid pastor eligitur in regem: minimum discipulum Iesus amat plurimùm. Inferiùs frater accumbe, vt minore adueniente, sursum iubearis ascendere. Super quem Dominus requiescit, nisi super humilem & quietum, & trementem verba sua? Cui plus creditur, plus ab eo exigitur. Potentes potenter tormenta patientur. Nec sibi quisquam de corporis tantũ mundi castitate supplaudat, cùm omne verbum otiosum quodcunq; locuti fuerint homines, reddituri sint de eo rationem in die iudicij: cùm etiam conuitium in fratrem, homicidij sit reatus. [e] Non est facilè stare loco Pauli, tenere gradum Petri, iam cum Christo regnantium: ne fortè veniat angelus, qui scindat velum templi tui, qui cãdelabrum tuum de loco moueat. Ædificaturus turrim futuri operis sumptus supputa. [f] Infatuatum sal ad nil est vtile, nisi vt proijciatur foras, & à porcis conculcetur. Monachus si ceciderit, rogabit pro eo sacerdos: pro sacerdotis lapsu quis rogaturus est? Hactenus Hieronymus. [g] Gregorius quoque Nazianzenus postquam eiusmodi difficultates, & varia pericula prolixè perstrinxisset, sic subijcit: Est quippe hic metus omnium maximus, hoc periculum omnium grauissimum, huic quidem certè, qui & operæ præclarê nauatæ magnitudinem, & rei infeliciter gestę pernitiem intelligit. Hæc ille. [h] Propter tanta pericula prisci illi patres & doctores sanctissimi, Episcopatus adeò legũtur defugisse, vt loca etiam

a Matt. 25. v. 26

b 1 Timot. 3. v. 13
1 Cor. 11. v. 29

c Apoc. 2. ver. 6

d Actor. 10.
Deuter. 15.
Amos 11.
1 Regum 16.
Ioan. 19.
Lucæ 14.
Isaiæ 16.
Sapien. 6. vers. 7
Matth. 12.

e Apocal: 2.
Lucæ 12.
Matth. 5.

f Sacerdos alios expiare potest, seipsum secus.

g Gregor: Nazianz: Oratione 1. versus finem.

h Episcopatus defugiebant viri sancti.

ea etiam in quibus vacaret ſedes Epiſcopalis, veluti quoſdam ſcopu-
los præterirent, vel deuitarent. Si autem quando inuiti tale munus
ſuſceperunt, dictu mirum, quantas querelas decantabant, & ad pri-
ſtinam libertatem, quietem & ſecuritatem anhelabant. Quod abun-
dè cognoſces, ſi exploraueris Nazianzenum illum alioqui athletam
Eccleſiæ Dei inuictum, eiúſq; in ſtudio collegam Baſilium, & germa-
num fratrem Gregorium Niſſænum, Athanaſium, Chryſoſtomum,
Ambroſium, Auguſtinum, Gregorium: & alios quò ſanctiores, eò
tanti timoris pleniores, quorum etiam aliqui fuga tandem aperta
cathedras deſeruerunt: cuius rei reliquerunt excuſationes ſeu Apo-
logias, ijs qui Epiſcopatus deſiderent lectu digniſsimas. Quod ſi tan-
ta doctrina & ſanctitate pollentes viri, & quidem charitate nondum
adeò in populo extincta, talia officia tantopere exhorrebant: quid
de nobis & noſtris corruptiſsimis ſeculis & moribus in tantum præ-
ſumimus? Hîc enim verè viget illud, quod [a] S. Martinum Epiſco-
pum Antiochænum, dum ſeſe Epiſcopatu abdicaret, dixiſſe legimus
in hæc verba: Seruata mihi ſacerdotali dignitate, clero rebelli, popu-
lo inobedienti, & Eccleſiæ contaminatæ, nuncium remitto. Inde for-
taſſe prodijt illud Gregorianum, lege Eccleſiaſtica & imperiali cele-
bratum. Locus regiminis tantum ab ambitu debet eſſe ſepoſitus, vt
quæratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus effugiat. Eamq; rur-
ſus moderationem hac in re præſcribunt. [b] S. Nazianzenus, & B.
Auguſtinus, vt vbi aperta Dei vocatio, & Eccleſiæ neceſsitas poſtu-
lat, plus diuinæ voluntati, Eccleſiæ iudicio, quàm propriæ formidini
tribuatur. Qui enim dixit Moyſi durum officium recuſanti: Ego ero
tecum: ipſe & eum quem legitimè deſtinaſſet, eadem aſsiſtentia non
deſtituet. His præmiſsis: primum & præcipuum officium ſacer-
dotis erga corpus Chriſti verum, hoc eſt, eius conſecrationem, obla-
tionem, & alijs miniſtrationem, ſimulq; interpellationem pro ſeipſo
totoq; populo, quanta indigeat diſpoſitione, abundè præcedenti ſer-
mone diximus: vt commonitione magis quàm inſtructione præ-
ſens locus indigeat. [c] Audiamus igitur aliquot ſanctiſsimos & an-
tiquiſsimos Eccleſiæ Doctores, quomodo tanta myſteria aggreſſuri,
ea in ſeipſis & in alijs expendant. Eum qui pro ciuitate tota, (ſcribit
S. Chryſoſtomus) quid dico ciuitate? imò verò pro vniuerſo ter-
rarum orbe legatus intercedit, deprecatorq; eſt apud Deum, vt ho-
minum omnium, non viuentium modò, ſed etiam mortuorum pec-
catis propitius fiat, qualem quæſo eſſe oportet? &c. Quum autem
ille & ſpiritum ſanctum inuocauerit, ſacrificiumq; illud horrore ac
reuerentia pleniſsimum perfecerit, communi omnium Domino ma-
nibus

[a] Epiſcopatus abdicati cauſa & formula, & quādo aſſumendus. Niceph: hiſt. lib. 15. Cap. 28. Cedrænus in cōpendio hiſt. Gregor: in Regiſtro. Cauſa 8. quæſt. 1 Cap. Qui Epiſcopatum. Capit. de Epiſcopis, & Clericis lege 3, Tantum.

[b] Naſianſ: oratione 1, in fine. Auguſtin: Ciuit. lib. 19. Cap. 19

Cap. VIII.

[c] Sacerdotis ſacrificantis Idæa. Chryſoſt lib. 6 de Sacerdotio.

nibus aſsiduè pertractato: quæro ex te, quoto illum in ordine col-
locabimus: quantam autem ab eo integritatem exigemus? quantā
religionem? conſidera enim, quales manus illas adminiſtrantes eſſe
oporteat: qualem linguam, quæ verba illa effundat: qua deniq; re
non puriorem ſanctioremúe eſſe conueniat animam, quę tantum il-
lum, tamq; dignum ſpiritum receperit? Hæc ille. [a] Beatus verò Hie-
ronymus talem Epiſcopi vel ſacerdotis offerentis cum Monacho fa-
cit comparationem. Ego ſi dixero, ſi fecero quidpiam, quod repre-
henſione dignum eſt, de ſanctis egredior, & polluo vocabulum Chri
ſti, in quo mihi blandior: Quantò magis Pontifex & Epiſcopus, quē
oportet eſſe ſine crimine, tantarumq; virtutum, vt ſemper moretur
in ſanctis, & paratus ſit victimas offerre pro populo, ſequeſter Dei
& hominum: & carnes agni ſacro ore conficiens, quia ſanctum ole-
um Dei ſuper eum eſt. [b] Porrò Nazianzenus in ſeipſo & in aliis talia
pericula ex ſacris etiam exemplis ſic expendit. Accidit (inquit) mihi
res, ruſtico an ingenuo viro digna, haud ſcio, ſed accidit tamen. Ali-
orum me puduit, qui cum pleriſq; nihilo meliores ſint, atq; vtinam
non etiam multò peiores, illotis, vt dici ſolet, manibus, prophaniſq;
animis, in ſanctiſsima myſteria ſeſe inferūt, ac priuſquam digni ſint,
qui ad res ſacras accedant, ſacrarium ipſum ambiunt, & circum ſa-
croſanctam menſam ſeſe inuicem premunt, ac protrudunt, tanquam
non virtutis exemplum, ſed victus parandi occaſionem & ſubſidiū
hunc ordinem eſſe iudicantes, ac non munus referendis rationibus
obnoxium, ſed imperium ab omni cenſura immune. Idem alibi:
cùm ex veteri Teſtamento aliquot exempla adduxiſſet, miniſteria
illa quamuis legalia & vmbratica, à Deo tantùm ſingulariter voca-
tis, fuiſſe commiſſa: eoſq; qui ea temerè, arrogarent, atrociter fuiſſe
punitos: demum ſic ſubijcit. [c] Illud inſuper ſcio, ne corporum qui-
dem labes in ſacerdotibus, aut ſacrificijs, à cenſura immunes extitiſ-
ſe, verùm legibus ita comparatum fuiſſe, vt perfecti perfecta offer-
rent (ad ſignificandam, vt opinor, animæ integritatem) Nec ſacerdo-
talem ſtolam, aut vas aliquod ſacrum cuiuis attingere licuiſſe. Nec
ſacrificia ipſa, à quibus, & quo tempore ac loco minimè conueniebat
conſumere: Nec vnctionis oleum imitari, nec compoſitionis thy-
miama: nec deniq; templum ingredi cuiquam liberum fuiſſe, niſi
& animo & corpore, vel ad minima vſq; purus eſſet: tantum abe-
rat, vt ad ſancta ſanctorum audacter accederet, quæ vni duntaxat, ac
ſemel quotannis adire licebat: tantum aberat, vt cuiuis ius eſſet, ve-
lum, aut propitiatorium, aut arcam, aut cherubin, vel proſpicere,
vel attingere. Hæc igitur cùm ego noſſem, illudq; inſuper, neminē
magno

[a] Sacerdotis ſupra Monachum excellentia. Hieron: Epiſt. ad Fabiolam, de veſtitu ſacerdot;

[b] Sacerdotia aucupantes, & temerè tractantes notantur. Naſiāſ: oratiōe 1.

[c] Gregor. Naſianſ: oratione 1. verſus finem.

a Sacerdos prius seipsum interius Deo, quàm Christum offerat.
Rom. 12. vers. 1
Psalm. 50. ver. 19

magno, a & Deo, & sacrificio, & pontifice, dignum esse, nisi qui priùs
seipsum Deo hostiam viuentem, sanctam, exhibuerit, ac rationabile
obsequium gratum atq; acceptum ostenderit, Deoq; sacrificium lau-
dis, ac spiritum contritum obtulerit (quod solum sacrificium, is qui
omnia dedit, à nobis exposcit) quo tandem modo externum illud sa-
crificium, illud magnorum mysteriorum antitypum ipsi offerre au-
derem, aut quo modo sacerdotis habitum & nomen subire? Huc-
usq; Nazianzenus.

Cap. IX.

b Scientia sacerdotio necessaria. & qualis.
Prouer. 22. v. 26.

Sequitur iam in ministris ritè ordinatis consideranda scientia.
b Cuius necessitatem superiori Sermone exposuimus: nunc pra-
xim exigamus. Ad quam sic diuinus spiritus suos exhortatur candi-
datos: Fili mi, inclina aurem tuam, & audi verba sapientium: Ap- „
pone autem cor ad doctrinam meam, quæ pulchra erit tibi, cùm ser- „
uaueris eam in ventre tuo, & redundabit in labiis tuis. Vt insit in „
Domino fiducia tua: vnde & ostendi tibi eam hodie: Ecce descripsi „
eam tibi tripliciter. In quibus verbis spiritus sanctus commendat, „

c Scientia directa charitate, in Deum, seipsum, & proximum.
1 Cor. 8. ver. 1

edocet, & exigit, scientiam perfectam. c Vana enim scientia inflat, „
charitas autem ædificat. Charitas autem tripartita est, nimirum erga
Deum, erga seipsum, & erga proximum: sic & hoc loco dirigitur
scientia principaliter ad fiduciam in Deo firmandam: deinde vt ex
ventre, hoc est, proprio habitu & actu, ad labia quoq; ædificãdorum
proximorum extendatur. Quod expressiùs Dominus edocet, primò

d Leuit. 10. v. 10
e Esech. 44. v. 23.
Clemẽs Constit: Apost. lib. 2. ca. 23
Hieron. in cap. 44 Esech.
f 1 Regũ 2. v. 12
g Esech. 44. v. 26

in d lege sic præscribens filiis Aaron: vt habeant scientiam discer- „
nendi inter sanctum & prophanum, inter pollutum & mundum: „
doceantq; filios Israel omnia legittima Dei. Idem dicit per aliũ Pro- „
phetam: e Populum meum docebunt, quod sit inter sanctũ & pol- „
lutum: & inter mundum & immundum, ostendat eis. Et cùm fue- „
rit controuersia, stabunt in iudiciis meis, & iudicabunt leges meas: „
& præcepta mea in omnibus solennitatibus meis custodient, & sab- „
bata mea sanctificabunt. Hæc ibi. f Alibi autem istam doctrinæ re- „
gulam temerantes, Deus vocat filios Belial, nescientes Dominum, „
nec officium sacerdotum ad populum. Qualibus per g Prophetam „
sic improperat: Sacerdotes eius contempserunt legem meam, & pol „
luerunt sanctuaria mea: inter sanctum & prophanum non habue- „
runt distantiam, & inter pollutum & mundum non intellexerunt: „
& à sabbatis meis auerterunt oculos suos, & coinquinabar in me- „

h Ordo doctrinæ à Christo institutus.
Matth 28. ver 26
Marci 16. ver. 15

dio eorum. h Eundem doctrinæ modum & ordinem, in lege sua in- „
stituit Dominus, quando dicebat: Euntes in mundum vniuersum, „
prædicate Euangelium omni creaturæ: Qui crediderit, & baptiza- „
tus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. „

Signa

„ Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur, &c. Primum enim
scopũ fidei statuit Dominus honorem nominis sui, fide professum,
& baptismate consignatum: deinde sic fide illuminatos, præcipit
instruere in charitate, quæ obseruatione mandatorum diuinorum
exhibetur. Postremò in Doctoribus Euangelicis debet elucere exter-
na quædam forma virtutum, qua signa quæ extrinsecus à Domino
referuntur, in seipsis, & suo exemplo in cæteris, mystico exemplo

a Pastores luci quomodo comparati.
Matth. 5. v. 14. 15

operẽtur atq; exhibeant. a Cuius scientiæ rationem & necessitatem
expressit Dominus aptissima similitudine, Pastores vocando lucem
mundi & salem terræ. Quemadmodum enim sol est veluti oculus
mundi, quo lucente omnia etiam inferiora illustrantur, & vigent:
ipso autem, siue reuolutione nocturna, siue deliquio intercedẽte ab-

b Lucæ 11. v. 34
Ambros: de dignitat: Sacerd: cap. 6
Lucæ 6. Vers. 39
Deut. 27. vers. 18

scondito, in vigore suo vel impediuntur vel deficiunt. b Ad eũdem
„ modum (vt B. applicat Ambrosius) si lumen quod in te est, oculus,
„ id est, pastor, fuerit nequam, totum corpus, id est, populus, tenebro-
„ sum erit: sicut aptissimè Saluator ipse applicat, quòd cæcus cæcũ
„ ducens, ambo in foueam cadunt. Quod etiam mystico sensu præ-
„ cauebat lex antiqua dicens: Maledictus qui facit cæcum errare in

c Sal Pastores tãquam populorũ condimenta.

„ via. c Rursus, quemadmodum sal est pars seu qualitas terræ, quæ
reliquis ex terra productis saporem conciliat: infatuatus autem neq;
sibi vtilis est, quin foras proiectus, conculcetur: Simili modo in
operatione & exemplo Sacerdos, maximè verò qui cæteris præest,
debet esse veluti forma quædam pietatis & virtutis: vt cibus per
præcedentem doctrinam animæ ingestus, exemplo bonæ operatio-
nis, ad nutrimentum & incrementum spirituale condiatur: Quem-
admodum matres seu nutrices cibum solidum, vel in lactis speciem
proprio calore digestum, vel saltem ore suo præmansum, infantu-

Cap. X.

d Doctores primò discant, deinde docendo faciant.
Actor. 1. vers. 1
e Psalm. 118. v. 65

lis ingenere consueuerunt. d Certè Dominus ipse, cùm cæpisset
primùm facere, deinde docere, à nostra fragilitate saltem exigit, vt
docendo, vel postquam edocuerimus, ipsi ea quæ aliis præscri-
bimus, vera & possibilia factu, exemplo nostro comprobemus.
„ Qua in re optimum ordinem præscribit Psalmista: e Bonitatem, &
„ disciplinam, & scientiam doce me: nimirum vt doctrinam aliorum
præcedat suiipsius, in ipsa scientia, & in probitate, sufficiens exerci-

f Exemplum Aethnicorum sacerdotum.
Plutarchus in Moralibus.

tatio. f Antiqua etiam gentilitas obseruabat, vt Vestalibus Roma-
norum, & Dianæ Ephesiis sacerdotibus, præstituta essent tempora,
quibus primò ipsi discerent, deinde in quo seipsos exercerent, po-
stremùm in quo alios vicissim instruerent: quantò magis id seruan-
dum est in lege, quam caro & sanguis non reuelat, sed Pater cæle-
stis suo spiritu, per traditionem Ecclesiæ inspirat atq; edocet?

Xx Conque-

a Theologia passim docetur, antequam discatur. Hieron: Epist: ad Paulinum.

a Conqueritur B. Hieronymus, nullas artes mechanicas reperiri, quæ sine disciplina, exercitio, & longo vsu, admittantur: solam scripturarum diuinarum artem esse, (verba eius sunt) quam sibi passim omnes vendicant. Scribimus indocti & docti poëmata passim. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hāc vniuersi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant. Hæc ille.

b Prælatus exemplo Saulis capite & humeris populo emineat. 1 Regum 10. v. 23 Nazian: oratio: 26

b Eligitur à Domino in ducem populi sui Saul vir, quo melior in populo non inueniretur, quòd capite & humeris totum populum superaret. Quo mysterio innuitur, Pastorem animarum sanguine Christi redemptarum, debere gregi suo scientia simul & prudentia, tum etiam bona operatione antecellere. Inde S. Nazianzenus Patrem suum Episcopum in eius funere singulariter ex eo commendat, quòd in doctrina partes secundas, in pietate verò primas obtineret. Idem pulchrè monuit Ambrosius, sic Episcopos instruens:

c Boni Pastoris Idæa. Ambros: de dignit: Sacerdot: cap. 3.

c Quod sumus professione, actione potiùs quàm nomine demonstremus: vt nomen congruat actioni, actio respondeat nomini: ne nomen sit inane, & crimen immane: Ne sit honor sublimis, & vita deformis: Ne sit deifica professio, & illicita actio, &c. Sic ille.

d Eccli: 12. v: 13 Hieron: Epist. ad Heliodorum.

Et huc accommodari potest illud sapientis. d Quis miserebitur in- “
cātatori à serpēte percusso? Si enim (inquit B. Hieron:) populus pec- “
cauerit, orabit pro eo Sacerdos: pro sacerdote peccāte, quis exorabit?

e Onera intacta populo alligare quid. Matth. 23. ver. 4

e Pharisaicū etiam Dominus pronunciauit, onera impossibilia sub- “
ditis alligare, & digito nolle ea mouere. Vbi meritò reprehendit “
Dominus non onus suum, quod suaue, leue, & spontaneum est, sed “
quod supercilio & imperio Pharisaico supponitur: & quidem onus duplex, vnum præcepti quod extorquetur: alterum scandali, quod ab ipsis magistris defraudatur.

f Bernard: Epist. 201. ad Balduinū Abbatem.

f Quod eleganter B. Bernardus sic comprehendit: Pulcherrimus ordo est & saluberrimus, vt onus quod portandum imponis, tu portes prior: & ex te discas, qualiter

g Prou 26. ver. 15

h Rom. 2. ver. 21

oporteat alijs moderari. Alioqui subsannabit te g Sapiens, vtpote “
pigrum illum cui labor sit, manum porrigere ad os. Arguet te & h “
Apostolus dicens: Tu qui alios doces, te ipsum non doces? Sed & “
notaberis vitio Pharisæorum, qui alligant onera grauia & impor- “
tabilia, & imponunt ea in humeros hominum: digito autem suo “
nolunt ea mouere. Sermo quidem viuus & efficax exemplum est operis, facilè faciens suadibile quod dicitur, dum monstrat factibile quod suadetur. Ergo in his duobus mandatis, verbi scilicet & exempli, summam officij Pastoralis pendere intellige. Hucusq; Bernardus.

i Concil. Tridēt. Sess. 6. Cap. 1. de Reformat:

i Sacrum quoq; Concilium Tridentinū dicit: Integritas præsidentium, est salus subditorum. k Porrò formam boni Pastoris sic Dominus

k Legis Pastoralis summa. Esech: 34. vers. 8.

” Dominus præscripsit per Prophetam: Pascere gregem Domini, hoc
” est, pabula salubria in tempore ministrare: quod in grege infirmū
” esset, consolidare: quod ægrotum, sanare: quod confractum est,
” alligare: quod abiectum est, reducere: quod perierat, requirere:
nec cum austeritate imperare.

a Pastor bonus à mercenario, fure & lupo, differens. Ioan. 10. vers. 1

a Quam formam ad veritatis Euangelicæ compendium reduxit Saluator noster, quando primùm quidem à pastore vero, per suas proprietates discernit mercenarium, lupum, furem, & latronem: deinde quando sicut legem ipsam, sic conditionem pastoris, ad duplex officium reduxit: primò vt in pastoratu isto animarum non corporum, quantum ad intellectum, cognoscant oues suas, & vultum pecoris sui, hoc est, interiori charitatis cognitione: sic vt vicissim ab ouibus proprijs recognoscantur, eiusq; vocem sequentes, alienas voces & sequelas abominentur. Altera pars officij est ratione voluntatis, vt pastor summum affectū, qui amor est, ouibus suis exhibeat: istiusq; amoris summum gradum, vt animam suam ponat pro ouibus suis.

b Ioan. 15. ver. 13

b Summam siquidem
” charitatem, idem Dominus & Magister noster reputat, (quod & ipse
” præmonstrauit) animam pro alijs ponere: sub quo summo affectu
” & summa virtute, cæteræ quoq; ouium curæ & sollicitudines comprehenduntnr.

c Pastoralis sollicitudo in Iacob præsignata. Genes: 31. ver. 28

c Exemplar boni istius pastoratus reliquit in seipso Iacob Patriarcha, quando Laban socero suo sic exprobrabat: Vi-
” ginti annis fui tecū: oues tuæ & capræ steriles non fuerunt: arietes
” gregis tui non comedi: nec captum à bestia ostendi tibi: ego omne
” damnum reddebam: quodcunq; furto peribat, à me exigebatur: diu
” noctúq; æstu vrebar & gelu: fugiebatq; somnus ab oculis meis.

d Chrysost. hom. 22. ad populum Antioch.

Si tanta (inquit d B. Chrysostomus) de irrationabili pecude, quales decet esse de rationali anima sollicitudinem gerentes? anima inquam, omnium preciosissima, nec æquiualentem pariter totum orbem habente? &c. Hæc ille.

e Sacerdos exemplar, Episcopus apex, virtutum. 1 Petri 5. vers. 2 Hieron. de septē ordinibus Ecclesiæ. 1 Timot. 3. ver. 1

e Istam dignitatem ouium Christi, & ipsius
” Pastoratus, expressit Apostolorum Princeps, quando hortatur ad sol-
” licitam curam gregis Domini, qui sit in pastoribus ipsis, vt seipsos
” exhibeant formam eiusdem gregis ex animo. Sacerdotibus enim (inquit B. Hieronymus) insunt partes & membra virtutum, in Episcopo autem, debet inhabitare plenitudo diuinarum virtutum corporaliter. Apostolus etiam ad officium Episcopi necessitatem omnium virtutum adnectit, vt qui Episcopatum desideret, ipsum bonum opus desideret, hoc est, eminentiam præcipuarum virtutum, quas ibidem recenset.

f Hieron: Epist. ad Fabiolam.

Tanta (inquit alibi f B. Hieronymus) debet esse scientia & eruditio Pontificis Dei, vt & gressus eius & motus, & vniuersa, vocalia sint. Veritatem mente concipiat, & toto eam habitu

a Ambros: Epist. 82. ad Vercellen:

bitu resonet & ornatu: vt quicquid ait, quicquid loquitur, sit doctrina populorum. Debet namque (addamus a B. Ambrosium) præponderare vita sacerdotis, sicut præponderat gratia. Nam qui alios præceptis suis ligat, debet ipse legitima præcepta, in seipso custodire. Hæc ille.

Altera pars: De conuersatione Clericorum.

b Prælatio Pastoralis humilitate moderanda.
Lucæ 22. ver. 25

PRincipiò igitur cauenda est Pastori superbia, veluti aliorum vitiorum regina: sectanda autem est humilitas, tāquam virtutum basis quædam & fundamentū. b Quod ipse Dominus singulariter Apostolos edocuit dicens: " Reges gētium dominātur eorū, " & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem " non sic: sed qui maior est inter vos, sit sicut iunior, & qui præcessor " est, sicut ministrator. Vbi Dominus non tollit potestatem, quam semel dedisset: qui enim potestati resistit, Dei ordinationi resistit: sed eius excessum refrænat, ne diuinæ perfectionis cùm sit, ad humanos defectus delabatur. Propterea loquitur secundùm demissionis similitudinem, non secundùm authoritatis proprietatem. Cap. XI.

c Obediētia Prælatis quanta debeatur.
1 Cor. 11. ver. 3
Clemens Const: Apost. lib. 2. Cap. 33.
Ignatius Epist. ad Philadelphen:

c Quemadmodū enim Apostolus dependentiā quandam posuit mulieris à viro, viri à Christo, Christi autem quatenus homo est, ex Deo: Ad eundem modum Clemens & Ignatius, ex Apostolorum traditione, eiusmodi dependentiam constituunt, à clerico ad sacerdotem, à sacerdote ad Episcopum, ab Episcopo ad ipsum Christum simul & Deū: adeò vt qui Episcopo vel pastori restiterit, Deo ipsi restitisse censeatur. Sed (vt diximus) in tali potestate, lex Christi excludit dominatum, ad instar imperij secularis: quod Princeps Apostolorum vocat dominatum in Cleris, d hoc est, in eos qui extra communem populum, sorti dominicæ adscripti sunt, formam secularis potestatis præter leges Ecclesiasticas vsurpare. Sic accipiendus est S. Hieronymus, quādo cēset, Episcopum gradu tantùm vel vsu quodam, sacerdotē, non potestate, superare. Conuenit B. Gregorius sic scribens: Cùm culpa non exigit, omnes secundum rationem humilitatis æquales sunt. Memoratur Princeps Aethnicus, quoties togam supremæ potestatis indueret, seipsum sic præmonuisse: Attende tibi Pericles: liberi sunt quos ipse regis: Græci sunt, ciues Athenienses sunt. Tale & illud est B. Hieronymi: Episcopi sacerdotes se esse nouerint, non dominos, honorent clericos quasi clericos, vt & ipsis quasi Episcopis honor deferatur. Scitum est illud Oratoris Domitij: Cur ego te, inquit, habeam vt principem, cùm tu me non habeas vt Sena-

d Dominatus in Cleris Prælatis inhibitus.
Hieron. in Epist. ad Titū. Et Epist. ad Euagrium & Oceanum. Et de gradibus Ecclesiæ, Cap. 6.
Gregor. in Regist. lib. 1. Epi. 64
Plutarchus in Politica.
Hieron. Epist. ad Nepotianum

a Hieron: in Ezech. Caput 34.

vt Senatorem? a Et alibi, verba illa apud Ezechielem: Sed cum
" austeritate imperabatis: sic commentatur: Quod propriè ad super-
cilium Episcoporum pertinet, eorum videlicet, qui operibus dede-
corant nominis dignitatem, & pro humilitate assumunt superbi-
am: vt honorem se putent consecuturos, non onus. Et quoscunque
in Ecclesia viderint præpotentes, & Dei habere sermonem, oppri-
mere nituntur. Hæc ille. b Concludat istam monitionem ratio Ori-
genis sic scribentis: Principes gentium, non contenti tantùm rege-
re suos subiectos, violenter eis dominari nituntur. Inter vos autem
qui estis mei, non erunt hæc. Ne fortè qui videntur habere aliquem
in Ecclesia principatum, dominentur fratribus proprijs, vel pote-
statem in eos exerceant. Quoniam sicut omnia carnalia in necessita-
te sunt posita, non in voluntate, spiritualia autem in voluntate,
non in necessitate: sic & principes spiritales, principatus eorum in
dilectione subiectorum debet esse positus, non in timore corporali,
Sed & qui voluerit apud patrem meum maior esse, comparatione
fratrum suorum cæterorum, efficiatur minister eorum, quibus vult
esse maior. Et qui principatum desiderat Ecclesiæ, debet fieri omni-
um seruus in humilitate seruili, vt obsequatur omnibus in his quæ
pertinent ad salutem. Et hæc docet nos sermo diuinus. c Nos au-
tem siue non intelligentes voluntatem diuinam positam in scriptu-
ris, siue contemnentes talem commendationem Christi, tales su-
mus, vt etiam malorum principum mundi excedere superbiam vi-
deamur: & non solùm quærimus sicut reges, acies præcedentes, &
terribiles nos, & accessu difficiles maximè pauperibus exhibemus,
& tales sumus ad eos qui nos interpellant, vt propter aliquid depre-
centur, sicut nec tyranni, & crudeliores principibus mundialibus
ad subiectos. Et est videre in quibusdam Ecclesiis præcipuè ciuita-
tum maximarum, principes populi Christiani nullam affabilitatem
habentes, vel habere ad se permittentes. Et Apostolus quidem etiam
" dominis dat mandatum de seruis dicens: d Domini quod iustum est
" & æquum seruis præstate, scientes quoniam & vos habetis Domi-
" num in cælis. Docet autem & remittere minas. Episcopi autem
quidam crudeliter comminantur, aliquando quidem occasione pec-
cati, aliquādo autem contemnentes pauperum curam, cùm sit scri-
ptum: e Quantum magnus es, tantum humilia te, & inuenies gra-
" tiam coram Domino. Item in Prouerbijs: Ante contritionem ex-
" tollitur cor viri, & ante gloriam humiliatur. Principes ergo genti-
" um dominentur eorum, principes autem Ecclesiarum seruiant sub-
ditis. Sed & maiores gentium potestatem exerceant fidelium, audi-
ant

b Regimen spirituale non imperiosum.
Lucæ 22. ver. 25.
Origenes tractat. 12. in Matth:
c Contra Prælatos in clerum inhumaniores.
d Ephes. 6. ver. 9
e Eccli. 3. ver. 20
Prouer. 16. ver. 18

a Matth. 11. v. 29

ant autem eum qui dicit: [a] Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Non ista dicimus vt inclinemus Ecclesiasticum principatum.

b 1 Tim. 5. ver. 20

a Corint. 5. ver. 5

Est enim interdum quando secundum vocem Apostolicam, [b] peccantes coram omnibus arguant, vt & cæteri metum habeant. Est aliquando, vt vtens potestate sua, tradat peccantem sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluetur in die Domini nostri Iesu Christi. Tamen raro hoc fieri debet. Corripiendi enim sunt inquieti, consolandi autem pusillanimes, sustinendi infirmi, & ad omnes magnanimitas est habenda. Nulli malum pro malo reddendum, vt non existimetur inimicus qui peccat, sed corripiatur vt frater. Hucusque Origenes.

c Auaritia seu cupiditas Pastori nocentissima.

1 Tim. 6. ver. 10

[c] Secundo loco Clericis detestanda est auaritia, ex triplici eius nocumento, quod si in populo perniciosum, in sacerdote prorsus euadit exitiosum. Primò enim cupiditas dicitur esse radix omnium malorum: sacerdos autem seu pastor animarum, est veluti radix populi sibi subiecti, vt ex ipso sicut virtutes, sic vitia in subditos facillimè deriuentur.

d Ephes. 5. ver. 5

2 Cor. 6. ver. 15

Eccli. 10. ver. 10

Deinde auaritiam censet [d] Apostolus seruitutem idolorum: Sacerdos autem est Dei viui minister & vicarius. Quæ ergo conuentio erit (inquit Apostolus) Christo cum Belial? templi Dei præfecto, cum idolis? Tertiò auaritia efficit animam etiam propriam venalem: quomodo Pastor ouium Christi sanguine redemptarum cupiditate corruptus, non magis quæstum (vt loqui-

e 1 Tim. 6. ver. 5

2 Petr. 2. ver. 3

f Auaritia legem transtulit.

Isaiæ 56. vers. 11

1 Regum 2. v. 12

tur [e] Apostolus) pro pietate cōputando, de earum salute nō negotiabitur? [f] In sacerdotibus legalibus intolerabilis erat auaritia, quando illis sic exprobratur: Canes impudentissimi, nescierunt saturitatem: ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam: omnes in viam suam declinauerunt, vnusquisque ad auaritiam suam, à summo vsque ad nouissimum. Heli quoque sacerdotium reprobatur in perpetuū, quòd non vt sacerdotes, sed tanquam filij Belial, in oblationibus altaris, auaritiam suam cultui diuino præponebant. Quinetiam ipsum antiquæ legis sacerdotium & sacrificium eadem quoque ex causa sese trāslaturū prædicit Dominus, his verbis:

g Malach. 1. v. 10

[g] Quis est in vobis qui claudat ostia, & incēdat altare meū gratuito? Nō est mihi volūtas in vobis, & munus de manu vestra non suscipiam. Ab ortu enim solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda. Hæc ibi.

h Ministrorum Euangelicæ legis victus sufficiens absque auaritia.

[h] Si ergo legis illius mercenariæ, oblationes similiter tanquam mercenariæ & immundæ, reprobantur: quomodo in hostiis mundis nouæ legis gratuitæ, impuritas vitiorum, maximè verò auaritiæ, tolerabitur? Nō quòd Dominus in Euāgelio deseruerit filios, qui in lege ditauerit seruos: istis enim victum ad certas partes limitat, illis libertatem

tatem in oues, & quæ earum sunt, relaxat: verumenimverò super-
fluitatem amputat, dum necessitatem indicit, truncat affectum, dū
concedit vsum, victum prouidet, dum quæstum inhibet, præscribit
[a] (vt sacri loquuntur Doctores) ex altario viuere, non luxuriari, sed
ex iis quæ honesto victui supersunt, ad pauperes subleuandos, & Ec-
clesiæ necessitates expendere constituit: sponsæ suæ eiusque mem-
brorum indigentium, sacerdotes veluti curatores instituens. Quod
Saluator ipse edocuit, quando in parabola hominis à latronibus sau-
ciati, primam misericordiam à sacerdote requirit: & propter eius de-
fectum, ipsum & statum Leuiticum postponit Samaritano, qui mise-
ricordiam præstitisset. [b] Idipsum Apostoli ex dominica ordinatione,
& ipsi fecerunt, & aliis faciendum præscripserunt. Apud S. Clemē-
tem sic ordinatum legimus. Pauperum memineris Episcope, manū
porrigens adiutricem, atque eorum curam habens tanquam Dei di-
spensator: distribuendo cuique in tempore quæ commoda sunt: vi-
duis, pupillis, derelictis, ac destitutis, & calamitosis. Hæc ibi. Alio-
qui maximè sacerdotes afficit lex illa, ex Ambrosio desumpta: Pa-
sce fame morientem. Quisquis enim pascendo hominem seruare pos-
sis, si non paueris, occidisti. Et quoniam in tanto pietatis opere, si
ratio desit meritum quoque euacuari potest, si exemplo Caim rectè
quidem offeratur, sed non bene diuidatur: opportunum his tempo-
ribus duximus, eiusmodi beneficentiæ regulam, ex eodem B. Am-
brosio adscribere. [c] Debet (inquit ille) liberalitatis esse modus, ne fiat
inutilis largitas: cuius sobrietas tenenda est, maximè sacerdotibus,
vt non pro iactantia, sed pro iustitia dispēsent. Nusquam enim ma-
ior auiditas petitionis. Veniunt validi, veniunt nullam causam nisi
vagandi habentes, & volunt subsidia vacuare pauperum, exinanire
sumptum: nec exiguo contenti, maiora quærunt, ambitu vestium
captantes petitionis suffragium, & natalium simulatione licitantes
incrementa quæstuum. His si quis facilè deferat fidem, citò exhau-
rit pauperum alimoniis profutura compendia. Modus adsit largi-
endi, vt nec illi inanes recedant, neque transcribatur vita pauperum in
spolia fraudulentorum. Ea ergo mensura sit, vt neque humanitas de-
seratur, nec destituatur necessitas. Plerique simulant debita: sit veri
examen. Exutos se per latrocinia deplorant: aut iniuria fidem fa-
ciat, aut cognitio personæ, quo propensiùs iuuentur. Ab Ecclesia re-
legatis sumptus impartiendus, si desit eis alendi copia. Itaque qui mo-
dum seruat, auarus nulli, sed largus omnibus est. Non enim solas au-
res præbere debemus audiendis precantium vocibus, sed etiam ocu-
los considerandis necessitatibus. Plus clamat operatori bono debi-
litas.

a Ex altari viuendum, sed non luxuriandum. Hieron: Epist. ad Nepotianum. Et in 3. caput Micheæ. Bernardus Serm. de cæna Domini. Et Epist. 2. ad Fulconem. Lucæ 10. ver. 31

b Pauperum cura incumbit clericis, ex ijs quæ suppetunt.

Clemens Const. Apost. lib. 3. ca. 5

Ambr. in Officiis. Distinct: 86. cap. Pasce.

Eleemosynæ rectè distribuendæ regula. Ambros. lib. 2 offic. Cap. 16.

litas, quàm vox pauperi. Neq; verò fieri poteſt, vt non extorqueat ampliùs importunitas vociferantium, ſed non ſemper impudentiæ locus ſit. Videndus eſt ille, qui te non videt, requirendus ille, qui erubeſcit videri. Ille etiam clauſus in carcere, occurrat tibi, ille affectus

a Miſericordia nũquam exhauritur.

ægritudine, mẽtem tuam perſonet, qui aures non poteſt. a Quo plus te operari viderit populus, magis diliget. Scio pleroſq; ſacerdotes, quò plus contulerunt, plus abundaſſe: quoniam quicunq; bonum operarium videt, ipſi confert, quod ille ſuo officio diſpenſet, ſecurus quod ad pauperem ſua perueniat miſericordia. Nemo enim vult, niſi pauperi proficere ſuam collationem. Nam ſi quem aut immoderatũ, aut nimis tenacem diſpenſatorem viderit, vtrumq; deſpiciet, ſi aut ſuperfluis erogationibus diſsipet alieni fructus laboris, aut recondat ſacculis. Sicut igitur modus liberalitatis tenendus eſt, ita etiam calcar plerunq; adhibendum videtur. Modus ideo, vt quod benefacis, id quotidie facere poſsis, ne ſubtrahas neceſsitati quod indulſeris effuſioni: Calcar propterea, quia melius operatur pecunia in pauperis cibo, quàm in diuitis ſacculo. Caue ne intra loculos tuos includas ſalutem inopum, & tanquam in tumulis ſepelias vitam pauperum. Hactenus Ambroſius b Similem modum alendi pauperes apud S. Clementem in conſtitutionibus Apoſtolicis reperies.

b Clemens cõſt. Apoſt. lib. 3. ca. 4

Cap. XIII

c Luxuria Clericis cur maximè fugienda.

1 Cor. 6. verſ. 18

c Sequitur in ordine vulgo recepto, tertium luxuriæ vitium, tã tò deteſtabilius, quantò more aliorum omnium anima inquinata, in corpore etiam, quod templum ſpiritus ſancti eſt, reatum quoq; & maculam relinquit, vt Apoſtolus docet: proptereaq; alieniſsimum eſſe debet à ſacerdote, tanquam miniſtro & locum tenente Dei ipſius, qui ſumma puritas eſt, nec aliquid coinquinati admittit. Hinc eſt, quòd in lege veteri quæ propagationem carnalem promouebat, perſonis tamen cultui diuino ſequeſtratis dixerit Deus: d Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum. Et quamuis ex ordinatione legis illius, ſinguli matrimoniis addicerentur: eorum tamen qui ex Leuitico ordine eſſent, nuptiæ ſingulari virginitatis delectu honorantur, & nequaquam ea quæ quoquo modo polluta eſſet, ſacratiori illi thoro copulatur. Tum verò ſacerdotum ordo ille numeroſiſsimus, e in ſingulas vices ſic erat diſtributus, vt interualla diuini officii caſta prorſus & illibata cuſtodirentur. Huc etiã poteſt deriuari illud: f Incorruptio proximum facit eſſe Deo. g Iam verò duo præcipua ſunt, quibus Deus maximè homini coniungitur: primum eſt coniunctio in anima per pactum ſeu fœdus, per quod ſeruituti diuinæ mancipatur, iuxta illud: Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Et rurſus: Si quis diligit me, ſermonem meum

d Leuit. 11. v. 44 Et cap. 21. ver. 13 Eſech. 44. ver. 22 Auguſ. Serm. 249 de Tempore.

e Lucæ 1. ver. 8

f Sap. 6. ver. 20

g Caſtitatis clericorum ratio, & exempla.

Galat 3. ver. 27

Ioan. 14. verſ. 23

seruabit;

ſeruabit: Et pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Alterum eſt, per quod homo Chriſto in anima ſimul & corpore vnitur, per dignam Euchariſtiæ perceptionem, quemadmodum ipſe dixit: a Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Conſtat autem, quòd ad vtrunq; horum, in lege illa quantumuis carnali, requirebat Dominus ſingularem continentiam. b Nam ante ſolennitatẽ promulgandæ legis per Moyſen, admonebatur populus Domini, vt à proprijs vxoribus ſeſe continerent. Et ad comeſtionem panũ propoſitionis, c Dauid cum ſuo cœtu non niſi rei vxoriæ abſtemius admittitur. Si igitur (inquit d Ambroſius) tanta obſeruantia fuit in typo, quanta requiritur in veritate? ſi in plebe, cur non in ſacerdote? ſi in participante, cur non magis in miniſtrante, etiam & conficiente? Idem obſeruatum fuiſſe apud e Aethnicos, ſufficiat atteſtatio Auguſtini ſic ſcribentis: Sacerdotes Paganorum dum offerre debent Dijs ſuis incenſa, ab omni malo, vt poſſunt, abſtinent. Ecce ego iam Epiſcopus Hipponenſis eram, & cum quibuſdam ſeruis Chriſti in Aethyopiam perrexi, vt eis ſanctum Euangelium prædicarem: ſacerdotes eorũ vidimus vxoratos, tantæ tamen abſtinentiæ erant, quòd licet vxores omnes ſacerdotes haberent, nunquam tamen niſi ſemel in anno eas tangere volebant, qua die ab omni ſacrificio abſtinebãt: & ſeptimana in qua Dijs ſuis thura offerre debebant, ab omni labe carnis ſe abſtinebant. f Nihil etiam ſumebant, niſi metretam aquæ per diem: Et ſic contenti manentes, dignè ſacrificium Dijs ſuis offerebant. O grandis Chriſtianorum miſeria: Ecce Pagani Doctores fidelium facti ſunt. Hæc ille. g Epiſcopi etiam ſeu animarum paſtores ſunt milites, vel potiùs duces militiæ, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus, iuxta illud Apoſtoli ad Timotheum Epiſcopum: Labora vt bonus miles Chriſti, &c. Sed ſecundùm eundem Apoſtolum, milites ſeculares, etiam gentiles, propter coronam temporalem, ab omnibus ſe abſtinent: quid facient duces militiæ ſpiritualis, vt coronã incorruptam & ſibiipſis, & ſibi ſubditis adipiſcantur? h Caſtra Romanis adhuc infidelibus (ſcribit Iſidorus) dicta fuiſſe quaſi caſta, vel à caſtrando, quòd ibi caſtretur omnis libido. Quòd etiam arguit illud Poëtæ carmen:

Caſtra peto: Valeatq; Venus, valeantq; puellæ.

Experientia ſiquidem habuiſſe comprobatum tradunt, caſtra effœminata bello plerunq; ſuccubuiſſe: vt vel in ſummis alioqui Perſarum & Romanorum Imperatoribus, Dario & Antonio euentus cõprobauit. Quod etiam Tertullianus ſic arguit. Perierunt cælibum

familiæ,

a Ioan. 6. ver. 54

b Exod. 19. v. 15

1 Regum 21. V. 4

Hieron: in 1. Caput Epiſt: ad Titum.

c Ambroſ: lib 1 Off: Cap. 50.

d Sacerdotum Aethnicorũ continentia.

Auguſt: Serm: 37 ad Eremitas.

e Caſtitatem abſtinentia fouet.

f Continentia militaris, ſacerdotibus ſuperanda, Epheſ. 6, ver. 12

2 Timot. 2. ver. 3

1 Cor 9. verſ. 25

g Caſtra à caſtrãdo, in Eccleſia magis quàm in bello dicenda.

Iſidorus Etymol: lib. 9. Cap. 3.

Haymo in Cap. 11 Epiſt. ad Hebr:

Tibullus.

Ioan Turpinus de vita Caroli Magni, & Rolandi. Cap 21.

Tertull. exhortat. ad caſtitatem.

Hieron ad Euſtochium de cuſtod: virginit:

familiæ, ſpadonum militum, aut peregrinantium ſine vxoribus? Non enim & nos milites ſumus, eò quidem maioris diſciplinæ, quò & tanti Imperatoris? Non & nos peregrinantes in iſto ſeculo ſumus? In eandem ſententiam Hieronymus ſic ſcriptum reliquit: Nemo miles cum vxore pergit ad prelium: cùm Apoſtolus ſine intermiſsione nos orare iubeat, & qui in coniugio debitum ſoluit orare non poſsit: aut oramus ſemper, & virgines ſumus, aut orare deſinimus, vt coniugio ſeruiamus. [a] Idem alibi cælibes exponit quaſi cælo dignos vel deſtinatos, quòd carnalem concupiſcentiam abiecißent. Cui conſonat illud apud Prophetam: Non dicat Eunuchus: Ecce lignum aridum ego ſum. Quia hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui cuſtodierint ſabbatha mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum: dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus: nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit. [b] Vbi clariſsimè prædicitur ex conſilio Euangelico votum caſtitatis, illiuſq; firma profeſsio, & retributio, in vtroq; ſexu Quod Dominus ipſe expreſsiùs poſtmodum diſtinxit dicens: Sunt Eunuchi, qui de vtero matris ſic nati ſunt: & ſunt Eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus: & ſunt Eunuchi, qui ſeipſos (nota votū electionis) caſtrauerunt propter regnum cælorum. Qui poteſt capere capiat. Eos ſtatus in Eccleſia diſtinxit quoq; Apoſtolus, quando ſcribit: [c] Alligatus es vxori, noli quærere ſolutionem: ſolutus es ab vxore, noli quærere vxorem. Per alligationem enim intelligit votum matrimoniale: per ſolutionem autem, votum ſeu profeſsionem caſtitatis. Quod etiam intelligit, quando poſtea, eum qui cum vxore eſt, huic ſeculo, qui verò ſine vxore, Deo, intentum & mancipatum, cenſet. Alioqui eſſet ſibi contrarius Apoſtolus, qui perſonas vtiq; ſeculares propter vitandam fornicationem inſtruxerat, vt vnuſquiſq; propriam vxorem haberet, iam verò vxorem non habenti, eam quærere, eiq; alligari inhiberet. [d] Ne tamen matrimonium quod & ipſum ſacramentum eſt, videretur abſoluta excluſione fore damnatum, vel inhonoratum: admiſit Eccleſia ad ſtatum iſtum immaculatum, non maritos, ſed vxore, & quidem quæ virgo accepta fuiſſet, viduatos ſeu orbatos, qui ad ſecundas nuptias non reuertendo, ſignum continentiæ præſeferrent: è conuerſo autem bigami, magis verò polygami excludebantur. Quales Apoſtolus vnius vxoris appellat viros, vt tali denominatione præteritum matrimoniū honoraret: viros vtiq;, non maritos, vt volunt hæretici, hoc eſt, qui morte coniugis, mariti eſſe deſierint: ſicut phraſim iſtam clariùs exprimit Apoſtolus dicens: [e] Eligatur vidua, quæ fuerit vnius viri

[a] Cælibatus vtriuſq; ſexus dicitur q̄ſi cælo dignus. Hieron: lib. 2. cōtra Iouinianum. Iſaiæ 56. verſ. 4 Hieron: ſuper hunc locum. Origenes ibidem tractatu 7. Auguſt: de virginit: Cap. 24.

[b] Votum caſtitatis liberū, eiuſq; retributio. Matth. 19. ver. 22 Hieronymus ſuper hunc locum. Baſilius libro de virginitate.

[c] Alligari vxori, & ſolui ab vxore Apoſtolo quid? 1 Cor. 7. v. 27, 32

[d] Vir vnius vxoris Apoſtolo q̄d, & cur ad ordines Eccleſticos admiſſus? 1 Timot. 3. ver. 2 Tit. 1. verſ. 7.

[e] Timot 5. ver. 9

vxor. Si enim vidua, quomodo vxor? ſi aliquando fuerit, quomodo in præſenti vxor reputatur? Admiſit autem tales Eccleſia ad ſtatum iſtum cælibem, vbi ij qui prorſus eſſent cælibes (qualis erat Timotheus, & alij ſimiles) non reperiebantur: ea quoq; ratione, quòd initio exorientis Eccleſiæ, ſchola & diſciplina Chriſtianiſmi nondum vigente, ij qui vnicum matrimonium cum laude exegiſſent, exemplo domus propriæ, ad regendum domum Dei, exemplo rurſus bonæ educationis filiorum, ad ſubditos in fide rectiùs gubernandos, aptiores cenſerentur, vt [a] Apoſtolus declarat.

Cap. XIIII

[b] Inſenſati igitur mente, & carne nimirum lubrici, ſunt hæretici, qui ad ſua miniſteria, viros non alios niſi ſimul maritos depoſcāt, & quidem vnius vxoris: quaſi verò viuente vna, plures vxores lex Euangelica admittat: adeò vt in locis hæreſi eorum infectis, [c] qui mulierculam vxorem nō circumduxerit, regimini Eccleſiarum minimè idoneus videatur. Quibus perbellè congruit illud, quo B. Hieronymus [d] perſtringit dormitantem cum ſuis aſſeclis Vigilantium: Proch nefas: Epiſcopos ſui ſceleris dicitur habere conſortes: ſi tamen Epiſcopi nominandi ſunt, qui non ordinant diaconos, niſi priùs duxerint vxores, nulli cælibi credentes pudicitiam, immò oſtendentes quàm ſanctè viuant, cui malè de omnibus ſuſpicantur: & niſi prægnantes viderint vxores clericorū, infanteſq; de vlnis matrum vagientes, Chriſti ſacramenta non tribuunt. [e] Quid facient Orientis Eccleſiæ? quid Ægypti, & ſedis Apoſtolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut ſi vxores habuerint, mariti eſſe deſiſtunt? Hoc docuit Dormitantius, libidini fræna permittens, & naturalem carnis ardorem, qui in adoleſcentia plerunq; feruеſcit, ſuis hortantibus duplicans, immò extinguens coitu fœminarum: vt nihil ſit, quo diſtemus à porcis, quo differamus à brutis animantibus, quo ab equis, de quibus ſcriptum eſt: [f] Equi inſanientes in fœminas facti ſunt mihi: vnuſquiſq; in vxorem proximi ſui hinniebat. Hoc eſt, quod loquitur per Dauid ſpiritus ſanctus: [g] Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, Et rurſum de Dormitantio, & ſocijs eius: In chamo & fræno maxillas eorum cōſtringe, qui non approximant ad te. Huсuſq; Hieronymus. [h] Arripiunt iſti ſacrilegarum nuptiarum paranymphi & illud, vbi Apoſtolus docet, Epiſcopum eligendum habentem filios ſubditos & fideles. Cuius rei rationem paulò ante attigimus: ſufficiat modò breuis B. Ambroſii reſponſio. Proponit quidem Apoſtolus Epiſcopum filios habentem, ſed non filios facientem, neq; nuptias iterantem. Clariùs verò Hieronymus: Non dicit Paulus: Eligatur Epiſcopus, qui vnam ducat

[a] 1 Tim. 3. ver. 9

[b] Cælibatus hæreticorum carnalis & beſtialis.

[c] 1 Cor. 9. ver. 5

[d] Miniſtrorum vxoratorū apud hæreticos Idæa.

[e] Sacerdotū Orientalis Eſcleſiæ continentia. Vide etiā Bernar: Serm 65. in Cāt:

[f] Hierem. 5. v. 8.

[g] Pſalm. 31. ver. 8

[h] Apoſtolus eligit Epiſcopū filios habentem, nō facientem. 1 Timot. 3. ver. 4 Ambr: Epiſt. 82 ad Vercellen: Hieron: ad Nepotianum, de vita Clericorum.

vxorem, & filios faciat: sed qui vnam habuerit vxorem, & filios in omni subditos disciplina. Certè confiteris non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat. Alioqui si deprehensus fuerit quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur. Sed & hoc inserendum. [a] Si laicus, & quicunq; fidelis orare non potest, nisi careat officio coniugali: sacerdoti cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est: si semper orandum est, ergo & semper carendum matrimonio. Hæc ille. [b] Deniq; Apostolus fornicationis & concupiscentiæ maximum & vltimum remedium censet fugam. Iam verò votum seu professio, sicut matrimonij, generat studium, sic votū seu professio cælibatus, promouet diffugium. Propterea iura Ecclesiastica clericis inhibent mulierum, præsertim de quibus posset esse suspitio, non solùm commixtionem & cohabitationem, sed etiā conuersationem. Quod B. Hieronymus sic appositè præmonet: Hospitiolum tuum aut raro, aut nunquam mulierum pedes terant. Omnes puellas aut virgines Christo, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Nec sub eodem tecto mansites: nec in præterita castitate confidas: nec sanctior Dauide, nec Samsone fortior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper, quòd paradysi colonum de possessione sua mulier eiecerit. Hactenus Hieronymus. S. [c] Cyprianus vel potiùs Origenes, qui seipsum castrasset, ad hóc propositum, edidit tractatum de singularitate clericorum: vbi inter cætera sic habet: Præoccupandus est aditus cunctis insidijs, ne hostilitas prior obrepens occurrat improuidis. Salutare remedium est, præuenire potiùs, quàm preueniri, &c. Si per omnia calamitatibus cunctis tollimus locum, dum gerimus prouidentiam temporum futurorum: quantò magis ante præuenienda est calamitas fœminarum, cuius cupido si admittitur incipere, nunquam prorsus accipit finem. Et deinceps inquit: Non despecta, non vetula, siue affinitate, peculiariter suscipienda ad domesticum obsequium: Quia magis illicitè delinquitur, vbi sine suspicione securū potest esse delictū: Maximè quia cupidini nulla deformitas, nulla despectio fastidij, vel vis existit: sed diabolus pingens speciosum efficit, quicquid fedum vel horridū fuit. Hæc ibi.

[d] Sequitur in ordine capitalium vitiorum, gula & ebrietas, tàm ciborum, potuum, quàm vestium. Quæ omnia in seruo & ministro Christi, tantò minùs loci habere debent, quantò ille cibi & potus celestis qui non perit, sed æternitatem acquirit, nō solùm est particeps, sed diuinus administer. [e] Et qui singulis altaris vestibus singulas profitetur virtutes, (vt suo loco diximus) quarum gloria cum sponso suo ad intus debet esse ornatus, non est quod externa corporis ornamenta

[a] Oratio iugis sacerdotum, requirit castitatem.
1 Cor. 7. ver. 5, 34

[b] Fornicationis fuga secura per cælibatū, & separationem à fœminis.
1 Cor. 5. ver. 18
Hieronymus ad Nepotianum.

[c] Cypr: de fuga fœminarum.
Origenes seipsū castrauit.
Eusebius Cæsar: Hist. Eccles. lib. 6. Cap. 7.
Nicephorus lib. 5 Cap. 8.

[d] Luxus in victu & vestitu sacerdoti vitandus.
Ioan. 6. ver. 27.

Cap. XV.

[e] Vestitus altaris signat virtutes Ministri.
Ambr. Epist. 82

namenta attendat. Sed de his vt solemus sacros potiùs monitores audiamus. Sectanda præcipuè esset clericis cibi & potus moderatio, quā S. Bernardus prolixiùs pertractat, vbi inter alia sic habet. [a] Notandum est, quòd duplex est abstinentiæ virtus. Vna intus in mente, altera foris in actu. Et ea quidem quæ in mente est, semper est habenda. Ea verò quæ est in actu, pro rerum ac temporum qualitate manifestanda est. Benè ergo Ioannes, qui purus homo erat, abstinentiā tâm in mente quàm in corpore exercebat, ne fortè contaminaretur: sed homo noster verus Iesus, qui maculari non poterat, cibis & potibus pro tempore vtebatur, vt conuescentes sibi ad virtutem attraheret abstinentiæ, cæterasq; virtutes. [b] Nec credas vllo modo, maiorē esse virtutem omnino abstinere à cibis, quàm ipsis cibarijs vti moderatè. Difficillimum est enim in cibarijs modum seruare omnimodū, ita vt vltra quàm naturæ potest sufficere, nihil sumatur, nec ipsi naturæ aliquid de necessarijs subtrahatur. Si ergo contingat aliquem habere virtutem abstinentiæ cum Ioanne, scilicet vt ipsam mente & opere exerceat: non condemnet eum qui abstinet cum perfectissimo Iesu, id est, qui abstinentiam prout tempora exigunt & personæ, pro vtilitate vel proprij corporis, vel proximi, nunc intendit, nunc remittit, obseruans tamen in omnibus, omnia quæ circa virtutem abstinentiæ sunt seruanda, vt semper vitij abstinentiæ oppositi (id est gulæ) crimen euitet: [c] cuius vitij abusiones hoc versu notantur: Præproperè, lautè, nimis ardenter, studiosè. Præproperè enim comedunt & bibunt, qui tempus comedendi præueniunt, sola voluptate, non necessitate coacti, &c. Istos modos suo ordine explicat: quod breuitati studentes legendum ibidem relinquimus, [d] Quamquā verò ebrietas omnibus in vniuersum hominibus noceat: sacerdotum tamē dignitati, officijs, & virtutibus ad ea requisitis (de quibus hactenus diximus) prorsus est exitiosa. Sanctus Hieronymus & Isidorus inserunt exemplum à Nazaræis, quibus prohibitus fuit vsus vini & siceræ, hoc est, cuiuscunq; potus qui inebriare possit: quod etiā sanctus Ioannes Baptista legis & Euangelij veluti limes obseruauit. Si igitur Nazaræi vmbratiles Dei ministri, tantam abstinentiam seruauerunt: si Baptista qui digito tantùm Christū demonstrauit: quid facient veri ministri Christi, & dispensatores mysteriorum Dei? qui filium Dei sacro (vt inquit Hieronymus) ore conficiunt, & manibus pertractant? [e] Sanctus Basilius ebrietatem sic depingit: Ebrietas dæmon est voluntarius, ex voluntate animabus nostris inditus. Ebrietas malitiæ mater est, virtutis inimica, fortem virum reddit ignauū, ex temperato facit lasciuum, iustitiam ignorat, prudentiam extinguit,

ad Vercellen.
Supra Ser. 6. ca. 27 & Serm. 11. ca. 13

[a] Cibi & potus regula, præsertim Clericorum.
Bernar. de Passione Domini ca. 42

[b] Cibi & abstinētiæ moderatio

[c] Gulæ modus quintuplex.

[d] Ebrietas laicis noxia, sacerdotibus exitiosa: cōtra quam exemplum Nasaræorū.
Hieronymus in Esech. Cap. 42

[e] Ebrietatis mala quanta.
Basilius homel: 14. in ebrietatē & luxum.

guit. Sicut enim aqua igni est aduersa, sic vinum immodicum rationem supprimit. Quamobrem vereor contra ipsum aliquid dicere, non vt te paruo quidem aut contemnendo malo, sed quòd nihil sim per meum sermonem profecturus: nec aliquid vtilitatis allaturus. Si enim ebrius insanit ac tenebris obuoluitur, vanus labor fuerit apud non audientem verba facere. a Quos igitur alloquemur, siquidem is, qui admonitione indiget, minimè dictis auscultat? Quid igitur faciam, si & oratio mea sit inutilis futura? Silentium verò desperationem resipiens? præteribimusné diligentiam? At negligentia periculosa, quamobrem loquar. Omnino loquar aduersus ebrios, & apud sepultas aures clamabimus. Quanquam vt in pestilentia solet euenire, ij qui corpora curant, sanos quidem & eo morbo liberos, adiumentis quibusdam ad sanitatem seruandam facientibus, securos reddunt. Illos verò qui iam affecti sunt: minimè attingunt: Sic sermo noster ex parte tantùm aliqua proficere poterit, custodiam & cautionem his qui morbo isto nondum laborant monstrando: hos verò qui iam illo tenetur, pretereundo. b Qua in re, dic homo miser, à brutis differs? nonne rationis munere, quam à Deo omnium conditore accepisti, reliquæ creaturæ omnis factus Dominus & imperator? Hoc igitur te mentis lumine per ebrietatem priuans, inter bestias ratione carentes annumerari poteris, similisq; illis videri. Immò & bestijs longè peiores eos existimauerim, qui ab ebrietate superantur, quum illæ coëundi statas habeant leges & horas, at ij, quòd plus æquo se vino ingurgitauerint, corpusq; superuacuo calore concitauerint, in commiscendo nullius temporis & horæ rationem habentes, nequissimis complexibus & amoribus inter se vtūtur. Nec solùm eò peiores brutis, quòd mente insani aut ebrij, sed etiam quòd sensibus longè infra illa deficere videantur, &c. Quod per singulos sensus ostendit, asserens ebrij hominis crimen, culpā nō excusare, sed aggrauare tanquam duce diabo lo commissam, cuius lege ad certamina poculorum prouocentur. c Chrysostomus autem ait: Diabolo nemo magis est amicus, quàm qui delitijs & ebrietate maculatur: hic enim fons, hæc mater atq; origo vitiorum omnium est. Hac via olim Hebræos in cultum Diabolus idolorū iniecit: hæc iniquos amores Sodomitarum inflammauit: Hæc enim, ait, iniquitas est Sodomæ, in copia & plenitudine panis luxuriabantur: hac deniq; via mille alij gehennæ traditi periêre. Sues ex hominibus facit: immò verò etiam suibus multò deteriores, &c. Subinfert postea rationem, sues, canes, & alias vilissimas bestias, cibum vel potum ad satietatem sumptum, etiam cum extrema coactione abominari: gulosum

a Ebrietas quāmis ægrè tamen disuadenda.

b Ebrij brutis redduntur stolidiores.

c Ebrietas culpæ & pœnarū origo: eiusq; turpitudo. Chrysost: homel. 58. in Matth. Esec. 16. ver. 49 Hieronym: lib. 2 cōtra Iouinianū. Et in caput 5. ad Galatas.

losum autem & ebriosum eiusmodi crapulam nunc vltro, nunc etiā coactè, lege quadam diabolica arripere, in eaq; & suis stercoribus (secundùm a Propheram) plusquam iumenta computrescere. b Obseruat etiam Augustinus, homines propter consuetudinem peruersam, ebrietatem pro nullo vel paruo peccato ducere: cùm tamen Apostolus, recensens peccata summa vltione digna, nimirum idololatriam, fornicationem, masculorum concubitus, adulteria, inter hæc etiam ebriosos referat. Ideò præter pœnā æternā, temporales quoq; pœnæ contra ebriosos sacerdotes sunt cōstitutæ, vbi inter alia sic habetur: c Sacerdos quilibet, si inebriatur per ignorantiam, septem dies pœniteat, in pane & aqua: si per negligentiam, quindecim dies: si per contemptum, quadraginta dies. Diaconus vel Monachus, secundùm ordinem vt dictum est, ceu vt reliqui clerici & ministri iuxta ordiné, iudicio sacerdotis pœniteant. Laici verò vota non habentes, si inebriantur, arguantur à sacerdote, quòd ebriosi regnum Dei non possidebunt, & interitus sit ebrietas, & compellat eos pœnitere. Alioqui (inquit d Augustinus) pro ista ignorantia, quòd ebrietas nullum vel paruum reputatur peccatum, maximè sacerdotes in die iudicij reddituri sunt rationem, si commissis sibi populis, quæ & quanta mala de ebrietate nascuntur, assiduè nolint prædicare. Hæc ibi. Addit alia lex: e Si Episcopus, vel presbyter, vel diaconus, admonitus, ab ebrietate non desistat, deponatur: subdiaconus, vel inferior, siue laicus, communione priuetur. Idem de comessationibus & luxuriosis conuiuijs intelligendum. f Cuius luxus deuitandi causa, interdictum est clericis, tabernas, non solùm ad luxuriandū, sed etiam ad vllam conuersationē, intrare, nisi fortè peregrinationis ineuitabili necessitate.

Cap. XVI. g Porro conuiuia clericos prorsus deuitare, istis rationibus suadet B. Hieronymus sic scribens: Conuiuia tibi vitanda sunt secularium, & maximè eorum, qui honoribus tument. Turpe est, ante fores sacerdotis Christi crucifixi & pauperis, & qui cibo quoq; vescebatur alieno, lictores consulum, & milites excubare, iudicemq; prouinciæ meliùs apud te prandere, quàm in palatio. Quod si obtenderis te facere hæc, vt roges pro miseris atq; subiectis: iudex seculi plus deferret clerico continenti, quàm diuiti: & magis sanctitatem tuam venerabitur, quàm opes. Aut si talis est, qui non audiat clericos pro quibuslibet tribulatis, nisi inter phyalas, libenter carebo huiuscemodi beneficio: & Christum rogabo pro iudice, qui magis, & citiùs subuenire potest, quàm iudex: meliùs enim est confidere in Domino, quàm confidere in homine: meliùs est sperare in Domino, quàm sperare in principibus. Et postea sic subijcit: Hippocrates adiurat discipulos,

a Ioel 1. ver. 17

b Ebrietatē pro peccato non reputari, vel permitti quātūnefas August: Serm: 232 de Temp: Galat. 5. vers. 20

c Cōtra clericos ebriosos pœnæ. Burchardus libr: 14. Decretorum.

d August. loco citato.

e Distinct: 35. Cap. Episcopus: Distinct: 44. Cap. Comessationes.

f Tabernæ Clericis interdictæ. Distinct. 44. Cap. Non oportet. Eutichianus Papa Tom: 1. Cōciliorum Cap. 21. Non licet. Concil: 2. Lateranen: Cap. 16.

g Conuiuia Clericorum. Hieronymus ad Nepotianum.

Psalm. 117.

ſcipulos, antequã doceat, & in verba ſua iurare compellit, extorquet
ſacramento ſilentium, ſermonem, inceſſum, habitum, moresq; præ-
ſcribit: quantò magis nos, quibus animarũ cura commiſſa eſt, om-
nium Chriſtianorum domos debemus amare, quaſi proprias? Con-
ſolatores potiùs nos in mœroribus ſuis, quàm conuiuas in proſperis
nouerint. Facilè contemnitur clericus, qui ſæpè vocatus ad prandi- (Actor. 20.)
um, non recuſat. Hæc Hieronymus. Si quando autem clericos con-
uiuijs intereſſe oportebit, meminerint ſe [a] à Domino ſali terræ eſſe "
comparatos, vt nimirum ſecundùm Apoſtolum, ſermo illorum ſit "
ſale conditus ad aſsidentium ædificationem: Alioqui conuiuia de- "
uitantes, domi ſeipſos meliori vtiq; epulo ſpirituali reficiant. Quod
S. Ambroſius ſic optimè præſcribit: [b] Conuenire maximè officio-
rum Eccleſiaſticorum miniſtris arbitror, declinare extraneorũ con-
uiuia: vel vt ipſi hoſpitales ſitis peregrinantibus, vel vt ea cautione
nullus ſit opprobrio locus. Conuiuia quippè extraneorum occupa-
tiones habent, tum etiam epulandi produnt cupiditatem. Surrepunt
etiam fabulæ frequenter de ſeculo ac voluptatibus, claudere aures
non potes: prohibere, putatur ſuperbiæ: ſurrepunt etiam præter
voluntatem pocula. Meliùs eſt tuæ domui ſemel excubes, quàm ali-
enæ frequenter: & vt ipſe ſobrius ſurgas, tamen ex aliena inſolentia
condemnari non debet pręſentia tua. [c] Viduarum ac virginum do-
mos, niſi viſitandi gratia, iuniores adire non eſt opus: Et hoc cum ſe-
nioribus, hoc eſt, vel cum Epiſcopo, vel ſi grauior eſt cauſa, cũ pres-
byteris. Quid neceſſe eſt, vt demus obtrectandi locum ſecularibus?
Quid opus eſt, vt illæ quoq; viſitationes crebræ accipiant authori-
tatem? Quid ſi aliqua illarum fortè labatur? Cur alieni lapſus ſubeas
inuidiam? Quàm multos etiam fortes illecebra decepit? Quanti nõ
dederunt errori locum, & dederunt ſuſpicioni? [d] Cur non illa tem-
pora quibus ab Eccleſia vacas, lectioni impendas? Cur non Chriſtũ
reuiſas, Chriſtum alloquaris, Chriſtum audias? Illum alloquimur
cùm oramus, illum audimus, cùm diuina legimus oracula. Quid no-
bis cum alienis domibus? vna eſt domus, quæ omnes capit. Illi po-
tiùs ad nos veniant, qui nos requirunt. Quid nobis cum fabulis? Mi-
niſterium altaribus Chriſti, non obſequium hominibus deferendum
recepimus. Humiles nos eſſe decet, mites, mãſuetos, graues, patiẽtes,
modum tenere in omnibus, vt nullum vitium eſſe in moribus, vel ta-
citus vultus, vel ſermo annuntiet. Similiter iracundiam, & reli- (Cap. XVII)
qua vitia à ſacerdote idem Ambroſius exterminat, ſic ſcribens: [e] Sup-
plicaturus pro populo, eligi à Domino, probari debet à ſacerdotibus,
ne quid ſit quod in ipſo grauiter offendat, cuius officium eſt pro ali-
orum

[a] Matth. 5. v: 13 Coloſ. 4. verſ. 5

[b] Conuiuiorum incommoda. Ambr. Off. lib. 1 Cap. 20.

[c] Viſitationes laicorum, & fœminarum Clericos dedecent.

[d] Occupationes domeſticæ Clericorum, & mores.

[e] Sacerdotis, à Deo electi, ab Eccleſia approbati, mores.

orum offenſa interuenire. Neq; enim mediocris virtus ſacerdotalis
eſt, cui cauenda non ſolùm ne grauioribus flagitijs ſit affinis, ſed ne
minimis quidem: vt ſit promptus ad miſericordiã, promiſſum non
remordeat, lapſum reuocet, compatiatur dolori, manſuetudinem te-
neat, pietatem diligat, iram repellat vel decoquat, ſit quidam lituus
plebis excitandæ ad deuotionem, mitificandæ ad tranquillitatem.
[a] Vetus dictum eſt, aſſueſce vnus eſſe: vt vita tua quandam picturã
exprimat, eandem ſeruans ſemper imaginem, quam acceperit. Quo-
modo vnus poteſt eſſe, qui nunc iracundia inflammatur, nunc indi-
gnatione graui exæſtuat, nunc vultu excandeſcit, nunc pallore im-
mutatur, per momẽta varius & diſcolor? [b] Sed eſto ſit naturæ iraſci,
aut plerunq; cauſæ, hominis eſt tamen temperare iracundiam, non
leonino raptari furore: non norit aſſueſcere clamori, non ſerere nec
acerbare familiare iurgium. Scriptum eſt enim: [c] Vir iracundus ef- »
fodit peccatum. Non eſt vnus duplici corde, non eſt vnus, qui ſe »
cohibere neſcit in iracundia, de quo pulchrè Dauid ait: Iraſcimini & »
nolite peccare. Non iram imperat, ſed indulget naturæ, quam homo »
præuenire non poteſt, mitigare poteſt. Ergo, etſi iraſcimur, affectus
noſter motum recipiat ſecundùm naturam. Quis enim ferat ſi ipſe ſe
gubernare nequeat, qui alios gubernandos receperit? [d] Ideóq; Apo-
ſtolus formam dedit, quia & Epiſcopum eſſe oportet irreprehenſibi- »
lem. Et alibi ait: Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei »
diſpenſatorem: non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, nõ »
percuſſorem, nõ turpis lucri cupidum. Nam quomodo conueniunt »
ſibi diſpenſantis miſericordia, & cupientis auaritia? Hæc poſui, quæ »
cauenda acceperim. Virtutum autem magiſter [e] Apoſtolus eſt, qui
cum patientia redarguendos doceat cõtradicentes. [f] Idem Ambro-
ſius, in ſacerdotibus contra vltimum vitium Acediæ, requirit primã
virtutem charitatis ac pietatis, ſic ſcribens: Benè dixi examẽ ſacerdo-
tum. Quia ſicut apes de diuinarum ſcripturarũ floſculis ſuauia mella
conficiunt, & quicquid ad medicinam pertinet animarum, oris ſui
arte componunt. Rectè comparantur apibus ſacerdotes, quia ſicut
apes caſtitatem corporis præferunt, cibum vitæ cæleſtis exhibent, a-
culeum legis exercent. Puri enim ad ſanctificationem, ſuaues ad re-
fectionem, ſeueri ſunt ad vltionem. Apibus planè ſunt comparandi,
qui velut aluesario quodam, gratiã matris Eccleſiæ continent, in qua
diuerſorum meritorum cellulas, dulciſsimis prędicationibus compo-
nentes, de vno ſaluatoris examine Chriſtianorũ examina multa pro-
ducunt. [g] Et alibi. Sacerdotis, inquit, eſt, nulli nocere, prodeſſe velle
omnibus: poſſe autem ſolius eſt Dei. Et quibuſdam interiectis: Pro-
poſita

[a] Sacerdos veluti ſtatua virtutum immobilis, excludens affectus.

[b] Iracundia vitiũ ſacerdote indignum.

[c] Prou: 15. ver. 18 Pſalm. 4. verſ. 5

[d] 1 Tim. 3. ver. 2 Tit. 1. verſu. 7

[e] 1 Tim. 3.

[f] Apum examen cõuenit ſacerdotibus propter officinam charitatis, aliarumq; virtutum. Ambr: Serm: 89

[g] Charitas ſacerdotum omnia ſufferens. Ambroſ: lib. 3. Offic. Cap. 9.

a Psalm. 7. ver. 5

posita igitur forma in sacerdotis officio teneatur, vt nulli noceat, ne lacessitus quidem, & aliqua iniuria offensus. Bonus enim est vir qui dixit: a Si reddidi retribuentibus mihi mala. Quæ enim est gloria, si eum non lædimus, qui nos non læserit? Sed illa virtus est, si læsus remittas. Hactenus Ambrosius.

b Disciplina omnibus clericis necessaria.

Hieron: in Cap. 2 Epist: ad Titum. Et habetur causa 8. quæst. 1. Cap: Qualis.

Cap. xviii.

b Porrò talem disciplinam debere vigere non solùm in Episcopis, & maiorum ordinum ministris, sed etiam in reliquis inferioribus, S. Hieronymus docet sic scribens: Qualis enim ædificatio erit discipuli, si se intelligat magistro esse maiorẽ. Vnde non solùm Episcopi, presbyteri, & diaconi, debent magnopere prouidere, vt cunctum populum cui præsident, conuersatione, sermone, ac scientia præcedant: verùm & inferior gradus, exorcistæ, lectores, æditui, & omnes omnino qui domui Dei seruiunt. Quia vehementer Ecclesiam Christi destruit, meliores laicos esse, quàm clericos. Hæc ille.

c Vita Clericorũ populo norma viuendi.

2 Cor. 6. vers. 3

c Accedit & illa ratio, quòd populus ex vita clericorũ, officium quoq; & potestatem, quæ illis inest diuinam, spectare consueuerit: vnde piaculum grande esse oportet, malicia vel infirmitate hominis, diuinam bonitatem & potestatem (vt Apostolus simili vtitur argumento) euacuari. Quod ipsum is ipse Apostolus sic præmonuit: Exhortamur, inquit, ne in vanum gratiam Dei accipiatis, &c. nemini dantes vllam occasionem, vt non vituperetur ministeriũ nostrũ. Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros, &c.

d Malach. 2. ver. 8

Huc pertinet & illud, quod Dominus dicit per Prophetã: d Vos autem (sacerdotes) recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege: irritum fecistis pactũ Leui (magis autem ipsius Christi): Propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis: sicut non seruastis vias meas, & accepistis faciem in lege. Hæc ibi.

e Conclusio exhortatoria.

Ambr: de dignitate sacerd: cap. 7

Sed quoniam sermonem satis protraximus, eum verbis B. Ambrosii sic concludamus. e Sufficiat, inquit ille, hucusq; nunc nostris consacerdotibus, paululum dilatasse sermonem, in quo eorum excellentiam, simul & casum demonstrauimus, ne fidentes in sublimitate honorum, minimè requirerent perfectionem morum, & in solo se crederent sacerdotis nomine plusquàm opere gloriari.

f Cõtra sanæ doctrinæ obtrectatores.

f Et quanquam sentiam pro hoc libello plurimos mihi sacerdotes, qui hæc quæ loquimur agere nolunt, infideliter esse detracturos: credo tamen plurimos, qui hæc agunt, vel agere obnituntur, fideliter pro nobis oraturos. Sed sicut lacerationibus obtrectatorum minimè prægrauamur, sic demum probatorum & sanctorum virorum orationibus adiuuamur. Age iam nunc sanctificus spiritus, qui nos in hoc opere diuinis inspirationibus adiuuisti, cunctos sacerdotes adiuua, & præsta vt faciant, quæ in hoc opusculo ipse eloqui inspirasti, vt eis vna mecum

cum tribuas seculorum regna, quæ sanctis in regna seculorum dare promisisti, Amen.

Sermo decimus sextus.

SPECVLVM CLERICORVM, EX aliquot Orthodoxis Doctoribus compilatum.

Ex B. Hieronymo Epistola 83. ad Oceanum.

Cap. 1.

a 1 Tim: 3. ver. 2

b Speculum maculas non inducit, sed detergendas indicat.

ANtequam dictandi finem faciam, volo superiora capitula, in quibus futuri Episcopi vita describitur, cursim exponere: vt Apostolum a non in vnius vxoris elogio, sed in omnibus, quæ præcipit, doctorem gentium suscipiamus. b Simul obsecro, ne quis me in suggillationem istius temporis sacerdotum scripsisse, quæ scripsi, existimet, sed in Ecclesiæ vtilitatem. Vt enim Oratores, & Philosophi, describentes, qualem velint esse perfectum Oratorem, & Philosophũ, non faciunt iniuriam Demostheni, & Platoni, sed res ipsas absq; personis definiunt: sic in descriptione Episcopi, & in eorum expositione, quæ scripta sunt, quasi speculum sacerdotij proponitur. Iam in potestate & conscientia singulorũ est, quales se ibi aspiciant: vt vel dolere ad deformitatẽ, vel gaudere ad pulchritudinem possint.

c Episcopi forma Apostolica.

1 Timot. 3. ver. 1

d Tit. 1. vers. 7

Episcopalis perfectio.

c Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Opus, non dignitatem: laborem, non delicias: opus, per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio. Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse. Id ipsum quoq; ad Titum: Si quis est sine crimine. d Omnes virtutes in vno sermone comprehendit, & penè rem contra naturam exigit. Si enim omne peccatum, etiam in otioso verbo reprehensione dignum est: quis est ille, qui absq; peccato, id est, sine reprehensione, versetur in hoc mundo? Sed futurus pastor Ecclesiæ, talis eligitur, ad cuius comparationem rectè grex cæteri nominentur.

e Orator & Episcopus bonus primò facit quam suadeat.

f Episcopus non Digamus.

e Definiunt Rhetores Oratorem, qui sit vir bonus, dicendi peritus. Ante vita, sic lingua irreprehensibilis quæritur, vt doctus meritò suscipiatur. Perdit enim auctoritatem docendi, cuius sermo opere destruitur. f Vnius vxoris virum: de hoc suprà diximus: Nunc hoc tantùm admonemus, vt si vnius vxoris vir etiam ante baptismum quæritur, cætera quoq;, quæ præcepta sunt, antè ba-

ptismum requiramus, neq; enim competit vniuersa post baptismum & vnum hoc mandatum intelligere antè baptismum. Sobrium, siue

a Sobrietas Sacerdotum.
Leuit. 10. ver. 9
Lucæ 21. ver. 34

vigilantem: νηφάλιος quippe vtrunq; significat. a Prudentē, ornatum, hospitalem, doctorē. Sacerdotes, qui ministrant in templo Dei, " prohibentur vinum & siceram bibere: ne in crapula & ebrietate ag- " grauentur corda eorum: & vt sensus officium exhibens, Deo vige- " at semper, & tenuis sit. Quod autem infert: b Prudentem, excludit

b Episcopus prudens & ornatus, quomodo.

eos, qui sub nomine simplicitatis excusant stultiam sacerdotum. Nisi enim cerebrū sanum fuerit, omnia membra in vitio erunt. Ornatū quoq; ἐπίτασις est prioris verbi, id est, irreprehensibilis. Qui vitia nō habet, irreprehensibilis appellatur: qui virtutibus pollet, ornatus est.

c Faciēdum primò, quàm docēdum.
d Ornatus verus Clericorum ab intra.

c Possumus & aliud intelligere ex hoc verbo, iuxta illud Tullij: Caput est artis docere quod facias. Sunt d enim quidam ignorantes mensuram suam, & tantæ stoliditatis, ac vecordiæ, vt & in motu, & in incessu, & in habitu, & in sermone communi, risum spectantibus præbeant, & quasi intelligentes quid sit ornatus, comunt se vestibus, & munditijs corporis, & lautioris mensæ epulas parant: cùm omnis

e Pastorum sciētia & doctrina.

istiusmodi ornatus, & cultus, sordibus fædior sit. e Quòd autem doctrina à sacerdotibus expectatur, & veteris præcepta sunt legis, & ad Titum pleniùs scribitur. Innocens enim & absq; sermone conuersatio, quantum exemplo prodest, tantum silentio nocet, nam & latratū canum, baculoq; pastoris, luporum rabies deterrenda est. Non vinolentum, non percussorem. virtutibus vitia opposuit.

Cap. II.

f Luxus & ebrietatis noxæ præsertim in clericis.

Didicimus, quales esse debeamus: discamus quales non esse debeant sacerdotes. f Vinolentia scurrarū est, & comessatorum: venterq; mero æstuans, citò despumat in libidines. In vino luxuria: in luxuria voluptas: in voluptate impudicitia est. Qui luxuriatur, viuēs

g Genes. 9. ver. 21
Genes. 19. ver. 33
Episcopo, vitāda quæ.
Esaiæ 50.
2 Petri 2.

mortuus est: ergo, qui inebriatur, & mortuus, & sepultus est. g Noê ad vnius horæ ebrietatē nudat femora sua, quæ per sexcentos annos sobrietate contexerat. Lot per temulentiam, nesciens libidini miscet incestum: & quem Sodoma non vicerat, vina vicerunt. Percussorē autem Episcopum ille condemnat, qui dorsum suum posuit ad flagella, & maledictus, non remaledixit. Sed modestum. Duobus malis vnum opposuit bonum: vt temulentia & ira, modestia refrenentur.

h Lites dedecent sacerdotem.
Auaritia vitanda.
1 Regū 12. ver. 3
i Actuū 20. v. 34
1 Timot. 6. ver. 7

h Non litigiosum, non auarū: nihil enim impudentiùs arrogantia rusticorum, qui garrulitatem auctoritatem putant, & parati semper ad lites, in subiectum sibi gregem tumidis sermonibus tonant. Auaritiā in sacerdote vitandam, & Samuel docet, nihil coram populo eripuisse se cuiquam probans: & i Apostolorum paupertas, qui refrigeria sumptuum à fratribus accipiebant, & præter victum atq; vestitū,

nihil

a Timot. 3. ver. 3
Tit. 1. vers. 8.
Luxus quorundā Episcoporum.

nihil se aliud nec habere nec velle gloriabantur, quam ad a Timotheum auaritiam, ad Titum turpis lucri cupiditatem apertissimè notat. Domum suam benè regentem: non vt opes augeat, non vt regias paret epulas: non vt cælatas patinas struat: non vt phasides aues lentis vaporibus coquat, qui ad ossa perueniant, & superficiem carnis non dissoluant artifici temperamento: sed vt, quod populo

Episcopus domum suam bene gubernans.
2 Regū 2. v. 12. 22

præcepturus est, priùs à domesticis exigat. Filios habentem subditos, cum omni castitate, ne scilicet imitentur filios Heli, qui in vestibulo templi cum mulieribus dormiebant, & religionem prædam putantes, quidquid optimum in hostijs erat, in suas delicias conuertebant. Non neophytum, ne in superbiam elatus, in iudicium incidat diaboli. b Mirari satis non queo, quæ hominum tanta sit cœcitas, de vxo-

b Bigamiam tolli baptismo, solus sensit Hieronym:
c Episcopi Neophyti forma sæcularis.

ribus antè baptismum disputare, & rem in baptismate mortuam, imò cum Christo viuificatam, in calumniam trahere, cùm tàm apertum euidensq; præceptum nemo custodiat: c Heri cathechumenus, hodie pontifex: heri in amphitheatro, hodie in Ecclesia: vespere in circo, manè in altario: dudum fautor histrionum, nunc virginum consecrator. Num ignorabat Apostolus tergiuersationes nostras, & argumentorum ineptias nesciebat? Qui dixit, Vnius vxoris virum, ipse mandauit irreprehensibilem, sobrium, prudentem, ornatum, hospitalem, doctorem, modestum, non vinolentum, non percussorem, non litigiosum, non auarum, non neophytum. Ad hæc omnia claudimus oculos, solas videmus vxores. Quod autem ait: Ne in superbiam elatus incidat in iudicium diaboli: quis non exemplo verum

d Momentanei sacerdotes perstringuntur.

probet? d Ignorat momentaneus sacerdos humilitatē, & mansuetudinem rusticorum: ignorat blanditias christianas: nescit seipsum contemnere: de dignitate transfertur ad dignitatem: non ieiunauit, non fleuit, non mores suos sæpè reprehendit, & assidua meditatione correxit: non substantiam pauperibus erogauit. e De cathedra

e De Cathedra in Cathedram superbientes.

quodam modo ducitur ad cathedram, id est, de superbia ad superbiā. Iudicium autem, & ruina diaboli, nulli dubium, quin arrogantia sit. Incidunt in eam, qui in puncto horæ, necdum discipuli, iam magistri

Morum probitas in Episcopo sit solennis.

sunt. Oportet autem eum & testimoniū habere bonum ab ijs, qui fo- " ris sunt. Quale principium, talis & clausula. Qui irreprehensibilis est, " non solùm à domesticis, sed ab alienis consono ore laudatur. Alieni & extra Ecclesiam sunt Iudæi, hæretici, atq; gentiles. Talis ergo sit pontifex Christi, vt qui religioni detrahunt, vitæ eius detrahere non audeant. At nunc plerosq; cernimus, vel fauorem populi in aurigratū morem pretio redimere, vel tanto omnium hominum odio viuere, vt non extorqueant pecunia, quod mimi impetrant gestibus.

Ambro-

Ambrosius de dignitate sacerdotali, Cap. 4.

Episcopatus Apostolo qualis desiderandus.

Cap. III.

VT specialiter ipsius Episcopatus modum & formulam omnibus sacerdotibus depingamus, Apostolica est nobis regula reuoluenda, quæ de ijs per singula Episcopales actus depingit. Sic ad cunctos Episcopos beatus ait Apostolus: [a] Fidelis sermo. Ac si diceret: De quo sum locuturus, veraciter loquor, ne quis existimet me fuisse mentitũ. Subiunxit: Si quis Episcopatum desiderat, bonũ opus desiderat. Hoc est: Si Episcopus esse desideras, magnum est quod esse cupis, sed si & opus bonum simul amplectaris. Nam si aliter esse cupis, Episcopus esse non potes: quia sequitur: Oportet enim Episcopum irreprehensibilem esse. [b] Irreprehensibilem ait. Nam si Episcopus reprehenditur, deformiter subditur culpæ. Et profectò culpa ad reatum trahit, reatus ad pœnam, pœna perducit vsq; ad mortẽ. Ecce ad quid voluitur dignitas Episcopalis. [c] Et post paululum ait: vnius vxoris virum. Si ad superficiem tantùm literæ respiciamus, prohibet digamum Episcopum ordinari. Si verò ad altiorem sensum conscendimus, inhibet Episcopum duas vsurpare Ecclesias. Et si adhuc introrsus profundiora perscruteris, monet ne post catholicum dogma, sensum inueniatur Episcopus habere hęreticum, sed Christianam tantùm orthodoxam & catholicam sibi associet fidem, vt vnius tantummodò vxoris & catholicæ Ecclesiæ vir Episcopus vocitetur. Sequitur deinde, & ait: Sobrium, hoc est, non vino tantùm, sed & vitijs parcum, vt nec vino ampliùs indulgeat quàm oporteat, & mente semper sobrius inueniatur. Et adiunxit sequentia dicens: Prudentem. Prudentiam quippe non mundialem, de qua dicitur [d] quòd stultitia sit apud Deum: sed prudentiam spiritalem, id est, quæ & opere circumspecta sit, & verbo perita, vt sit astutus sicut serpens, & simplex sicut columba. Et denuò infert: [e] Ornatum. Quòd si iuxta sensum literæ tantùm respiciamus, non aliud sacerdotes, quàm amictum quærimus clariorem. Verbi gratia: Castorinas quærimus & sericas vestes. Et ille se inter Episcopos credit esse altiorem, qui vestem induerit clariorem. Sed sanctus Apostolus taliter se intelligi non vult, quia non carne Episcopum, sed mente docet esse ornatum, vt ille sacerdos placeat Deo, qui animam habuerit compositam Deo. Et post hæc addidit: [f] Hospitalem. Vt humanitatis intuitu hospitio recipiat non habentes hospitium, & egenum sine tecto inducat in domum suam, nec solus deuoret dona Christi, quæ largita est bonitas Christi. Et vt hilarem datorem diligat Christus,

sine

[a] 1 Tim. 3. ver. 1

[b] Irreprehensibilis qs dicendus.

[c] 1 Tim. 3. ver. 2 Episcopus vnius vxoris, hoc est, religionis & Ecclesiæ, vir.

[d] 1 Cor. 3. ver. 19

[e] Ornatus Sacerdotalis non vestibus, sed virtutibus.

[f] Hospitalitas sacerdotum.

2 Cor. 9. ver. 7.

Cap. IIII.

sine murmure contribuat pauperibus Christi. Sequitur deinde & ait: [a] Docibilem, id est, sic polleat Episcopus sapientia, vt non solùm creditum sibi populum sufficienter doceat, verùmetiam & cunctarũ queat hæresum contradictiones à catholica repellere Ecclesia, ne sua imperitia imperitos minimè doceat, & huiusmodi casu præuentus, eueniat illi quod scriptum est: [b] Cœco cœcus ducatum prębens, ambo in foueam cadunt. Qui verò talem se, vt diximus, esse ignorat, sacerdotium minimè appetat, nec locum alterius vsurpare præsumat, præsertim illius, qui fulgore suæ sapientiæ populorum potest corda lustrare. Subiunxit & ait: [c] Non vinolentum, hoc est, non multo vino deditum, vt sic credatur & videatur Episcopus: vtrum biberit an non, ignoretur: ne post largam potionem vini, mulierum delectetur illecebra, nec per vinũ, sicut ait Apostolus, omnis nutriatur luxuries. Demum subsequitur dicens: [d] Non percussorem, sed modestum. Id est, manus improbas ad cędem non habeat, & suspicionibus prauis minimè percutiat conscientias aliorum, ne dum petulans inuenitur ad cædẽ, athleta magis quàm Episcopus iudicetur. Sed magis è diuerso ab alijs illatas patienter ferat iniurias, vt mentis modestiam cunctis hominibus tranquillam demonstret, & firmam patientiam cunctis ostendat. Iterum addidit dicens: [e] Non litigiosum, id est, non linguam ad conuitium relaxet Episcopus, ne per eandem linguam, per quam laudes refert Deo, & diuina libat sacrificia, litium venena proferat, quia non decet de ore Episcopi benedictionẽ simul & maledictionem egredi, ne per eandem linguam, per quam Deus laudatur, homo maledicatur: quia non potest de vno fonte dulcem & amaram producere aquã. Deinceps subsecutus est dicens: [f] Non cupidum: id est, non turpis lucri cupidum, ne lucri cupiditate Episcopus teneatur obnoxius, & nutriat auaritiam, [g] quæ est radix omnium malorum. Qui stipendijs tantùm contentus Ecclesiæ suæ, penitus non ambiat quæ intelligit esse superflua, sed de ipsa potiùs paupertate Ecclesiæ suæ, libenter impertiat pauperibus Christi, sicut scriptum est: Hilarem datorem diligit Deus. Et alio loco: [h] Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternum. Et connexuit subsequentia dicens: Domui suæ benè præesse, filios habentem subditos, cum omni castitate. [i] Domui suæ benè præesse potest, qui corporis sui seruauerit castitatem. Domui, inquit, hoc est, corpori suo imperioso iure dominetur, ne subdatur ipse corpori suo, & in desiderio luxuriæ deditus, in præcipitium demergatur, sed potiùs filios suos suo castitatis exemplo, ad pudicitiæ regulam doceat. Nam si quis domui suæ præesse nesciat, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam adhibebit?

Hoc

[a] Episcopi doctrina.

[b] Matth. 15. v. 14

[c] Episcopi sobrietas & continentia.

[d] Mitis debet esse Episcopus.

[e] Maledicentia vitanda.

[f] Paupertas sufficiens Episcopo sectanda.

[g] 1 Tim. 6. ver. 10

[h] 2 Cor. 9. ver. 9

[i] Domus corporis proprii bonũ regimen.

Hoc est enim de quo superiùs diximus: Qui cordis sui domum excolere non valet, quomodo plurimorum adhibebit diligentiam? Et qui peccati trabem de suo non potest eruere oculo, quomodo ex alterius oculo poterit amputare festucam? Item sequitur, & ait: [a] Non neophytum, hoc est, qui nuper ad fidem ex gentilitate aduenit, aut certè ex militia seculari ad clericatus est officium sociatus. Hi ergo non tā passim sacerdotalem arripiant gradum, ne elati in superbiam, in iudicium incidant, & in laqueum diaboli: quia quod longo tempore minimè discunt, in paruo tempore seruare nō possunt. Et concludens regulā & Episcopalem formam, ad extremū intulit dicens: [b] Oportet autē & illum testimoniū bonū habere ab ijs qui foris sunt: id est, hæreticis & schismaticis, qui extra sanctam Ecclesiam Catholicam conuenticula sibi profana præficiunt, quos tamen testes Apostolus, & testimonium dicit debere bonum habere de immaculata vita, & sancta Episcopi conuersatione, ne fortè accipiant inimici locum Episcopo obtrectandi, & infamare incipiant Catholicum dogma. [c] His ita prælibatis, vt reor, in hoc opere, velut à grandi fænore, nos persensimus liberatos, cùm non nostra contra Episcopos, sed sancti Apostoli opposuimus testimonia, ne velut vulgaribus fabulis nostrum irriderent opus.

a Neophyti alios regentes à diabolo capiuntur.

b Episcopus etiā infidelibus commendatus esse debet.

c Episcopi forma Apostolica omnibus suspicienda.

Gregorius Magnus, Pastoralis, lib. I. cap. 8.

Cap. V.

PLerunque qui præesse concupiscunt, ad vsum suæ libidinis, instrumentum Apostolici sermonis arripiunt, qui ait: Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: qui tamen laudans desiderium, in pauorem vertit protinus quod laudauit: cùm repentè subiungit: Oportet autem Episcopum irreprehensibilem esse. Cúmque virtutum necessaria subsequenter enumerat: quæ sit irreprehensibilitas ipsa manifestat. [d] Et fauet ergo ex desiderio: & terret ex præcepto, ac si apertè dicat: Laudo quod quæritis: sed priùs discite quid quæratis: ne dum vosmetipsos metiri negligitis: tātò fœdior vestra reprehensibilitas appareat, quantò & à cunctis cōspici in honoris arce festinatis. Magnus enim regendi artifex fauoribus impellit, terroribus retrahit, vt auditores suos & descripto irreprehensibilitatis culmine restringat à superbia: & officium laudando quod quæritur componat ad vitam. [e] Quamuìs notandum, quòd illo in tempore hoc dicitur, quo quisque plebibus præerat primus ad martyrij tormenta ducebatur. Tunc ergo laudabile fuit Episcopatum quærere: quando per hunc quenquam dubium non erat ad sup-

Episcopatus desideriū quale.
1 Timot. 3. ver. 1

d Ad Episcopatū boni alliciuntur, mali deterrentur

e Episcopatum desiderare, est mortem prouidibus appetere: & èconuerso.

ad supplicia grauiora peruenire. Vnde ipsum quoque Episcopatus officium boni operis expressione distinitur, cùm dicitur: Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Ipse ergo sibi testis est: quia Episcopatum non appetit, qui non per hunc boni operis ministeriū, sed honoris gloriam quærit. Sacrum quippe officium non solùm nō diligit omninò, sed nescit, qui ad culmen regiminis anhelans, in occulta meditatione cogitationis, cæterorum subiectione pascitur: laude propria lætatur: ad honorem cor eleuat: rerum affluentiū abundantia exultat. Mundi ergo lucrum quæritur sub eius honoris specie, quo mundi destrui lucra debuerant. Cúmque mens humilitatis culmen arripere ad elationem cogitat, quod foris appetit, intus imutat.

Idem Gregorius Pastoralis, lib. I. cap. I.

Cap. VI.

NVlla ars doceri præsumitur, nisi intenta priùs meditatione discatur. Ab imperitis ergo pastoribus magisterium pastorale suscipitur in magna temeritate: quoniam ars est artium regimen animarum. Quis autem cogitationum vulnera occultiora esse nesciat vulneribus viscerum? Et tamen sæpè, qui nequaquam spiritualia præcepta cognouerunt, cordis se medicos profiteri non metuunt: dum qui pigmentorum vim nesciunt, videri medici carnis erubescant. Sed quia auctore Deo, ad religionis reuerentiam omne iam præsentis seculi culmen inclinatur, sunt nonnulli, qui intra sanctam Ecclesiam, per speciem regiminis, gloriam affectant honoris: videri doctores appetunt: transcendere cæteros concupiscunt: atque attestante veritate [a] primas salutationes in foro, primos recubitus in cœnis, primas in conuentionibus quærunt cathedras: qui susceptum curæ pastoralis officium ministrare dignè tantò magis nequeunt, quantò ad huius humilitatis magisterium ex sola elatione peruenerunt. Ipsa quippe in magisterio lingua confunditur, quando aliud discitur, & aliud docetur. Contra quos Dominus per Prophetā queritur, dicens: Ipsi regnauerunt, & non ex me, principes extiterūt, & ego ignoraui. Ex se autem, & non ex arbitrio summi rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus, nequaquā diuinitùs vocati, sed sua cupidine accensi, culmen regiminis rapiunt potiùs, quâm assequuntur. Quos tamen internus iudex, & prouehit, & nō cognoscit: quia quos permittēdo tolerat, profectò per iudiciū reprobationis ignorat.

Ars regendi animas difficillima, tamen præsumitur à multis.

a Matth. 23. ver. 6

Oseæ 8. vers. 4

S. Augustinus epist. 148. ad Valerium Episcopum.

Cap. VII.

ANte omnia peto, vt cogitet religiosa prudentia tua, nihil esse in hac vita, & maximè hoc tēpore faciliùs & lætiùs, & hominibus acce-

Prælaturæ & beneficia ambitione passim sæculo exitiosa.

acceptabiliùs Episcopi, aut presbyteri, aut diaconi, officio, si perfun-
ctoriè atque adulatoriè res agatur: sed nihil apud Deum miseriùs, &
tristiùs, & damnabiliùs. Item nihil esse in hac vita, & maximè hoc
tempore difficiliùs, laboriosiùs, periculosiùs, Episcopi, aut presbyteri,
aut diaconi officio: sed apud Deum nihil beatiùs, si eo modo milite-
tur, quo noster Imperator iubet. [a] Quis autem iste sit modus, nec à
pueritia, nec ab adolescentia mea didici: & eo tempore quo discere
cœperam, vis mihi facta est, merito peccatorum meorum, (nam quid
aliud existimem nescio) vt secundus locus gubernaculorum mihi
traderetur, qui remum tenere non noueram. Sed arbitror Dominum
meum propterea me sic emendare voluisse, quòd multorum pecca-
ta nautarum, antequam expertus essem quid illic agatur, quasi docti-
or & melior reprehendere audebam: itaque postquam missus sum in
medium, tunc sentire cœpi temeritates reprehensionum mearum,
quanquam & antea periculosissimum iudicarem hoc ministerium.
Et hinc erãt lachrymæ illæ, quas me fundere in ciuitate ordinationis
meæ tempore, nonnulli fratres animaduerterunt, & nescientes cau-
sas doloris mei, quibus potuerunt sermonibus, qui omnino ad vul-
nus meum non pertinerent, tamen bono animo consolati sunt. [b] Sed
multò valdè, multò ampliùs expertus sum, quàm putabam: non
quia nouos aliquos fluctus aut tempestates vidi, quas antè non no-
ueram, vel non audieram, vel non legeram, vel non cogitaueram:
sed ad eas euitandas aut perferendas, solertiam, & vires meas omni-
no non noueram, & alicuius momenti arbitrabar. [c] Dominus autē
irrisit me, & rebus ipsis ostendere voluit meipsum mihi. Quodsi non
damnando, sed miserando fecit, hoc enim spero certè vel nunc co-
gnita ægritudine mea, debeo scripturarum eius medicamenta omnia
perscrutari, & orando ac legendo agere, vt idonea valetudo animæ
meæ ad tam periculosa negotia tribuatur: quod ante non feci, quia
& tempus non habui. Tunc enim ordinatus sum, quum de ipso acti-
onis tempore ad cognoscendas diuinas scripturas cogitaremus, & sic
nos disponere vellemus, vt nobis otium ad hoc negotium posset esse.
Et quod verum est, nondum sciebam quid mihi deesset ad tale opus,
quale me nunc torquet & conterit.

[a] Augustinus Episcopatū vi susceptū deplorat.

[b] Onus Episcopale nosse facile, experiri difficile.

[c] Psalm. 2. ver. 4

Chrysostomus in Matth. Operis imperfe. Hom. 44.

Cap. VIII.

QVid ergo dicit de sacerdotibus? Super cathedram Moysi sede-
runt Scribæ & Pharisæi, id est, multi sacerdotes, & pauci sa-
cerdotes. Multi nomine, pauci opere: Videte ergo, quomodo
sedeatis super eam, quia cathedra non facit sacerdotem, sed sacerdos
cathe-

Cathedra & locus non facit sacerdotem, sed contra.

cathedram: non locus sanctificat hominem, sed homo locū. [a] Non
omnis sacerdos sanctus est, sed omnis sanctus, sacerdos. Qui benè se-
derit super cathedram, honorem accipiet ab illa: qui malè sederit, in-
iuriam facit cathedræ. Ideóque malus sacerdos, de sacerdotio suo cri-
men acquirit, non dignitatem. [b] In iudicio enim sedens, siquidem
benè vixeris, & benè docueris, omnium iudex es: si autem benè do-
cueris, & malè vixeris, tui solius condemnator es. Nam benè viuen-
do, & benè docendo, populum instruis quomodo debeat viuere: be-
nè autem docendo, & malè viuendo, Deum instruis quomodo te de-
beat condemnare.

[a] Sacerdotem bonū quid faciat.

[b] Benè docentis & malè viuentis pœna æterna.

Chrysostomus in Acta Apostolorum. Homilia 3.

Cap. IX.

FIt crebrò, vt qui moribus es humanioribus, nō sis idoneus. Rur-
sus est tibi vita inculpata, moresque liberales, cæterùm in Ecclesia
non his tantùm opus est. Quin & alioqui alius, ad aliud est ap-
positus. Non vides quot verba faciat super hac re scriptura diuina?
Sed si quando ob aliquam causam res deuenerit ad contentionem,
nō tanquam ad principatum, aut præfecturam fratrum accedamus,
sed tanquam ad illorum honorem ac refocillationem. [c] Etenim si
nouisses, quòd Episcopus debet omnium onera gestare, quod alijs ira-
scentibus datur venia, ipsi verò nequaquam: quòd alijs peccantibus
superest excusatio, ipsi verò minimè: haud quaquā festinasses ad pri-
matum, haud quaquam accurisses. Hic enim omnium linguis expo-
situs est, omnium iudicijs obiectus, & sapientium, & insipientium:
curis perpetuis obtunditur, tum diurnis, tum nocturnis. Multos ha-
bet quibus est inuisus, multos habet inuidentes. Nec enim mihi lo-
quaris de his, qui nihil non faciunt ad gratiam, qui dormire cupiunt,
velut ad quietem accedunt ad negotium. De his non loquor, sed de
his, qui vigilant pro animabus vestris, qui subditorum salutem ante-
ponunt suæ. [d] Dic mihi, si, qui decem habet filios subditos, assiduè
cum ipso viuentes, cogitur sine intermissione curam illorum agere:
quid non patietur hic, qui tot habet, non domesticos, sed obedientiā
habentes in sua ipsorum potestate? [e] Sed habetur, inquiunt, in ho-
nore. Quis honos? Pauperes triobolares conuicia iaculantur in illū
in foro. Cur igitur illis non occludit os? Admodum sanè. Non e-
nim opus Episcopi narras? Rursus nisi semet omnibus præbeat, &
his qui viuunt in otio, & his qui in negocio, mille vndique criminati-
ones. Nemo metuit accusare, ac traducere. Nam in principibus vr-
get metus, in his verò nequaquam, quando Dei timor apud istos va-
let nihil. [f] Quis eloqui possit in dicendo docendoque solicitudinem?

Nō omnes docti & probi, ad gubernandū apti.

[c] Episcopalis reginimis difficultas, & pericula.

[d] Expendant ista qui amplissimis præsunt Diocœsibus.

[e] Honor Episcopalis interdum triobolaris.

f Prælationis spiritualis suprà Regiam difficultas.

Quis difficultatem in electionibus? fortassis aut ego sum vehementer infirmus, & infelix, nihilq́; aut sic habet res, nihil à naui, quę fluctibus iactatur, differt sacerdotis animus. Vndiq; premitur ab amicis & inimicis, à suis & ab alienis. Nonné terrarum orbis imperium tenet imperator? Hic autem vnius ciuitatis Episcopus est. Sed tantò plus curarum habet hic, quantum interest inter aquam fluminis vēto agitatam, & inter mare intumescens & insaniens. Quamobrem tandem? Quoniam illic complures sunt qui adiuuant, eo quòd legibus ac mandatis omnia peraguntur: hîc verò nihil tale. Neq; enim licet ex authoritate præcipere. Verûm, si vehementer cōmoueatur, audit crudelis: si parum vehementer, audit frigidus. Sed oportet hęc duo contraria concurrere, sic vt neq; contemnatur, neq; odio habeatur. Quin & aliâs, ipsa negotia præueniunt occupantq́;. Quâm multos cogitur offendere, volens nolens? Quàm multos obiurgare, velit nolit? Non temerè dico, sed vt affectus sum ac sentio.

a Sacerdotes plures damnantur, quam saluantur, cur?

b Episcopatus Argi oculos requirit.

Cap. X.

[a] Non arbitror inter sacerdotes multos esse, qui salui fiant, sed multò plures, qui pereant. In causa est, quoniā res excellsum requirit animum. Multas enim habet causas, quæ depellant ipsum à suis moribus, [b] & innumeris oculis illi opus vndiq;. Non vides, quâm multas res oportet adesse Episcopo, vt sit appositus ad docendum, vt tolerans malorum, vt tenax sit ac fidelis in doctrina sermonis? Quantæ hoc difficultatis? & quod alij peccant, illi imputatur. Nihil dico præterea, [c] si vel vnus tantùm decedat non initiatus, (baptismum intelligit) nonné totam ipsius subuertit salutem? Vnius enim animę perditio, tantam habet iacturam, vti nulla ratio possit æstimare. Etenim si vnius animæ salus tanti est, vt ob hanc filius Dei fieret homo, tantaq́; pateretur, perditio cogita quantam conciliabit pœnam. Quodsi quis ob hominem in hac vita perditum morte dignus est, quantò magis ille? [d] Ne mihi dixeris igitur, peccauit presbyter, aut diaconus, omnium horum crimina redundant in caput eorum, qui hos elegerunt. Rursus aliud dico: Euenit, vt quis successionem accipiat virorum improborū, quid consilij capiat, hæret, peccatis præuentus. [e] Vtrinq; præcipitium est. Nec illum oportet amittere, nec alios offendere. Quid? An excutiendus est prior? Verùm non adest occasio. An omittendus? Certè, inquis. Nam eius est culpa qui elegit. Quid igitur? Non oportet eligere quemquam, nec in alium reuocare gradum? Verùm ita fiet, vt omnes norint illum esse malum. Itaq; rursus alio offendit modo. Ergo ad maiorem gradum promouendus est? Hoc multò deteriùs. Proinde si quis ad summum sacerdotium accesserit, velut ad solicitudinem & curam, nullus illud facilè

c Vnius animæ perditæ qnanta iactura, & Pastoris pœna.

d Electio vel ordinatio mali ministri autori impu tanda.

e Mali Clerici quantum fastidiū dant Episcopo.

a Ambitionis Prælaturarum nisi fera stultitia.

cilè susceperit. [a] Nunc autem non aliter quàm prophanos magistratus, & hanc affectamus dignitatem, nimirum vt glorificemur & honoremur apud homines, perdimur apud Deum. Quid lucri fert hic honos? Quomodo demonstratum est eum esse nihil? Quum cōcupisces sacerdotium, ex aduerso pone criminationes, quas illi perpeti necesse, pone vitam à negotijs liberam, pone supplicij modum. [b] Quoniam si pecces priuatim, nihil tale passurus es: sin in sacerdotio, periisti. Reputa quàm multa sustinuerit, in quàm multis philosophum præstiterit Moses, quàm multa præstiterit bona: sed quoniam peccarat vnum peccatum, acerbè punitus est, idq́; meritò, quippe quum id aliorum iactura factum sit. Itaq; grauiores pœnas dedit, non solùm ob id quòd propalam factum est, sed & quod esset sacerdotis peccatum. [c] Neq; enim simili pœna plectitur pro commissis manifestis & occultis. Propterea quod peccatum quidem idem est, iactura non est eadem, imò ne peccatum quidem est idem. Neq; enim idem clàm occultéq; peccare, & in propatulo. [d] Episcopus autē non potest peccare clàm. Benè enim cum illo agitur, si non peccans liber esse possit à criminationibus, tātùm abest, vt peccans id possit. Si vel irascatur, si vel rideat, si vel somnū relaxationis concupiuerit: multi sunt qui scommatis incessant, multi qui offendantur, multi qui leges præscribant: [e] multi qui priorum memoriam refricent, & præsentem deijciant, idq́; faciunt, non vt illos laudent, sed vt hunc mordeant. Dulce aiunt bellum inexpertis. hoc & nunc conuenit dicere, imò potiùs hoc dicimus priùs quàm veniamus in certamen.

b Prælatum optimum vnica culpa perdere potest. exemplo Moysis. Deut. 32. ver. 51

c Peccatum Prælati scandalo aggrauatur.

d Episcopus humanis censuris subiectus.

e Vt priores mariti, sic priores Episcopi præferūtur.

Cap. XI.

[f] Cæterùm posteà quàm eò descendimus, sic nos gerimus vt popularis conditionis hominibus etiā ignoti simus. Non enim est nobis bellum aduersus eos, qui potentia opprimunt pauperes, neq; sustinemus propugnare gregem, sed ad exemplum pastorum, quorum meminit [g] Ezechiel, mactamus ac deuoramus. Quis nostrum præstat tantam sollicitudinem pro ouibus Christi, quantam præstitit Iacob [h] erga greges Laban? Quis potest recensere toleratum noctis gelu: Ne verò mihi dixeris peruigilatas noctes, tantamq́; curam exhibitam. Totum itaq; contrarium est. [i] Primates ac præfecti non tanto potiuntur honore, quanto qui præest Ecclesiæ. Si ingrediatur in aulam regiam, quis prior? Si apud matronas, si in ædibus versetur magnatū, nullus alius illi præfertur honore. Perierunt omnia, corruptaq́; sunt. Hæc loquor, non vt vobis pudorem incutiam, sed vt vestram cohibeam cupiditatem. Quem enim conscium adibis, si procuraris vel per teipsum, vel per alium? [k] Quibus oculis obtueberis illum, qui tibi fuit auxilio? Quid habebis quod excuses? Etenim qui

f Vigilantia & cura Pastoralis, erga gregem, quā exigua & inæqualis.

g Esech. 34. v. 2

h Pastoralis sollicitudo exemplo Iacob.

Gen. 31. ver 38

i Pensationes sæculares Prælato inutiles.

k Ambitio inexcusabilis.

nolẽs & inuitus compulsus est, habiturus est aliquam excusationem. Quanquam maximè & hic priuatus est venia, nisi quod ad hoc collatus habet aliquid excusationis. Cogita quid acciderit Simoni. [a] Quid enim refert, si non das peccuniam, sed peccuniæ loco adularis, subornas, multaq; machinaris? [b] Pecunia tua sit tecum in perditionem, ad illum dictum est. Et his dicetur. Ambitio tua sit tecum in perditionem, quoniam putasti ambitu humano parari donum Dei. Verùm nullus fortaſsis est talis. Vtinam nõ sit. [c] Cupio siquidem nihil horum ad vos pertinere quæ loquor. Sed interim ipse sermonis tenor, in harum rerum mentionem me deduxit. Neq; enim quoties loquimur aduersus auaritiam, aduersus vos loquimur, imò nec prorsus aduersus vllum. Vtinam contingat, vt remedia frustra sint à nobis parata. Talia sunt medicorum vota, nihil aliud postulantium, nisi vt post multum laboris insumptum, prorsus abijciantur pharmaca. Idem & nos optamus, vt nostra verba prorsus in aërem dicantur, & verba tantùm sint. Equidem omnia promptè sustinuero, vt non sit opus hæc dicere. Quin si vultis tacebimus, tantùm vt silentium careat periculo.

a Simonia committitur quacũq; ambitione.

b Actor. 8. ver. 20

c Correctio vniuersalis ei, qui nocẽs est, nocet, nec quenquam offendere debet.

Ex S. Bernardo Epistola 43. ad Henricum Archiepiscopum Senonemsem.

Prælatura Ecclesiæ stultè appetitur.

Cap. XII.

CÆterùm curritur in clero paſsim ab omni ætate & ordine, à doctis pariter & indoctis, ad Ecclesiasticas curas, tanquam sine curis iam quisq; victurus sit, cũ ad curas peruenerit. Nec mirũ de his, qui necdum in semetipsis experti sunt. Videntes quippe illos, qui iam proprios humeros cupitæ sarcinæ summiserunt, non solùm non gemere tanquam sub onere, sed insuper appetere plus onerari: non deterrentur periculis, qui cupiditate cœcati non vident, sed fauoribus ampliùs quos illis inuident, prouocantur. [d] O infinita semper ambitio, & insatiabilis auaritia. Cùm primos honorum gradus meruerint in Ecclesia: meruerint autem, vel vitæ merito, vel pecuniæ, siue etiam carnis & sanguinis, quæ regnum Dei non poſsidebunt, prærogatiua, non ideò corda quiescunt, duplici semper æstuantia desiderio: quo vtiq; magis ac magis & dilatentur in plura, & ad celsiora sublimentur. [e] Verbi gratia: Cùm factus quis fuerit in quacunq; Ecclesia Decanus, Præpositus, Archidiaconus, aut aliquid huiusmodi: non contentus vno in vna, plures sibi, imò quotquot valet, cõquirere honores satagit, tàm in vna, quâm in pluribus. Quibus tamen omnibus si locus euenerit, libenter vnius præferet Episcopi

d Ambitionis in Ecclesia detestabilis modi.

e Ambitionis Ecclesiasticæ auida insaciabilitas. Romanum culmen attingens.

scopi dignitatem. Sed nunquid sic satiabitur? Factus Episcopus, Archiepiscopus, esse desiderat. Quo fortè adepto, rursum nescio, quid altiùs somnians, laboriosis itineribus & sumptuosis familiaritatibus Romanum statuit frequentare palatium, quæstuosas sibi quasdam exinde comparans amicitias. Si lucri spiritualis gratia hæc faciunt, laudandus est zelus: sed præsumptio corrigenda. [a] Nonnulli cùm ista non poſsint, vertunt se ad aliud ambiendi genus, in quo nihilominus aperiunt eam, quam habent dominandi libidinem. Nam cûm præsideant vrbibus valdé populosis, & totas, vt ita dicam, patrias propriæ Diœcesis ambitu circumcludant, occasione inuenta ex quocunq; veteri priuilegio, satis agunt, vt & vicinas sibi subijciant ciuitates: quatinus duæ quibus duo vix præsules sufficiebant, sub vno redigantur antistite. Rogo quæ hæc tàm odiosa præsumptio, quis hic tantus ardor dominandi super terram, quæ principandi tam effrenis cupiditas? [b] Certè cûm primùm tractus es ad cathredam, flebas, refugiebas: vim querebaris, multum à te, & omnino suprà te esse dicens: miserum clamitans & indignum, qui non esses idoneus tam sancto ministerio, tantis non sufficeres curis. Quid igitur nunc verecunda depulsa formidine, sponte ambis ad ampliora, imò irreuerenti audacia, proprijs non contentus, inuadis aliena? Cur hoc? forte vt plures populos salues? sed in alienam messem, tuam mittere falcem, iniuriosum est. Vt tuæ præstes Ecclesiæ? Sed Ecclesiarum sponso non placet tale vnius incrementum, quod sit detrimentum alterius. [c] Crudelis ambitio, & incredibilis, si fidem oculi non astruerent. Vix tenent manus, quin illud ad literam impleant quod legi-
» tur in Propheta: Secuerunt prægnantes Galaad, ad dilatandum ter-
» minos suos. Vbi est illa terrifica comminatio: Væ qui coniungitis
» domum ad domum, & agrum agro copulatis. Nunquid in his duntaxat exiguis væ istud metuendum est, non autem cum vrbes vrbibus, aut prouinciæ prouincijs continuantur? [d] Imò etiam respon-
» deant si volunt se imitari Dominum Christum: [e] facientes & ipsi
» vtraq; vnum, adducentes & ipsi ex diuersis pascuis greges, vt fiat v-
» nus pastor, & vnum ouile. Huius rei gratia non pigritantur crebrò terere limina Apostolorũ, inuenturi & ibi [f] (quod magis dolendum est) qui suæ faueant improbæ voluntati: non quòd valdè Romani curent quo fine res terminetur, sed quia valdè [g] diligunt munera, sequuntur retributiones. Nudè nuda loquor, [h] nec retego verenda, sed inuerecunda confuto. Vtinam priuatim & in cameris hæc fierẽt, vtinam soli viderimus & audierimus, vtinam nec loquentibus crederetur, vtinam nobis reliquerint moderni Noæ, vnde à nobis possent

a Pluralitas Episcopatuum, vel Prælaturarum taxatur.

b Fletus talis euasit nunc metaphysicus.

c Ambitionis oues propriis Pastoribus eripientis crudelitas.

Amos. 1. ver. 13

Esaiæ 5. vers. 8

d Ironia auarorũ Christiæmulatorum.

e Ephes. 2. ver. 14

Ioann: 10. ver. 15

f Roma ambitione & quæstu exorabilis.

g Isaiæ 1. ver. 23

h Genes. 9. ver. 23

a Sanitas corporis à capite petenda.

sent aliquatenus operiri. Nunc verò cernente orbe mundi fabulam, soli tacebimus? a Caput meum vndiq; conquassatū est, & ego sanguine circumquaq; ebulliente putauerim esse tegendum? Quicquid apposuero, cruentabitur, & maior erit confusio, voluisse celare, cùm celari nequiuerit.

S. Cyprianus lib. 2. Epistola I.

b Hæresis turpissima macula sacerdotio abominabilis.
Leuit. 21. ver. 17
Exod. 19. ver. 15

Cap. XIIII

Oportet sacerdotes & ministros, qui altari & sacrificijs deseruiunt, integros atq; immaculatos esse: cùm Dn̄s Deus in Leuitico loquatur & dicat: b Homo in quo fuerit macula & vitiū, non accedet offerre dona Deo. Item in Exodo hæc eadem præcipiat & dicat: Et sacerdotes qui accedunt ad Dominum Deum, sanctificentur, ne fortè derelinquat illos Dominus. Et iterum: Et cùm accedunt ministrare ad altare sancti, non adducent in se delictum, ne moriantur. Quod autem maius potest esse delictum, aut quæ macula deformior, quàm aduersus Christū stetisse, quàm Ecclesiam eius, quam ille sanguine suo parauit, & condidit, dissipasse? quàm Euangelicæ pacis ac dilectionis oblitum, contra vnanimem & concordem Dei populum hostilis discordiæ furore pugnasse? Qui c etsi ipsi postmodum ad Ecclesiam redeunt, restituere tamen eos & secum reuocare non possunt, qui ab eis seducti, & foris morte præuenti, extra Ecclesiam sine comunicatione & pace, perierunt: quorū animæ in die iudicij de ipsorum manibus expetentur, qui perditionis auctores & duces extiterunt. Et idcirco satis est talibus reuertentibus veniam dari, non tamen debet in domo fidei perfidia promoueri: nam quid bonis & innocentibus, atq; ab Ecclesia non recedentibus reseruamus: si eos, qui à nobis recesserint, & contra Ecclesiā steterint, honoramus?

c Hæresis propter scandalisatos vix expiabilis.

S. Hieronymus de Regula Monachorum. Cap. 15.

Cap. XIIII

d Episcopatus plerunq; status damnationis.

IVuenis quidam electus ad Episcopatum, patruum suum virum sanctum consuluit hac de re: ille non verbis, sed signis respondit: ne dissuadendo contradiceret Apostolo dicenti, d bonum opus desiderat. Ne item iuuenem periculo exponeret suadendo, probè intelligens præeminentiæ periculum. Iuuenis ille planiùs deinde edoctus atq; instructus, electioni renunciauit. Mortuus autem iucundus patruo suo apparuit, gratias illi agens ex dissuasione Episcopatus: nā scito, inquit, quia nunc essem de numero damnatorum, si fuissem de numero Episcoporum. Hæc sensu non verbis excerpsimus.

Gregorius Magnus Pastoralis, lib. I. cap. 5. & 9.

Sunt

Cap. XIIII

Contra temerè detractantes labores in Ecclesia

SVnt nonnulli, qui magnis, vt diximus (animi) muneribus ditati, dum solius contemplationis studijs inardescunt, parere vtilitati proximorum prædicatione refugiunt, secretum quietis diligunt, secessum speculationis petunt. De quo si districtè iudicentur, ex tantis proculdubio rei sunt, quantis venientes ad publicum prodesse potuerunt. Qua enim mente is, qui proximis profuturus enitesceret, vtilitati cæterorum, secretum præponit suum: quando ipse sumi patris vnigenitus, vt multis prodesset, de sinu patris egressus est ad publicum nostrum? a Inter hæc itaq; quid sequendum est, quid tenendum: nisi vt virtutibus pollens, coactus ad regimen veniat, virtutibus vacuus, ne coactus accedat? Ille si omnino renititur, caueat ne b acceptam pecuniam in sudarium ligans, de eius occultatione iudicetur. Pecuniam quippe in sudario ligare, est percepta dona sub otio lenti torporis abscondere. c At contrà, iste cùm regimen appetit, attendat ne per exemplum praui operis, Pharisæorum more, ad ingressus regni cælorum tendentibus, obstaculū fiat: quia iuxta summi magistri vocem d nec ipsi intrant, nec alios intrare permittunt. Cui considerandum quoq; est; quia cùm curam populi electus præsul suscipit: quasi ad ægrum medicus accedit. Si ergo adhuc in eius opere passiones viuunt, qua præsumptione percussum mederi properat, qui in facie vulnus portat?

a A prælatione ambiētes arcendi, defugientes ad eam cogendi.
b Lucæ 19. v: 20
Leuit: 21.
Exod: 19.
c Ambitiosi Pharisaici cœlorum ianitores.
d Lucæ 11. v: 52

Ex Epistola B. Hieronymi ad Nepotianum.

Cap. XV.

Clerici Dominum possidentes dicuntur & à Domino possessi.

CLericus, qui Christi seruit Ecclesiæ, interpretetur primò vocabulum suum, &, nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur. Si enim κλῆρος græcè, sors latinè appellatur: propterea vocantur clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est pars, clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, vt & ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino. Qui Dominum possidet, & cum Propheta dicit: Pars mea Dominus: nihil extra Dominum habere potest. Quòd si quippiam aliud habuerit præter Dominum, pars eius non erit Dominus. Verbi gratia: Si aurum, si argentum, si possessiones, si variam suppellectilem, cum istis partibus, Dominus pars eius fieri non dignabitur. e Si autem ego pars Domini sum, & funiculus hæreditatis eius, nec accipio partem inter cæteras tribus, sed, quasi Leuita, & sacerdos, viuo de decimis, & altari seruiens, altaris oblatione sustentor, habens victum, & vestitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar. f Obsecro itaq; te, & repetens, iterumq; iterumq; monebo, ne officiū clericatus genus anti-

Psalm: 15. ver. 5
e Clericorū possessio & diuitiæ.
f Monachi proprietarii & auari perstringuntur.

quæ

quæ militiæ putes, id est, ne lucra seculi in Christi quæras militia: ne plus habeas, quàm quando clericus esse cœpisti: & dicatur tibi: Cleri eorum non proderunt eis. Nonnulli enim sunt ditiores Monachi, quàm fuerant seculares, & clerici, qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete & fallace diabolo non habuerant: vt suspiret eos Ecclesia diuites, quos mundus tenuit ante mēdicos. a Mensulam tuam pauperes, & peregrini, & cum illis Christus conuiuia nouerit. Negotiatorem b clericum, & ex inope diuitem, ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge. Corrumpunt mores bonos confabulationes pessimæ. Tu aurum cōtemnis, alius diligit: tu calcas opes, ille sectatur: tibi cordi silentium, mansuetudo, secretum: illi verbositas, attrita frons, cui nundinæ, fora placent, & plateæ ac medicorum tabernæ. In tanta morum discordia, quæ potest esse cōcordia? c Hospitiolum tuum, aut raro, aut nunquam mulierum pedes terant. Omnes puellas, & virgines Christi, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Nec sub eodem tecto mansites: nec in præterita castitate confidas. Nec sanctior Dauid, nec Samsone fortior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper, quòd paradysi colonum de possessione sua mulier eiecerit.

Hier. 12. vers. 13

a Hospitalitas Ecclesiasticorū.

b Clerici quales fugiendi.

1 Cor. 15. ver. 33

c Mulierum cōsuetudo Clerico etiam castissimo fugienda: quamuis in ægritudine

Gen. 3. vers. 12

Ægrotanti tibi quilibet sanctus frater assistat, & germana, vel mater, aut probatæ quælibet apud omnes fidei. Quòd si huiuscemodi non fuerint consanguinitatis castimoniæq; personæ, multas anus nutrit Ecclesia, quæ & officium præbeant, & beneficium accipiant ministrando, vt infirmitas quoq; tua fructum habeat eleemosynæ. Scio quosdam conualuisse corpore, & animo ægrotare cœpisse. d Periculosè tibi ministrat, cuius vultum frequenter attendis. Si, propter officium clericatus, aut vidua visitatur, aut virgo: nunquam domū solus introeas. Tales habeto socios, quorum contubernio non infameris. Si lector, si acolythus, si psaltes te sequitur: non ornentur veste, sed moribus, nec calamistro crispent comas, sed pudicitiam habitu polliceantur. Solus cum sola, secretò, & absq; arbitro, vel teste, non sedeas. Si familiarius est aliquid loquendum: habet nutricem maiorem domus, virginem, viduam, vel maritatam: non est tam inhumana, vt nullum præter te habeat, cui se audeat credere. e Caueto omnes suspiciones, & quicquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante deuita. Crebra munuscula, & sudariola, & fasciolas, & vestes ori applicitas, & oblatos ac degustatos cibos, blandasq; & dulces litterulas, sanctus amor non habet. Mel meum, lumen meum, meum desiderium, omnes delicias, & lepores, & risu dignas vrbanitates, & cæteras ineptias amatorum in comœdiis erubescimus, in seculi

d Visitationes & colloquia fœminarū cautè fiant.

e Suspitiones præcauendæ. Munuscula fœminarum spernenda.

culi hominibus detestamur: a quantò magis in Monachis, & in clericis, quorum & sacerdotium proposito, & propositum ornatur sacerdotio? Nec hoc dico, quòd aut in te, aut in sanctis viris ista formidem: sed quòd in omni proposito, in omni gradu, & sexu & boni & mali reperiantur, malorumque condemnatio, laus bonorum sit. b Pudet dicere: sacerdotes idolorum, mimi, & aurigæ, & scorta hæreditates capiūt: solis clericis & monachis hoc lege prohibetur, & prohibetur non à persecutoribus, sed à principibus Christianis. Nec de lege conqueror: sed doleo, cur meruerimus hanc legem: cauterium bonum est, sed quo mihi vulnus, vt indigeam cauterio? Prouida seueraq; legis cautio, & tamen nec sic refrenatur auaritia. Per fidei commissa legibus illudimus: & quasi maiora sint imperatorum scita, quàm Christi, leges timemus, euangelia contemnimus. c Sit hæres, sed mater filiorum, id est, gregis sui, Ecclesia: quæ illos genuit, nutriuit, & pauit. Quid nos inserimus inter matrem, & liberos? Gloria Episcopi est, pauperum inopiæ prouidere. Ignominia sacerdotis est, propriis studere diuitiis. d Natus in paupere domo, & in tugurio rusticano, qui vix milio & cibario pane rugientem saturare ventrem poteram: nunc similam, & mella fastidio. Noui & genera, & nomina piscium: in quo litore concha lecta sit, calleo: saporibus auium discerno prouincias: & ciborum me raritas, ac nouissimè damna ipsa delectant. e Audio præterea in senes, & anus absq; liberis, quorundam turpe seruitium. Ipsi apponunt matulam: obsident lectum: purulentiam stomachi, & phlegmata pulmonis manu propria suscipiunt: pauent ad introitū medici: trementibusq; labiis an commodius habeant sciscitantur: &, si paululum senex vegetior fuerit, periclitantur: simulataq; lætitia, mens intrinsecus auara torquetur: timent enim, ne perdant ministerium, & viuacem senem, Mathusalem annis comparant. O quanta apud Deum merces, si in præsenti pretium non sperarent. Quantis sudoribus hæreditas cassa expeditur: Minori labore margaritum Christi emi poterat. f Diuinas scripturas sæpiùs lege: immò nunquam de manibus tuis sacra le-
„ ctio deponatur. Disce, quod doceas: obtine eum, qui secundùm do-
„ ctrinam est, fidelem sermonem: vt possis exhortari in doctrina sana,
„ & contradicentes reuincere. Permane in his, quæ didicisti, & credita
„ sunt tibi, sciens, à quo didiceris, paratus semper ad satisfactionē, om-
„ ni poscenti te rationem, de ea, quæ in te est, spe. g Non confundant opera tua sermonem tuum: ne, cùm in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat, cur ergo hæc, quæ dicis, ipse non facis? Delicatus magister est, qui pleno ventre de ieiuniis disputat. Accusare auaritiā & latro

a Votū seu propositum Monachorum & Clericorum, sacerdotio ornatum.

Cap. XVII.

b Hæreditas peterena Monachis prohibita: olim & Clericis.

c Clericorū hæres Ecclesia, & pauperes.

d Contra luxum Monachorum & Clericorum.

e Visitatores infirmorum quæstuarii graphicè depicti.

f Clericorum studium.

Tit. 1. vers. 9.

2 Tim. 3. ver. 14

1 Petr. 3. ver. 15

g Docens alios, ipse prior exequatur.

& latro potest: sacerdotis Christi os, mens, manusq; concordent.

Cap. xviii.

a Episcopis Clerici honorem deferant, non tamẽ seruilem.

Esto subiectus Pontifici tuo, & quasi animæ parentem suscipe. Amare filiorum, timere seruorum est. Si pater sum, inquit, vbi est honor meus? si Dominus ego sum, vbi est timor meus? a Plura tibi in eodem viro obseruanda sunt nomina, monachus, pontifex, auunculus, qui te iam in omnibus, quæ sancta sunt, docuit. Illud etiam dico, quòd Episcopi sacerdotes se esse nouerint, nõ dominos: honorent clericos, quasi clericos: vt & ipsis à clericis, quasi Episcopis, honor deferatur. Scitum illud est oratoris Domitij: Cur ego te, inquit, habeam vt principem: cùm tu me non habeas vt senatorem? Quod Aaron & filios eius, hoc episcopum & presbyteros esse nouerimus: vnus Dominus, vnum templum, vnum sit etiam ministerium. Recordemur semper, quid Apostolus Petrus præcipiat sacerdotibus: Pascite eum, qui in vobis est, gregem Domini, prouidentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum: neq; turpis lucri gratia, sed voluntariè: neq; vt dominantes in clerum, sed forma facti gregis ex animo: vt, cùm apparuerit princeps pastorum, percipiatis imarcessibilem gloriæ coronam. b Pessimæ consuetudinis est in quibusdam Ecclesiis, tacere presbyteros, & præsentibus Episcopis nõ loqui: quasi aut inuideant, aut non dignentur audire. Et si alij, inquit Apostolus Paulus, fuerit reuelatum sedenti, prior taceat. Potestis enim per singulos prophetare, vt omnes discant: & omnes consolentur: & spiritus Prophetarum Prophetis subiectus est. Non enim dissensionis Deus, sed pacis. Gloria patris est filius sapiens. Gaudeat Episcopus iudicio suo, cùm tales Christo elegerit sacerdotes. c Docente te in Ecclesia, non clamor populi, sed gemitus suscitetur. Lachrymæ auditorum, laudes tuæ sint. Sermo presbyteri, scripturarum lectione conditus sit. Nolo te declamatorem esse, & rabulam, garrulumq; sine ratione, sed mysteriorum peritum, & sacramentorum Dei tui eruditissimum. d Verba voluere, & celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem sui facere, indoctorum hominũ est. Attrita frons interpretatur sæpè, quod nescit: & cum alijs persuaserit, sibi quoq; vsurpat scientiam. e Præceptor quondam meus Gregorius Nazianzenus, rogatus à me vt exponeret, quid sibi vellet in Luca, sabbathũ δευτερόπρωτον eleganter lusit: Docebo te, inquiens, super hac re in Ecclesia, in qua mihi omni populo acclamante, cogeris inuitus scire quod nescis: aut certè, si solus tacueris, solus ab omnibus stultitiæ condemnaberis. Nihil tam facilè, quàm vilem plebeculam, & indoctam concionem linguæ volubilitate decipere: quæ, quidquid non intelligit, plus miratur. M. Tullius, in quem pulcherrimũ illud elogium

1 Petr. 5. ver. 2

b Prædicatio dependet non tam ex autoritate, quàm ex spiritu.

1 Cor. 14. ver. 20

c Prædicationis & doctrinæ modus.

d Concionatores vitent arrogantiã

e Nasians: Hieronymi præceptor, quomodo Prædicatores præsumptuosos notauit.

Lucæ 6. vers. 1

gium a est: Demosthenes tibi præripuit, ne esses primus orator: tu illi, ne solus: in oratione pro Q. Gallio, quid de fauore vulgi, & de imperitis concionatoribus loquatur, attende: ne his fraudibus ludaris. b Loquor enim, quæ sum ipse nuper expertus. Vnus quidam Poëta, nominatus homo perlitteratus, cuius sunt illa colloquia Poëtarum, ac Philosophorum, cùm facit Euripidem & Menandrum inter se, & alio loco, Socratem atq; Epicurum differentes, quorum ætates non annis, sed seculis scimus esse disiunctas, quantos is applausus, & clamores mouet? multos enim condiscipulos habet in theatro, qui simul literas non didicerant.

a Ciceronis cum Demosthene cõparatio.

b Eloquentia vana etiam ab gentilibus explosa.

Cap. XIX.

c Vestes pullas æquè deuita, vt candidas. Ornatus, vt sordes, pari modo fugiendæ sunt: quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. Non absq; amictu lineo incedere, sed pretium vestium linearum non habere, laudabile est. d Alioquin ridiculum, & plenũ dedecoris est, referto marsupio, quòd sudarium orariumq; non habeas, gloriari. e Sunt qui pauperibus paulùm tribuunt, vt amplius accipiant, & sub prætextu eleemosynæ quærunt diuitias: quæ magis venatio appellanda est, quàm eleemosynæ genus. Sic bestiæ, sic aues, sic capiuntur & pisces. Modica in hamo esca ponitur, vt matronarum in eo sacculi protrahantur. Sciat Episcopus, cui commissa est Ecclesia, quem dispensationi pauperum curæq; præficiat. Meliùs est non habere, quod tribuam, quàm impudenter petere, quod recondam. Sed & genus arrogantiæ est, clementiorem te velle videri, quàm Pontifex Christi est. Non omnia possumus omnes. f Alius in Ecclesia oculus est, alius lingua, alius manus, alius pes, auris, venter: &c. Lege Pauli Epistolam ad Corinthios, quo modo diuersa membra vnum corpus efficiunt. Nec rusticus tamen & simplex frater ideo se sanctum putet, si nihil nouerit: nec peritus, & eloquens, lingua æstimet sanctitatem. Multoq; melius est è duobus imperfectis, rusticitatem sanctam habere, quàm eloquentiam peccatricem. g Multi ædificant parietes, & columnas Ecclesiæ substruunt: marmora nitent: auro splendent laquearia: gemmis altare distinguitur: & ministrorum Christi nulla electio est. Neq; verò mihi aliquis opponat diues in Iudæa templum, mensam, lucernas, thuribula, patellas, scyphos, mortariola, & cætera ex auro fabrefacta. Tunc hæc probabantur à Domino, quãdo sacerdotes hostias immolabant, & sanguis pecudum, erat redemptio peccatorum. Quamquam hæc omnia præcesserint in figura: Scripta sunt autem propter nos, in quos fines seculorum deuenerunt. Nunc verò, cùm paupertatem domus suæ pauper Dominus dedicârit cogitemus crucem eius,

c Vestitus Clericalis moderatio

d Paupertas affectata notatur.

e Eleemosinæ quæstuariæ aucupio similes.

f Arrogantia in eleemosina & in aliis charismatibus vitanda.

1 Cor. 12. ver: 14:

g Templa non animas ornantes carpuntur, tanquã Iudaisantes.

1 Cor. 10. ver. 11

Lucæ 16. ver. 9
Actor. 3. ver. 6

eius,& diuitias tutum putabimus. Quid miramur, quòd Christus vocat iniquum mammona? quid suscipimus,& amamus, quòd Petrus se non habere, gloriose testatur? alioquin, si tantùm litteram sequimur, & in auro atq; diuitijs simplex nos delectat historia, cum auro obseruemus, & cætera. Ducant Pontifices Christi, vxores virgines: Quamuis bonæ mentis sit qui cicatricem habuerit, & deformis est, priuetur sacerdotio: lepra corporis, animæ vitijs præferatur: Crescamus,& multiplicemur,& repleamus terram, nec immolemus agnũ, nec mysticum pascha celebremus: quia hæc absq; templo fieri, lege prohibentur. Figamus septimo mense tabernaculum, & solemne ieiunium buccina concrepemus. Quòd si hæc omnia spiritualibus spiritualia comparantes, scientesq; cum Paulo, [a] quòd lex spiritualis est, & Dauid verba cantantes: [b] Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua: sic intelligimus, [c] vt Dominus quoq; noster intellexit, & interpretatus est sabbathũ: aut aurum repudiemus cum cæteris superstionibus Iudæorum: aut, si aurum placet, placeant & Iudæi: quos cum auro aut probare nobis necesse est, aut damnare.

a Rom.7. ver.14
b Psal.118. v:18
c Matth. 12. v. 3

Cap. XX.

d Conuiuia magnatum Clericis cur vitanda.

e Promotiones pauperum seruato statu faciẽdæ.

Conuiuia tibi vitanda sunt secularium, & maximè eorum, qui honoribus tument. [d] Turpe est, ante fores sacerdotis Christi crucifixi, & pauperis, & qui cibo quoq; vescebatur alieno, lictores consulum,& milites excubare: iudicemq; prouinciæ meliùs apud te prandere, quàm in palatio. [e] Quòd si obtenderis te facere hæc, vt roges pro miseris atq; subiectis: iudex seculi plus deferet clerico continenti, quàm diuiti: & magis sanctitatem tuam venerabitur, quàm opes. Aut si talis est, qui non audiat clericos pro quibuslibet tribulatis nisi inter phyalas: libenter carebo huiuscemodi beneficio, & Christum rogabo pro iudice, qui magis, & citiùs subuenire potest, quàm iudex. Meliùs enim est cõfidere in Domino, quàm confidere in homine: meliùs est sperare in Domino, quàm sperare in principibus.

Psalm. 117. ver.9

f Vinum Clericis nocet, & quæuis sicera.
Tit. 2 vers. 7.
Leuit. 10. ver 9

[f] Numquam vinum redoleas, ne audias illud Philosophi: Hoc non est osculum porrigere, sed vinum propinare. Vinolentes sacerdotes, & Apostolus damnat,& vetus lex prohibet: Qui altario deseruiunt, vinum & siceram non bibant. Sicera Hebræo sermone omnis potio nuncupatur, quæ inebriare potest, siue illa quæ frumento conficitur, siue pomorum succo, aut cum faui decoquuntur in dulcem & barbaram potionem, aut palmarum fructus exprimuntur in liquorem, coctisq; frugibus aqua pinguior coloratur. Quidquid inebriat, & statum mentis euertit, fuge similiter vt vinum. [g] Nec hoc dico, quòd Dei à nobis creatura damnetur: siquidem & Dominus vini potator est appellatus: & Timothæo, dolenti stomachum, modica vini sorbitio

g Abstinẽtia clericorum.
Matt. 11. ver. 19
1 Tim. 5. ver. 23

bitio relaxata est: sed modum pro ætatis, & valetudinis, & corporũ qualitate exigimus in potando. Quòd si absq; vino ardeo adolescentia, & inflammor calore sanguinis, & succulento validoq; sum corpore: libenter carebo poculo, in quo suspicio veneni est. Pulchrè dicitur apud Græcos, & nescio an apud nos ęquê resonet: Pinguis venter non gignit mentem tenuem. [a] Tantum tibi ieiuniorum modũ impone, quantum ferre potes. Sint tibi pura, casta, simplicia, moderata, & non superstitiosa ieiunia. [b] Quid prodest, oleo non vesci, & molestias quasdam difficultatesq; ciborum quærere, carycas, piper, nuces, palmarum fructus, similam, mel, pistacia? Tota hortorũ cultura vexatur, vt cibario non vescamur pane: & dum delicias sectamur, a regno cælorum retrahimur. Audio præterea quosdam, contra rerum hominumq; naturam, aquam non bibere, nec vesci pane, sed sorbiciunculas delicatas, & contrita olera, baccarumq; succũ nõ calice sorbere, sed concha. Prô pudor, non erubescimus istiusmodi ineptijs, nec tædet superstitionis? Insuper etiam famam abstinentiæ in delicijs quærimus. [c] Fortissimum ieiunium est, aqua & panis: sed quia gloriam non habet, & omnes pane & aqua viuimus: quasi publicum & commune ieiunium non putatur.

a Ieiuniorum modus.
b Panis cibus omnium optimus.
c Ieiunium fortissimum in pane & aqua.

Cap. XXI.

d Gloria sæcularis Clerico non aucupanda.
e Gal. 1. ver. 10
2 Cor. 6. ver. 8.

[d] Caue, ne hominum rumusculos aucuperis, ne offensam Dei populorum laude commutes. Si adhuc, inquit [e] Apostolus, hominibus placerem, Christi seruus non essem. Desiit placere hominibus, & seruus factus est Christi. Per bonam famam & malã, â dextris & â sinistris, Christi miles graditur, nec laude extollitur, nec vituperatione frangitur: non diuitijs tumet: non contrahitur paupertate: & læta contemnit, & tristia: Per diem sol non vrit eum, neq; luna per noctem. [f] Nolo te orare in angulis platearum, ne rectum iter precum tuarum frangat aura popularis. Nolo te dilatare fimbrias, & ostentui habere phylacteria, & conscientia repugnante, Pharisaica ambitione circumdari. [g] Quantò meliùs erat, hæc non in corpore, sed in corde gestare, & Deum habere fautorem, non aspectus hominum? Inde pendet Euangelium, inde lex & Prophetæ, siue sacra & Apostolica doctrina. Meliùs est enim, hæc omnia in mente portare, quàm in corpore. Fidelis mecum lector intelligis, quid taceam, & quid magis tacendo loquar. Tot te regulæ, quot species gloriarũ percurrant.

f Hypocrisis vitanda.
Psalm 120. ver.6
Matth. 23. ver. 5
g Deuotionis externa vexilla parum Christiana.

[h] Vis scire, quales Dominus quærat ornatus? Habeto prudentiam, iustitiam, temperantiam, fortitudinẽ. His cæli plagis includere: hæc te quadriga, velut aurigam Christi, ad metam concita ferat. Nihil hoc monili prætiosiùs, nihil hac gemmarum varietate distinctiùs. Ex omni parte decoraris, cingeris, atq; protegeris: & ornamẽto tibi sunt, & tuta-

h Virtutes 4. Cardinales quadriga cælorum.

a Detractionis noxa, eiusq; vanæ excusationes — & tutamini, gemmæ vertuntur in scuta. a Caue quoq;, ne aut lin-
guam, aut aures habeas prurientes, id est, ne aut ipse alijs detrahas,
Psalm. 47. ver. 20 — aut alios audias detrahentes. Sedens, inquit, aduersus fratrem tuum "
loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum: hæc "
fecisti, & tacui. Existimasti iniquè, quòd ero tui similis: arguam te, "
b Sap. 1. vers. 11 — & statuam contra faciem tuam. b Parce à detractione linguæ: cu- "
stodi sermones tuos: & scito, quia per cuncta quæ de alijs loqueris, "
tua conscientia iudicaris: & in his ipse deprehenderis, quæ in alijs ar-
guebas. Neq; verò illa iusta est excusatio: Referentibus alijs iniuriã
facere non possum. Nemo inuito auditori libenter refert. Sagitta in
lapidem nunquam figitur, interdum resiliens percutit dirigentem.
Discat detractor, dum te videt non libenter audire, non facilè detra-
Prou: 24. ver. 21 — here. Cum detractatoribus, ait Salomon, ne miscearis: quoniam re- "
pente veniet perditio eorum: & ruinam vtriusq; quis nouit? tam "
videlicet eius, qui detrahit, quàm illius, qui accommodat aurem de-
c Conuersatio cũ sæcularibus Clericorum qualis. — trahenti. c Officij ergo tui est, visitare languentes, nosse domos ma- Cap. XXII.
tronarum, ac liberos earum: & nobilium virorum custodire secreta.
Officij tui est, non solùm oculos castos seruare, sed & linguam. Nun-
quam de formis mulierum disputes: nec, quid agatur in alia, domus
d Medici animarum quid profiteri debeant. — alia per te nouerit. d Hippocrates adiurat discipulos antequam do-
ceat, & in verba sua iurare compellit: extorquet sacramento silenti-
um, sermonem, incessum, habitum, moresq; præscribit. Quantò ma-
gis nos, quibus animarum cura commissa est, omnium Christianorũ
domos debemus amare, quasi proprias? Consolatores potiùs nos in
mœroribus suis, quàm conuiuas in prosperis, nouerint. Facilè con-
temnitur clericus, qui sæpè vocatus ad prandium, non recusat. Nun-
quam petentes, raró accipiamus rogati. Beatius enim est magis dare "
Actor. 20. ver. 35 — quàm accipere. Nescio enim quomodo etiam ipse, qui deprecatur vt "
tribuat, cùm acceperis, viliorem te iudicat, & mirum in modum, si
e Clerici nuptias suadentes notantur. — eum rogantem contempseris, plus te posterius veneratur. e Prædi-
cator continentiæ, nuptias ne conciliet. Qui Apostolum legit dicen- "
1 Cor. 7. ver. 29 — tem: Super est, vt, qui habent vxores, sic sint, quasi non habeant: cur "
1 Tim. 3. ver. 2 — virginem cogit vt nubat? qui de monogamia sacerdos est, quare vi-
f Dispensatio bonorum Ecclesiæ, vel pauperum, auaritiæ obnoxia. — duam hortatur vt digama sit? f Procuratores & dispensatores do-
morum alienarum, atq; villarum, quo modo possunt esse clerici, qui
proprias iubentur contemnere facultates? Amico quippiam rapere,
furtum est: Ecclesiam fraudare, sacrilegium est: accepisse quod pau
peribus erogandum sit, &, esurientibus plurimis, vel cautũ esse velle,
vel timidum, aut, quod apertissimi sceleris est, aliquid inde subtrahe-
re: omnium prædonum crudelitatem superat. Ego fame torqueor,
& tu

& tu iudicas quantum ventri meo satis sit: aut diuide statim, quod
acceperis: aut, si timidus dispensator es, dimitte largitorem, vt sua
ipse distribuat. Nolo, sub occasione mea sacculus tuus plenus sit.
Nemo mea meliùs me seruare potest. Optimus dispensator est, qui
sibi nihil reseruat.

S. Bernardus in Apologia ad Guilelmum Abbatem.

Cap. xxiii. — QVis in principio cùm ordo cœpit monasticus, ad tantam cre- — Abstinentia in gulositatem versa, etiam in Monachis.
deret monachos inertiam deuenire? O quantum distamus ab
his, qui in diebus Antonij extitere monachi? Siquidem illi
cùm se inuicem per tempus ex charitate reuiserent, tanta ab inuicem
auiditate panem animarum percipiebant, vt corporis cibum penitus
obliti, diem plerunq; totum ieiuniis ventribus, sed non mentibus
transigerent. Et hic erat rectus ordo, quando digniori parti priùs in-
seruiebatur. Hæc summa discretio, cùm ampliùs sumebat quę maior
erat. Hæc deniq; vera charitas, vbi animæ, quarum charitate Chri-
" stus mortuus est, tanta solicitudine refocillabantur. Nobis autẽ con-
" uenientibus in vnum (vt verbis Apostoli vtar) iam non est Domini-
" cam cœnam manducare. Panem quippe cœlestem nemo est qui re- — 1 Cor. 11. ver. 10
quirat, nemo qui tribuat. Nihil de scripturis, nihil de salute agitur a-
nimarum, sed nugæ & risus, & verba proferuntur in ventum. a In- — a Epulonũ idæa: & in edendo luxus.
ter prandendum quantum fauces dapibus, tantùm aures pascuntur
rumoribus: quibus totus intentus, modum nescias in edendo. Inte-
rim autem fercula ferculis apponuntur, & pro solis carnibus à qui-
bus abstinetur, grandia piscium corpora duplicantur. Cúmq; pri-
oribus fueris satiatus, si secundos attigeris, videberis tibi nec dum gu
stasse pisces. Tanta quippe accuratione & arte coquorum cuncta ap-
parantur, quatenus quatuor aut quinq; ferculis deuoratis, prima non
impediant nouissima, nec satietas minuat appetitum. Palatum quip-
pe dum nouellis seducitur condimentis, paulatim dissuescere cognita
& ad succos extraneos veluti adhuc ieiunium, auidè renouatur in
desideria. Venter quidem dum nescit oneratur, sed varietas tollit fa-
stidium. Quia enim puras (vt eas natura creauit) epulas fastidimus,
dum aliæ alijs multifariè permiscentur, & spretis naturalibus quas
Deus indidit rebus, quibusdã adulterinis gula prouocatur saporibus:
transitur nimirũ meta necessitatis, sed necdum delectatio superatur.

Idem Epistola 42. ad Archiepiscopum Senonensem.

Cap. xxiiii — MIror quosdam in nostro ordine monasteriorum Abbates hanc
humilitatis regulam odiosa contentione infringere: & sub hu-

mili

mili(quod peius est)habitu & tonsura tam superbè sapere, vt cùm ne vnum quidem verbulum de suis imperijs subditos prætergredi patiantur, ipsi proprijs obedire contemnant Episcopis. Spoliant Ecclesias vt emancipentur, redimunt se, ne obediant. Non ita Christus: ille siquidem dedit vitam, ne perderet obedientiam: qua isti vt careant, totum ferè suum suorumq; victum expendunt. Quid hoc est præsumptionis, ô monachi? Neq; enim quia prælati monachis, ideò nō monachi. Nempe monachum facit professio, prælatum necessitas. Vt autem non præiudicet necessitas professioni, accedat non succedat prælatio monachatui. Alioquin quomodo illud implebitur: Principem te constituerunt? esto inter illos tanquā vnus ex illis. Quæ verba, postquam eiusmodi ambitioni fusiùs opposuisset, sic demū subinfert. [a] Sed nō propter me, inquit, facio, sed quæro Ecclesiæ libertatē, O libertas omni(vt ita loquar)seruitute seruilior. Patienter ab huiusmodi libertate abstineam, quę me pessimæ addicat superbiæ seruituti. Plus timeo dentes lupi, quàm virgam pastoris. Certus sum enim ego monachus, & monachorum qualiscunq; Abbas, si mei quandoq; pontificis à proprijs ceruicibus excutere iugum tentauero, quòd sathanæ mox tyrannidi meipsum subijcio. Aduertens nimirum cruenta illa bestia, quæ circuit quærens quem deuoret, elongatam custodiam: heu statim insilit in præsumptorem. Meritò enim non cunctatur præsidere superbo, qui se iure regem gloriatur super omnes filios

Iob 41. ver. 25 superbiæ. Quis dabit mihi centum in mei custodiam deputari pastores? Quanto plures sentio mei curam gerere, tanto securior exeo in pascua. Stupenda insania. Animarum non cunctor turbas mihi custodiendas colligere, & vnum super proprium grauor habere cu-

Hebr. 13. ver. 17 stodē? Et quidem subiecti me de reddenda pro se ratione sollicitant. Qui autem præsunt mihi, ipsi potiùs(Paulo dicente)peruigilant tanquam rationem pro me reddituri. Illi etsi honorant, onerant: hi nō

Sapien: 6. ver. 7 tam premūt, quàm protegunt. Scio me legisse: Iudicium durissimū his qui præsunt, exiguo autem conceditur misericordia. Quid igitur vos, ô monachi, sacerdotum grauat auctoritas? Metuitis infestatio-

b 1 Petr. 3. ver. 14 nem? [b] Sed si quid patimini propter iustitiam, beati. Secularitatem

Ioan. 19. vers. 11 contemnitis? Sed secularior nemo Pilato, cui Dominus astitit iudicandus. Non haberes, inquit, in me potestatem, nisi tibi data esset desuper. Iam tunc per se loquebatur, & in se experiebatur, quod post per Apostolos clamauit in Ecclesiis: Non est potestas nisi à Deo. Et

Roma. 13. ver. 2 qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Ite nunc ergo resistere Christi Vicario, cùm nec suo aduersario Christus restiterit. Aut dicite, si audetis, sui præsulis Deum ordinationem nescire; cùm Romani

præsidiis

In Monachos Episcopis suis non obedientes inuectiua.

a Libertas Monachorum est, subiici superioribus, maximè Episcopo.

præsidiis potestatem Christus super se quoq; fateatur fuisse cælitùs ordinatam. [a] Verùm apertè iudicant quidam horum quid cogitent, dū multo labore ac precio Apostolicis adeptis priuilegijs, per ipsa sibi vendicant insignia pontificalia, vtentes & ipsi more pontificum, mitra, annulo, atq; sandalijs. Sanè si attenditur rerum dignitas, hanc monachi abhorret professio: si ministerium, solis liquet congruere pontificibus. Profectò esse desiderant quod videri gestiunt, meritoq; non queunt esse subiecti, quibus iam ipso se comparant desiderio. Quid si & nomen eis conferre priuilegiorum posset authoritas, quan to putas auro redimerent, vt appellarentur pontifices? Quò ista, ô monachi? Vbi timor mentis? vbi rubor frontis? Quis vnquā probatorum monachorum tale aliquid, aut verbo docuit, aut reliquit exemplo? [b] Duodecim humilitatis gradus magister vester edisserit, proprijsq; distinguit descriptionibus. In quo, quæso, illorum docetur aut continetur, vt hoc fastu delectari monachus, has quærere debeat dignitates? Labor & latebræ & volūtaria paupertas, hæc sunt monachorum insignia, hæc vitam solent nobilitare monasticam. Vestri autem oculi omne sublime vident: vestri pedes omnes forum circumeunt: vestræ linguæ in omnibus audiuntur consiliis: vestræ manus omne alienum diripiunt patrimonium. Tamen si ita oportet, vt emancipati à subiectione pontificum, pari cum successoribus apostolorum gloria, pari cathedra, iisdemq; solennium indumentorum insignibus attollamini: cur non & sacros ordines celebratis, & benedictiones datis in populis? Quàm multa moueor dicere aduersus impudentissimā pręsumptionem? sed frenat impetum, quod auribus occupatis scribere me recolēs, longiori lectione vereor fieri onerosus.

a Monachorum quorundam ambitio Simoniaca, in Episcopalis insigniis conquirendis.

b Humilitatis 12. gradus monachis proprie insequēdi: eorumq; propria insignia, & contrarii mores.

S. Chrysostomus Homilia 44. in Matthæum operis imperfecti.

Cap. XXV. NVnc veniamus ad sacerdotes. Scimus quia seruare iustitiam, & facere misericordiam, & habere fidem, propter gloriam suam Deus mandauit: decimas autem offerre Deo, propter vtilitatē sacerdotum: vt sacerdotes quidem populo in spiritualibus obsequantur, populi autem in carnalibus sacerdotibus subministrarēt. Sacerdotes ergo auaritia pleni, si quis de populo decimas non obtulisset, ita eum corripiebant, quasi magnum crimen fecisset, quia decimam alicuius rei, vel saltē minimæ nō obtulisset: si quis autem de populo in Deum peccabat, aut lædebat aliquem, aut aliquid tale faciebat, nemo curabat corripere eum, quasi nullam culpam fecisset, quia in Deum peccabat. Et de suo quidem lucro sollicitè agebant, de gloria au-

Decimas & reditus Cleri, Diuino honori præferri Pharisaicum est.

tem

a Matth. 23. v. 23

b Tales sunt excōmunicationes pro reditibus Ecclesiæ, conniuēdo crimina contra ipsum Deum.

tem Dei, & salute dominum negligebant. Ideò dicit de eis: a Væ vobis, qui decimas etiam rerum minimarum exigitis à populo, & misericordiam & iustitiam non facientes, populum non admonetis. Sic enim & modò fit. b Ecce enim Episcopus, si debitum honoris non acceperit à presbytero, aut presbyter, si non acceperit à diacono, aut diaconus à lectore, irascitur, & turbatur: si autē viderit, aut Episcopus presbyterum, aut presbyter diaconum, circa Ecclesiæ obsequium non permanentem, aut aliâs peccantem in Deum, neq; irascitur ei, neq; curat: quia omnes quidem de suo honore solliciti sunt, de honore autem Dei nullus. Et portiones quisq; suas secundùm dignitatem suam vigilanter aspiciunt, & defendunt, & secundùm dignitatem suam curam impendere circa obsequium Ecclesiæ non attendunt. Si populus decimas non obtulerit, murmurant omnes: & si peccantem populum viderint, nemo murmurat contra eum.

Et paulò pòst.

c Culicem colare, camelum deglutire quid? Matth. 23. ver. 24

c Omnes ergo sacerdotes, qui propter non oblatas populi decimas curant, & docent populum, & corripiunt, & alia peiora eorum peccata videntes, tacent: ipsi sunt qui docent populum suo exemplo liquare culicem, & camelum glutire: id est, à modico quidem peccato se abstinere, maiora autem committere.

Idem B. Chrysostomus Homilia 38 in Matth.

Sacerdotiū cor & stomachus, Ecclesiam vegetans vel enecans.

Cap. xxvi.

QVemadmodum medicus, quando primò ingreditur ad infirmum, statim de stomacho eius interrogat, & eum componere primùm festinat: quia si stomachus sanus fuerit, totum corpus validum est: si autem dissipatus fuerit, totum corpus infirmum est. Ita si sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia floret: si autem corruptum fuerit, omnium fides marcida est. Cor autem & stomachus sacerdotes intelliguntur, quia in rebus spiritualibus per eos totus populus gubernatur. Et sicut cor sapientiæ locus est, ita sacerdotes sunt receptacula sapientiæ spiritualis. Esaia dicente: de regibus quidem, Omne caput in dolore: de sacerdotio autem: Omne cor in tristitia. d Sicut enim stomachus accipiens cibum, coquit eum in se ipso, & per totum corpus dispergit: sic & sacerdotes accipiunt scientiam sermonis per scripturas ex Deo, & excoquentes eam in se, id est, tractantes & meditantes apud se, vniuerso populo subministrant. Et sicut stomacho subministrante, vnum quodq; membrum suscipit nutrimentū, & conuertit ipsum in se, secundùm suam naturam: vt puta quod suscipit iecur, totum fit sanguis: quod autem suscipit fel, bilis efficitur totum: quod verò ascendit in pulmonem, phlegmata fiunt:

Esaiæ 1. ver. 5

d Verbū Dei stomacho sacerdotum excoquēdū. diuersas generat nutritiones.

unt: quod autem in mamillas, totum efficitur lac. Sic sacerdotibus in Ecclesia loquentibus, verbum omnes suscipiunt, vnusquisq; autē conuertit illud secundùm proprium cor, ita vt vnum idipsum verbū in cordibus quidem rectis procedat ad vitam, in cordibus autem peruersis suscitet iracundiam, quasi bilis: in alijs autem operatur dilectionem dulcissimam, quasi lac: in alijs autem odia, quasi phlegma nociuum & expuendum. a Videte ergo sacerdotes, quomodo vos componatis in verbo & opere. Quoniam sicut in corpore, si aliquod infirmatum fuerit membrum, non omnino languet & stomachus: si autem stomachus languerit, omnia membra inueniuntur infirma. Sic si aliquis Christianorum peccauerit, non omnino peccant & sacerdotes: si autem & sacerdotes fuerint in peccatis, totus populus conuertitur ad peccandum. b Ideò vnusquisq; Christianorum pro suo peccato reddet rationem: sacerdotes autem non solùm pro suis, sed & pro omnium peccatis reddituri sunt rationem. c Vidit arborē pallentibus folijs marcidam, & intellexit studiosus agricola, quia læsuram in radicibus haberet. d Nam verè quemadmodum cùm videris arborem pallentibus folijs, marcidam intelligis, quia aliquā culpam habet circa radicem: ita cùm videris populū indisciplinatū, & irreligiosum, sine dubio cognosce, quia sacerdotium eius nō est sanū.

a Sacerdotis peccatum afficit populum, non è conuersò.

b Pastorum ratio pro peccatis subditorum. Hebr. 13. ver. 17

c Quod in arbore radix, hoc in populo Sacerdos Lucæ 13. ver. 8

S. Bernardus Epistola 42. ad Archiepiscopum Senonensem.

Cap. xxvii.

IN omnibus exemplo Apostoli, honorificabitis ministerium vestrum. Ministerium, inquam, non dominium. Ipsum itaq; honorificabitis, non vos. Nam qui quærit quæ sua sunt, se cupit honorari, non ministerium. d Honorificabitis autem non cultu vestium, non equorum fastu, non amplis ædificijs, sed ornatis moribus, studijs spiritualibus, operibus bonis. Quàm multi aliter: Cernitur in nonnullis sacerdotibus vestium cultus plurimus, virtutum aut nullus, aut exiguus. Quibus ego si rememorem illud Apostolicum. Non in veste pretiosa, vereor ne indignetur: dum nimirum indignum ducant in se assumptam sententiam, quam priùs in viliorem sexum & ordinem prolatam fuisse recognouerint. Quasi verò non eodem vtantur medici ferro secandis regibus, quo & popularibus hominibus: aut capiti fiat iniuria, si ipsis forcipibus capilli excrescentes detondeantur, quibus & vnguium fuerint resecata superflua. Attamen si dedignantur pari cum mulierculis non quidē à me, sed ab Apostolo feriri sententia: dedignentur & cum ipsis eadem inuolui culpa. Despiciant iam textricū siue pellificum, & non proprijs operi-

Ministerium suum clericis, quomodo honoratur. Rom. 11. ver. 13

d Luxus & cultus exquisitus clericorum perstringitur. 1 Tim. 2. vers. 9

a Videtur hic notare apparatum Pontificalem ſuo tempore faſtuoſum.

operibus [a] gloriari. Horreant & murium rubricatas pelliculas, quas gulas vocant, manibus circumdare ſacratis, & ſacrantibus tremenda myſteria. Reſpuant & apponere pectori, quod decentiùs ornat gemma ſapientiæ. Pudeat & collo circumtexere, quòd honeſtiùs atque ſuauiùs Chriſti iugo ſubmittitur. Non Chiſti ſtigmata ſunt hæc, quę iſti martyrum exemplo circumferant in corpore ſuo. Muliebria potiùs eſſe noſcuntur inſignia, quæ vtiq; curioſiùs & ſumptuoſiùs illæ ſibi præparare conſueuerunt, [b] cogitantes nimium quæ ſunt mundi, quomodo placeant viris. Verùm tu ſacerdos Dei altiſsimi, cui ex his placere geſtis, mundo, an Deo? Si mundo, cur ſacerdos? Si Deo, cur qualis populus, talis & ſacerdos? Nam ſi placere vis mundo, quid tibi prodeſt ſacerdotiũ? [c] Nec enim potes duobus dominis ſeruire. Qui autem vult amicus eſſe huius mundi, inimicus Dei conſtituitur. Et Propheta: Deus, inquit, diſsipabit oſſa eorum, qui hominibus placent: confuſi ſunt, quoniam Deus ſpreuit eos. Et Apoſtolus: Si hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem. Volens itaq; placere hominibus, Deo non places. Si non places, non placas. Cur ergo, vt dixi, ſacerdos? [d] Sin verò quod addidi placere intendis non mundo ſed Deo, cur [e] qualis populus, talis & ſacerdos? Enimverò ſi ſacerdos paſtor eſt, & populus oues, dignum eſt vt in nullo appareat ouibus paſtor diſsimilis? Si inſtar mei, qui ouis ſum, paſtor meus & ipſe incuruus graditur, vultum gerens deorſum, & terram ſemper reſpiciens, & ſoli ventri mente ieiunus pabula quæritans: in quo diſcernimur? Væ, ſi venerit lupus, non erit qui præuideat, qui occurrat qui eripiat. Decernè paſtorem more pecorum ſenſibus incubare corporeis, herere infimis, inhiare terrenis: & non potiùs erectum ſtare vt hominem, cælum mente ſuſpicere, quæ ſurſum ſunt & quærere & ſapere, non quę ſuper terram? [f] Cæterùm mihi indignatur ſi vel nutum facere audeam, iubetq; ori manũ apponere: dicens Monachũ, qui non habeam iudicare de Epiſcopis. Vtinam & oculos mihi claudas, vt nec cernere poſſem quæ contra dicere prohibes. Magna verò præſumptio, ſi ouis cùm ſim, in ipſum paſtorem meum lupas ſęuiſsimas, vanitatẽ & curioſitatem irruere cernens, infremuero, quòd ad meum fortè balatum cruentis beſtijs à quopiam occurratur & ſuccurratur perituro. Quid facient de me qui ouicula ſum, quæ & in ipſum paſtorem tanta feritate inſiliunt? [g] Et quidem ſi non vult vt clamem pro ſe, nunquid non & pro me balare licebit? Sed & ſi ego ſileo, ne [h] ponere videar in cælum os meum, clamatur tamen in Eccleſia. Non in veſte pretioſa. Clamatur autẽ ſpecialiter ad fœminas, vt erubeſcat in ſe deprehendi Epiſcopus, quod in fragiliori quoq; ſexu au-

b Sacerdotes Deo placeant, non mundo.
a Cor. 7. ver. 33
c Matth. 6. ver. 24
Iacob. 4. verſ. 4
Pſalm. 52. ver. 6
Galat. 1. ver. 10
d Qualis populus, talis Sacerdos, exponitur
e Iſaiæ 24. ver. 2
Oſeæ 4. verſ. 9.
Coloſ. 3. ver. 1
f Correctio ſuperiorum ab inferioribus quatenus licita.
Cap. xxviii
g Clericorũ ornatus effœminatus notatur.
h Pſal. 72. ver. 9
1 Timot. 2. ver. 9

xu audierit reprehendi. An fortè nulla timetur confuſio, ſi ego ſolus ſubmuſsitare deſiero? Nunquid etſi ego non loquor, ſua cuiq; non loquitur conſcientia? Quid ſi alius audacior me, non quidem de Apoſtolo vt ego, non de Euangelio, non de Propheta, non deniq; quippiam Eccleſiaſticum, ſed illud tantùm gentilitium ingerat: [a] Dicite Pontifices, non quidem in ſancto, ſed fræno, quid facit aurũ? Quàm tolerabiliùs cernitur in ſancto, quàm in fræno: Hoc me etiam tacente, etſi non curia regum, tamen penuria pauperum clamat. Sileat licet fama, ſed non fames. [b] Fama quidem ſilet, quia [c] non poteſt mundus odiſſe vos. Nam quomodo arguet mundus peccatũ, à quo potiùs laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & iniquus benedicitur? Clamant verò nudi, clamant famelici, conqueruntur & dicũt: Dicite Pontifices, in fræno quid facit aurum? Nunquid aurum à fręno repellit frigus ſiue eſuriem? Nobis frigore & fame laborantibus quid conferunt tot mutatoria vel extenſa in perticis, vel plicata in manticis? [d] Noſtrum eſt quod effunditis, nobis crudeliter ſubtrahitur, quod inaniter expenditis. Et nos enim Dei plaſmatio, & nos ſanguine Chriſti redempti ſumus. Nos ergo fratres veſtri, videte quale ſit de fraterna portione paſcere oculos veſtros, vita noſtra cedit vobis in ſuperfluas copias. Noſtris neceſsitatibus detrahitur, quicquid accedit vanitatibus veſtris. Duo deniq; mala de vna prodeunt radice cupiditatis, dum & vos vanitãdo peritis, & nos ſpoliando perimitis. Iumenta gradiuntur onuſta gemmis, & noſtra nõ curatis crura nuda caligulis. Annuli, catenulæ, tintinnabula, & clauatæ quædã corrigiæ, multaq; talia tam ſpecioſa coloribus, quàm ponderibus pretioſa, mulorum dependent ceruicibus: fratrum autem lateribus nec ſemicinctia miſerantes apponitis. Huc accedit, quòd hæc omnia nec negotiationis ſtudio, nec proprio manuum exercitio vobis elaboraſtis, ſed nec iure hæreditario poſsidetis, niſi fortè & vos in corde veſtro dixeritis: [e] Hæreditate poſsideamus ſanctuarium Dei. Et hæc pauperes modo quidem coram Deo tantùm, cui corda loquuntur. Nec enim audent apertè cauſari aduerſum vos, quibus interim pro ſua vita neceſſe habent potiùs ſupplicare. Cæterùm in futuro [f] ſtabunt in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt, ſtante quippe pro eis patre orphanorum, & iudice viduarum. Ipſius enim tunc vox erit: Quamdiu non feciſtis vni de his minimis meis, nec mihi feciſtis.

a Non in ſancto ſed in fræno, quid facit aurum?
b Si non fama, fames damnat pauperum oppreſſorum vel neglectorum luxuum.
c Ioan. 7. ver. 7
Pſalm. 9. ver. 24
d Pauperum voces ad luxuriãtes.
e Pſal. 82. ver. 13
f Sapien. 5. ver. 1
Pſalm. 67. verſ. 6
Matth. 25. ver. 45

Idem de conſideratione ad Eugeniũ Papam, li. 3. c. 5.

Cap. xxix.

SOlent dicere: Num de veſtibus cura eſt Deo, & non magis de moribus?

Vestitus Sæcularis clericorum carpitur.

1 Cor. 9. ver. 9

a 1 Cor. 15. v: 23

b Iob. 10. ver. 22

ribus? At forma hæc vestium, deformitatis mentium, & morum indicium est. Quid sibi vult, quòd clerici aliud esse, aliud videri volunt? Id quidem minùs castum, minùsq; syncerum. Nempe habitu milites, quæstu clericos, actu neutrum exhibent. Nam neq; pugnant, vt milites, neq; vt clerici euangelizant. Cuius ordinis sunt? Cùm vtriusq; esse cupiunt, vtrumq; deserunt, vtrumq; confundunt. [a] Vnusquisq; inquit, in suo ordine resurget. Isti in quo? An qui sine ordine peccauerunt, sine ordine peribunt? Aut si summe sapiens Deus veraciter creditur à summo vsq; deorsum nihil inordinatum relinquere: vereor istos non alibi ordinandos, quâm [b] vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. O miserandam sponsam talibus creditam paranymphis: qui adsignata cultui eius, proprio retinere quæstui non verentur. Non amici profectò sponsi, sed æmuli sunt.

S. Hieronymus in Regula Monachorum: Capite de abstinentia.

Labor segnis, recreationes verò nimiæ & sæculares, in clericis notantur.

c Conuersationum & conuiuiorum sæculariū Idæa.

d Lucæ 12. v: 20

e Luxuria vitiū supra alia insolubile.

f In carne præter carnem viuitur per castitatem.

QVid nos ventris animalia, tale vnquam fecimus? quos si vel secunda hora legentes inuenerit, oscitamus, manu faciem defricantes, continemus stomachum: & quasi post multum laborem, mundialibus rursus negotijs occupamur. Prætermitto prandia, quibus mens onerata premitur. Pudet dicere frequentiam salutandi: qua aut ipsi quotidie ad alios pergimus, aut ad nos venientes cæteros expectamus. [c] Deinceps itur in verba, sermo teritur, lacerantur absentes, vita aliena describitur: & mordentes inuicē, cōsumimur ab inuicem. Talis nos cibus occupat & dimittit. Cùm verò amici recesserint, ratiocinia supputamus. Nunc ira personam leonis nobis inducit: nunc cura superflua in annos plurimos duratura præcogitat. Nec recordamur Euangelij dicentis: [d] Stulte, hac nocte auferent animam à te, quæ autem præparasti, cuius erunt? Nec verò hoc dicens condemno cibos, quos Deus creauit ad vtendum cum gratiarum actione: [e] sed iuuenibus incentiua esse assero voluptatū. Non Aethnæi ignes, non Vulcania tellus, non Vesenus, Olympusq; tantis ardoribus æstuant, vt iuueniles medullæ vino plenæ, dapibus inflammatæ. Auaritia calcatur à plerisq;, & cum marsupio deponitur. Maledicam linguam indictum silentium emendat: cultus corporis, & habitus vestium vnius horæ spatio commutatur. Omnia alia peccata extrinsecus sunt: & quod foris est facilè abijcitur. Sola libido insita est: & quadam lege naturæ in coitum gestit erumpere. [f] Grandis igitur virtutis est, & solicitæ diligentiæ, superare quod natus sis: & in carne non carnaliter viuere.

Idem

Idem in Epitaphio Nepotiani. Cap. 6.

CVltus prouinciæ morem sequens, nec munditijs, nec sordibus sit notabilis.

S. Augustinus sermone 36. ad Eremitas.

Cap. xxxi.

Sacerdotis boni forma.

Esaiæ 52. ver. 11

a Puritas sacerdotalis quāta requiritur.

Tit. 1. ver. 1.

b Presbyteri Episcoporum perfectionem imitari debent.

c Prælatus debet esse dispensator, non dissipator seu dominus.

d Iracundia & rixæ non decent Pastorem.

FRatres charissimi, vt nouit charitas vestra, oportet manum mūdam esse, quæ polluti vasis maculas debet purgare, ne polluta deteriùs possit coinquinare, cùm sordida sordidum tractat. Propterea sacerdotes altissimi Dei vobis dicitur. Mundamini, qui fertis vasa Domini. Vos enim estis, qui vasa Domini ferre debetis, quibus datum est nosse mysteria regni Dei: Vos estis sal terræ, lux mundi, lucerna accensa, ciuitas in monte posita, columnæ templi, lignum scientiæ in medio paradisi positum, patroni & rectores terræ, angelorum & paradisi ciues, Prophetarum filij, Patriarcharum cognati, Apostolorum successores. [a] Mundamini ergo, vt dignè cum patribus ferre possitis vasa Domini. Vasa enim non solùm aurea & argentea, sed etiam illa pro quibus redimendis Dominus mori dignatus est. Propterea attendat charitas vestra, quales esse debetis, vt dignè vasa Domini portare possitis. Ait enim Apostolus: Oportet Episcopum sine crimine esse, tāquam Dei dispensatorem, non proteruū, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri appetitorem. [b] Hæc autem non solùm ego Episcopus seruare debeo, sed & vos vnâ mecum, Deo auxiliante, seruare debetis. Per omnia sine crimine sicut Episcopum, ita iubet esse presbyterum, id est, irreprehensibilem, vt non quærat vxores, non diuitias, non honores, ne secularis dicatur. Non enim debet qui animarū curam gerit, transire de domo in domū, non frequentare forum cum rusticis, non mercantias acquirere, non comatres procurare, non ligonisare, non tabernas intrare, non discurrere, nisi necessitate compulsus. Sic enim facientes irreprehensibiles sunt apud homines. Sic enim vasa Domini dignè portare poterunt. Sed si contrarium fuerit, quod Dominus auertat, quomodo poterit auferre malum de medio ouium, si in delicto similiter simili corruerit vel maiori? [c] Non enim talis dispensator dicitur, sed potiùs dissipator. Aliud est enim dispensator, & aliud Dominus. Dispensator enim seruus est. Non enim licet dispensatori percutere seruos, non occidere, non iracundiam portare: quia Dominus eius humilis, benignus & misericors est. Non ergo licet dispensatori furiosum esse. [d] Nihil enim fœtidiùs, nihil damnosiùs, nihil leuiùs, nihil turpiùs in pastore furiositate. Attendat igitur pastor,

 attendat

2 Tim. 2. ver. 24

attendat & dispensator, quid legitur: Seruum Dei non oportet rixari, sed humilem ad omnem esse, patientem, doctorem, in mansuetudine erudientem eos qui contrà moueant. Discant ergo pastores, si offenduntur, patientes esse. Et vt ego patientiam merear, oportet presbyteros etiã non solùm abstinere à rixis, sed ab ebrietate cauere. [a] Non enim licet clerico extra horam bibere, sed aliquid manducare: vel de domo in domum transire, & prandium vel cœnam ordinare. Attendite presbyteri mei, attendite, etsi veritatẽ dico, nolite turbari. Nam valdè despicitur clericus, qui sępè vocatus ad prandium non recusat, etiam necessitate aliqua compulsus. Sæpè enim in cœna vel prandio, vbi magna existit multitudo, rixæ & ebrietates nascuntur, & ea quæ sunt opera carnis. Ideò summè cauere debet clericus, ne extra domum suam, vel Episcopi, prandere audeat, vel in eadem etiam audeat secularibus præparare. [b] Quid enim aliud habere debemus, nisi quòd turpis lucri appetitores non simus? Omne enim lucrum remotum à presbyteris esse debet. Nam non seculi, sed corũ quæ Dei sunt, negotiatores sumus: seculares ad nos venire non possunt, nunquid vel intelligere? Absit. Sermonem nostrum audire voluistis, & dimisso dentium dolore volui habere vos, non vt bonos vos esse audiatis, sed vt veritatem loquendo vestram miseriã intelligatis. [c] Quid enim estis? Dicetis. Pastores sumus. Ego autem dico, quòd pastores estis, & verum est quod dicitis. Sed qui pastores vel quales, dicere nõ audeo, quia simul vobiscum mendax. Omnes peccatores sumus, omnes in peccatis nati & concepti sumus, omnes in peccatis viuimus. [d] Expedit tamen, vt verum dicam, quia Episcopus sum, quia pastor sum, quia pro vobis animam ponere paratus sum. Tacere igitur nõ debeo, quia licèt peccator sim, animam tamen pro vestra salute ponere iam decreui, iam me paraui, veruntamen dicam: & omne quod verum est à quocunq; dictum, à Deo est, à patre, & filio, & spiritu sancto est, dicere expedit, non occultare. Nam si verum tacerem, essem vobis similis in cunctis: quod nolo. [e] Si ergo Deus mecũ, quis contra me? Nunquid Fortunatus vel Arrius cum suis insidijs? Nam quia verum eis dixi, ideò in eremo insidias mihi posuerunt, volentes me comprehendere & occidere, & tamen Deus me liberauit. Libenter tamen suscepissem martyrium, & etiam pro veritate mori semper paratus sum.

a Comessationes non decens clericos.

b Lucra spiritualia non sæcularia quærere debent Clerici.

c Pastorum bonorum vel malorum trutina.

d Augustinus martyrii cupidus ab hæreticis.

e Rom. 8. ver. 31

Audite ergo rebelles, audite lupi rapaces, audite vos derisores. Veniat etiam ille sanctus Ezechiel, qui portam clausam viderat in domo Domini, surgat & vobis aperiat visionem quam vidit & palpauit. [f] Dic, dic, ô sancte Ezechiel, dic presbyteris meis. Ait sibi Dominus: Fili hominis, propheta de pastoribus Israël, dicq; ad eos: Væ pa-

Cap. xxxiij

f In Pastores malos inuectiua diuina.

Ezech. 34. ver. 2.

» Væ pastoribus, qui pascebant semetipsos. Nonnè greges pascuntur à
» pastoribus? Lac comedebatis, & lanis operiebamini: quod crassum
» erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Quod infir-
» mum erat, non consolidastis: & quod ægrotum erat, non sanastis.
» Quod confractum est, non alligastis: & quod abiectum est, non re-
» duxistis: & quod perierat, non quæsistis: sed cum austeritate impe-
» rabatis eis, & cum potentia. Et dispersæ sunt oues meæ. Sed ego su-
» per pastores, requiram gregem meum de manu eorum.

Ecce quomodo de vobis queritur Dominus, quia non estis pastores, sed lupi rapaces, quia omnia quasi quæ facitis, propter lucrum facitis. Non solùm quæ Ecclesiarum sunt quæritis, sed & quæ mundanorum. Ecce enim discutiamus mentem, perquiramus veritatem. [a] Nunquid missam cantare, nunquid baptizare, nunquid mortuum sepelire sine pretio vel promissione dignamini? Nunquid non citiùs mortem diuitum, quàm corporis salutem desideratis videre? Ecce quomodo lupi estis, ecce quomodo omni simonia infecti estis. O sacerdotes quid agimus, quid sumus, cur tantùm dormimus? Ecce latro semel furatur, semel fœnus proximi tollit vel rapit, sed si capitur blasphematur, verberatur, furtum imponitur, & tanquam latro iudicatur ad mortẽ. [b] O sacerdotes mei, si fœnus in laico crimen iudicatur, si propter hoc mori debet & condemnatur ad mortem, quid de vobis erit in die nouissimo? Quid de nobis faceret mundus, si super vos potestatem haberet? Quapropter tenete iustitiam, nolite lucrum facere, sed habentes victum & vestitum, contenti per omnia esse debetis. Sed qui celebrat, vel prædicat, vel baptizat, vt inde lucrum acquirat, bonis cælestibus de facto se priuat. [c] Ecce enim Romani principes, quantũ necesse eis fuerat de diuitijs suis, tantum recipiebant, aliud quoq; pauperibus erogabant, iustitiam mirabilem conseruabant in cunctis, propter quæ & alia bona quæ faciebant, & obseruari volebant, meruerunt magnifico imperio sublimari, & timeri à cunctis in orbe. Ecce enim pagani erant, & stultissimum putabant pro Deo colere crucifixum, & tamen Deum suum timebant. Et nos qui nomen Christi in fronte portamus, quid aliud quàm simonia & latrocinia quotidie procuramus? [d] Ego etiam infidelis eram, & non solùm à Carthaginensibus, sed à Romanis acutissimus reputabar à cunctis. Copiosa turba circumdabat frequenter, & me transire videntes & audientes manum ori suo ponebant, ciuem Romanum, tribunorum caput me fecerant, & vxorem Pontiani filiam mihi æqualem parauerant. Audeo enim dicere, audeo hoc asserere, in nullo me mutatum fuisse, omnia contemnens, cuncta quæ promiserant spernens, diuitias abhor-

a Clericorum officia mercenaria, vel Simoniaca.

b Sæculares & æthnici, auaris sacerdotibus meliores.

c Romanum Imperium propter virtutes sublimatum.

d Augustinus prius contemptor mũdi, quam Dei seruus.

a Mulierum consortia etiam in matrimonio non tuta.

rens, ciuitatem cautè relinquens, fugiens Mediolanum, [a] vxorem non quærens, cogitans nihil peius habere, quàm consortium mulierum & societatem. Hæc omnia seruus iniquitatum mearum facere nolebam: qui tamen nunc seruus Christi ea quæ diximus, & maiora tentor habere frequenter. Nos autem, fratres, qui in pugna semper sumus, licèt tentemur ad mundum redire, vxorari, negotiari, delicatè viuere, cathedram etiam ascendere, caueamus ne cum mundo damnemur. [b] Vos enim estis dij excelsi, in quorum synagoga Deus deorum stare desiderat. Vos estis eius vicarij, quia vicem eius geritis. Vos estis filij excelsi omnes, quibus datur potestas ligandi, atque soluendi, aperiendi etiam cælum, & infernũ claudendi. Eia ergo, sacerdotes Dei excelsi, aperite aures cordis vestri. [c] Quiescite iam agere peruersè, discite benefacere, pascite oues verbo & exemplo, [d] nolite eis cælũ claudere. Clauditis, dum non corrigitis, clauditis, dum malè viuere ostenditis. Oculus sitis cœco, & pes claudo. Tunc enim oculus estis cœco, cùm eius tenebras effugatis ignorantiæ: Et pes estis claudo, quando viam veritatis demonstratis, vel quãdo fidem eorum roboratis. Sed fidem vestram pro vobis roborare nescitis, quomodo aliorum fidem roborare poteritis? [e] Et ideò attendite, nec turbemini, si veritatem dico vobis. Scio enim, & benè scio, quòd vobis amara est veritas. Quare, nisi quia veritatem dico non creditis mihi, & in meliùs etiam non mutamini? Amara est ergo veritas, & qui eam amant vel prædicant, sæpè replentur amaritudine & dolore. Tacere tamen non audeo, nec vobis placere intendo: quia [f] si hominibus malis placerem, seruus Dei non essem. Vultis vt placeam, desideratis vt diligam: tamen non vultis vt corrigam. Obsecro tamen vos, vt vitam emendetis, conculcantes auaritiam, despicientes luxuriam, vitantes superbiam, simoniam odientes, pauperes amantes, pompas huius seculi renuentes, & pro nobis intercedentes, sine intermissione orantes, vt & ego vnà vobiscum [g] vasa Domini dignè per gratiam merear portare. Et si quis de me murmurauerit, sciat quod de patre Episcopo murmurauerit, parcatur illi, & oretur pro eo.

b Parenæsis exhortatoria ad Pastores.
Psalm. 81. v. 1. &c.
Matth. 18. ver. 18
c Isaiæ 1. ver. 16
d Matth. 23. v. 13
Iob 29. vers. 15
e Veritas odiosa, tamẽ ab ijs quorum interest non tacenda.
f Galat. 1. ver. 10
g Isaiæ 52. ver. 11
Episcopo cũ pacientia obediendum.

Ex sermone sequenti. 37.

Cap. xxxiii.

Sacerdotibus debetur victus honestus, absque defectu, vel luxu.

MEmento quòd pauperem vitam sacerdos gerere debet, & ideò si superbiam habet, si magno beneficio gaudet præter victũ & vestitum, quod superest pauperibus dare non differat, quia omnia pauperum sunt. Verbum autem illud, quod negare non debet fidelis: [h] Qui altari seruit, de altari viuat, verum omnino est: quia non licet sacerdotibus manibus operari, ligonisare, ferrum fabricare, & similia. Hoc autem propter reuerentiam, & tanti sacramenti dignitatem. Illud autem magis ad seculares, quàm ad sacerdotes pertinet: ne ipsi sacerdotes Dei fame pereant, vel nuditate, ideò dignum est, vt qui altari seruit, de altari viuat. Similiter, fratres, qui sacramentum emit, [a] vel Ecclesiam, vel præbendas, vel Ecclesiarum introitus, vel seculari potentia hoc pro se procurauit, sciat quòd cum Giezi, & Iuda, iam damnatus est, iam leprosus factus est, iam de templo Domini expellendus est. Quare sic: Quia, qui non intrat per ostium in ouile, sed ascendit aliunde, fur est & latro. Ideò reprehendendus est, quia ementes & vendentes Dominus ejcit de templo: repellendus est, quia leprosi ejci iubentur. Non intrat per ostium ad Ecclesiã, qui per laicalem portam intrat. [b] Non enim laicis spiritualia dona tradita sunt, sed Domini vicarijs. Vicarij Domini sunt, qui vicem Apostolorum tenent. [c] Castella autem & villas suas laici dispensent: bona autem Hipponensis Ecclesiæ vigilanter attendant, ne tangant. Diuites enim raro vel nunquam pauperibus sacerdotibus præbendas procurant: etsi procurant, non Dei amore procurant, sed vt cum vxore & familia de bonis Ecclesiæ gaudere valeant. Et ideò sciat sacerdos, qui timore vel amore defraudari à diuite se permittit, quòd impunitus non remanebit: & si non in præsenti, saltem in futuro igne æterno non carebit.

h 1 Cor. 9. ver. 13
a Simoniacè vel ambitiosè intrantes, in Ecclesia non ferendi.
4 Regum 5. v. 26
Matth. 26. ver. 5
Actor. 1. ver. 20
Ioan. 10. vers. 1
Ioan. 2. vers. 16
b Vicarij Christi sunt, qui Apostolis succedunt.
c Bona Ecclesiæ sæcularibus non credenda, sub periculo gehennæ.

S. Bernardus sermone 33. super Cantica.

Cap. xxxiiii.

Quatuor tentationes Ecclesiam maximè affligentes.

ADhuc nisi tædio fuerit lõgitudo sermonis, has quatuor tentationes tentabo suo ordine assignare ipsi corpori Christi, quod est Ecclesia. Et ecce quàm breuiùs possum percurro. Videte primitiuam Ecclesiam, si non primò peruasa est acriter nimis à timore nocturno. Erat enim nox, quando [d] omnis qui interficeret sanctos, arbitrabatur obsequium se præstare Deo. Hac autem tentatione deuicta, & sedata tempestate, inclyta facta est, & [e] iuxta promissionem ad se factam in breui posita in superbiam seculorum. Et dolens inimicus quòd frustratus esset, à timore nocturno, [f] conuertit se callidè ad sagittam volantem in die, & vulnerauit in ea quosdam de Ecclesia. [g] Et surrexerunt homines vani, cupidi gloriæ, & voluerunt sibi facere nomen, & exeuntes de Ecclesia, diu eandem matrem suam afflixerunt in diuersis & peruersis dogmatibus. Sed hæc quoque pestis depulsa est in sapientia sanctorum, sicut & prima in patientia martyrũ. [h] In tempora ista libera quidem Deo miserante ab vtraque illa malitia, sed planè fœda à negotio perambulante in tenebris. [i] Væ generationi huic à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis, si tamen hypocrisis

Psalm. 90. v. 5. &c.
d Ecclesiæ persecutio ex sanguine triumphans.
Ioan. 16. vers. 2
e Isaiæ 60. ver. 15
f 2 Persecutio Ecclesiæ per hæreses.
g 1 Mach. 5. v. 57
h 3 Persecutio Ecclesiæ per simulatam pietatem, & vitam peruersissimam.
i Lucæ 12. ver. 1

pocrisis dici debet, quæ iam latêre pre abundantia non valet, & præ impudentia non quærit. Serpit hodie putida tabes per omne corpus Ecclesiæ, & quò latiùs, eò desperatiùs: eoq; periculosiùs, quò interiùs. Nam si insurgeret apertus inimicus hæreticus mitteretur foras, & aresceret: si violentus inimicus, absconderet se forsitan ab eo.

a Status spiritualium deplorata corruptio.

a Nunc verò quem eijciet, aut à quo abscondet se? Omnes amici, & omnes inimici: omnes necessarij, & omnes aduersarij: Omnes domestici, & nulli pacifici: omnes proximi, & omnes quæ sua sunt quærunt. Ministri Christi sunt, & seruiunt Antichristo. Honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde is quem quotidie vides, meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus: inde aurum in frænis, in sellis & calcaribus, & plus calcaria quàm altaria fulgent. Inde splendidæ mensæ, & cibis & scyphis, inde comessationes, & ebrietates, inde cithara & lyra, & tibia, inde redundantia torcularia, & promptuaria plena eructātia ex hoc in illud. Inde dolia pigmentaria, inde referta marsupia. Pro huiusmodi volunt esse & sunt Ecclesiarum prepositi, decani, Archidiaconi, Episcopi, Archiepiscopi. Nec enim hæc merito cedunt, sed negotio illi quod perambulat in tenebris. Olim prædictum est, & nunc tēpus impletionis aduenit: b Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Amara priùs in nece martyrum, amarior post in conflictu hæreticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum. Non fugare, nō fugere eos potest, ita inualuerunt, & multiplicati sunt super numerū. Intestina & insanabilis est plaga Ecclesiæ, & ideò in pace amaritudo eius amarissima. Sed in qua pace? Et pax est, & non est pax. Pax à Paganis, & pax ab hæreticis, sed nō profectò à filijs. Vox plangentis in tempore isto: c Filios enutriui & exaltaui, ipsi autē spreuerunt me. Spreuerunt & maculauerunt me à turpi vita, à turpi quæstu, à turpi cōmercio, à negotio deniq; perambulante in tenebris. Superest vt iam d de medio fiat dæmonium meridianum ad seducendos, si qui in Christo residui sunt adhuc permanentes in simplicitate sua. Siquidem absorbuit fluuios sapientium, & torrentes potentium, & habet fiduciam vt Iordanis influat in os eius, id est, simplices & humiles, qui sunt in Ecclesia. Ipse enim est Antichristus, qui se nō solùm diem, sed & meridiem mentietur, & extolletur supra id, quod dicitur, aut quod colitur Deus: quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui, vtpotè verus & æternus meridies, sponsus & aduocatus Ecclesiæ; qui est super omnia Deus benedictus in secula.

Psalm. 143. ver. 13

b Ecclesiæ amaritudo amarissima in pace quomodo.

Esaiæ 38. vers. 17

Psalm. 39. vers. 6

c Isa. 1. vers. 2

Psalm. 90. ver. 6

d Christianorum dissolutio vniuersalis, Antichristū euocat.

Iob. 40. vers. 17

2 Thess. 2. ver. 7

S. Cle-

S. Clemens Constitutionum Apostolicarum lib. 2. cap. 28. & deinceps.

Cap. xxxv.

Episcoporū perfectio ad imitationem Christi quanta.

HVnc Saluatorem, Regem, & Dominum, & Deum nostrum Iesum Christum, ô Episcopi, tanquam scopum vos habere, huius imitatores vos esse oportet, mites, quietos, clementes, misericordes, pacificos, mansuetos, promptos ad docendum, ad conuertendū, ad recipiendum, ad cohortandum, non percussores, non iracundos, non petulantes, non gloriosos, non superbos, non vinolentos, non ebrios, non inanes sumptus facientes, non delicatos, non sumptuosos, non tanquam alienis, sed tanquam proprijs Dei donis vtentes, tanquam bonos dispensatores factos, tanquam eos, à quibus Dominus rationem est postulaturus. Sufficientem habeat victum & vestitum Episcopus, vsui, & dignitati accommodatum: non vtatur Dominicis rebus tanquam alienis, sed moderatè: dignus est enim operarius mercede sua. Delicatus ne esto, ne leuis, sed tantùm expetat, quæ faciunt ad conseruandam naturam.

Matth. 10.

Et consequenter.

Cap. xxxvi

Bonis Ecclesiæ quomodo vti, eaq; dispēsari debet Episcopus.

QVæ ex decimis, & primitijs secundùm mandatum Dei dantur, vt Dei homo consumat, voluntaria, quæ occasione pauperum offeruntur, rectè dispensat orphanis, viduis, afflictis, & peregrinis egentibus: vt qui habet Deum harum rerum rationem ab eo reposcentem, qui hanc dispensationem illi commisit. Omnibus egentibus cum iustitia tribuentes, ipsiq; ijs vtentes, sed non abutentes: comedentes de ijs, sed non soli vorantes, egenisq; impertientes, Dei offensionem vitabitis. Nam si soli hæc consumetis exprobrabitur vobis à Deo dicente, tanquam insatiabilibus, & voratoribus, lac comedebatis, & lanis vestiebamini. Et in alio loco: nunquid habitabitis soli super terram? Propterea in lege præceptum est vobis: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Atq; hæc non ideò dicimus, vt non capiatis fructum laborum vestrorum. Scriptum est enim: Non infrenabis os boui trituranti: sed moderatè, & cum iustitia. Et igitur in area laborans in somnis bos comedit quidem, sed non totū absumit: sic vos laborantes in area, hoc est, in Ecclesia Dei, de Ecclesia comedite, more Leuitarum ministrantiū in tabernaculo martyrij, quod per omnia Ecclesiæ figuram referebat, etiam verò ex nomine martyrium Ecclesiæ tabernaculum designabat. Hic igitur Leuitæ tabernaculo assidentes, de ijs, quæ Deo offerebantur ab omni populo,

Esech. 34.

Isaiæ 5.

Deut: 25.

pulo, donis, partibus, primitijs, decimis, sacrificijs, oblationibus, sine prohibitione partem habebant ipsi, & vxores eorum, filij & filię eorum. Quoniam autem eorum officium erat tabernaculo administrare: propterea sortem terræ non acceperunt in filijs Israël, quòd oblationes populi sors Leui, & sors tribus eius.

Numer. 8.

a Pastorum officia, dignitas, & pericula.

[a] Vos igitur hodie, ô Episcopi, estis populo vestro sacerdotes. Leuitæ, qui ministrant sacro Tabernaculo, sanctæ & Catholicæ Ecclesiæ, atq; asſistentes ad altare Domini & Dei nostri, & adducentes ei rationales & incruentas hostias per Iesum magnum Pontificem. Vos laicis, qui inter vos sunt, estis Prophetæ, principes, duces, & reges, mediatores Dei, & fidelium ipsius, participes verbi ac nuntij, cognitores scripturarum ac tubæ Dei, testesq; eius voluntatis, qui omnium peccata portatis, & de omnibus rationem redditis, quibus (vt audistis) grauiter minatur sermo,

Lucæ 11.

Si absconderitis ab omnibus clauem scientiæ, quibus periculum damnationis imminet, nisi annunciaueritis voluntatem eius, populo vobis subiecto: quibus certa merces à Deo parata est, & gloria ineffabilis laudabiliter, & rectè ministrantibus in tabernaculo sancto.

Ignatius ad Polycarpum.

Nam quemadmodum vestrum est onus, ita ministeria victus, atq; alios necessarios vsus vos capitis. Imitatores enim estis Christi, & vt ipse omnium nostrum peccata portauit in lingno affixus, immaculatus pro ijs, qui supplicio digni erant, sic vos populi peccata in vos ipsos transferre oportet. Dictum est enim de saluatore in Isaia, quod hic peccata nostra tollit, & pro nobis dolet. Et rursum, Ipse peccata multorum portauit, & propter iniquitates ipsorũ est traditus.

Isaiæ 53.

Quemadmodum igitur vos scopi estis, ita scopum habetis Christum. Vt igitur ille omnium vestrum scopus est, sic vos laicorum vobis subiectorũ. Nolite enim existimare facile vel leue esse Episcopatus onus.

b Victus Clericorum ex bonis Ecclesiæ, secundum cuiusq; statum & laborem.

[b] Cõuenit igitur, vt quemadmodũ onus sustinetis ipsi, ita quoq; fructuum primi participes sitis, & egentibus partem suppeditetis, vt qui rationem reddituri estis ei, qui falsas rationes à vobis non est accepturus. Oportet enim eos, qui Ecclesiæ asſident, ali de Ecclesia. Quippe sacerdotes, Leuitas, asſessores, ministros Dei, vt in libro Numerorũ scriptum est de sacerdotibus.

Numer. 18.

Et dixit Dominus ad Aaron: Tu, & filij tui, & domus patris tui accipietis peccata sanctorũ sacerdotij vestri. Ecce dedi vobis custodiam primitiarum de omnibus sanctificatis â filijs Israël. Tibi dedi ipsa in munus, & filijs tuis post te in legẽ æternam. Et hoc erit vobis à sanctificatis, à fructibus, & à donis, & ab omnibus sacrificijs, & ab omni delicto, & de peccatis, & quęcunq; reddunt mihi, ab omnibus sanctis tibi erunt, & filijs tuis. in sanctuario commedite ipsa, Et paulò pòst: Omnes primitiæ olei, & vini, & frumenti,

frumenti, quæcunq; dederint Domino, tibi dedi ipsa. Primogenita omnia tibi dedi, & dices omne donum, omne primogenitum hominis & iumenti mundi & immundi, & hostiæ, pectoris, & humeri dexteri, ad sacerdotes pertinet, & reliquos inseruientes Leuitas, Audite hæc vos laici, & electa Dei Ecclesia Dei. Etenim antea populus Dei, populus & gens sancta vocabatur: Vos quoq; igitur estis sancta Dei, & sacra Ecclesia descripta in cælo, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, sponsa ornata Domino Deo, Ecclesia magna, Ecclesia fidelis. Quæ priùs dicta sunt, nunc auribus percipe, primitiæ pontifici Christo, & ministrantibus ei, decimæ salutaris initium nominis Iesu.

Exod. 19.
1 Petr. 2.

S. Bernardus de dignitate sacerdotali. cap. 6.

Cap. xxxvii

Episcopus cum clero ex luce tenebrosus quàm populum afficiat.
Matth. 5. vers. 13

ECce ad quæ mala voluitur deificus ordo. Ecce ad quæ probra sunt prolapsi sacerdotes, qui audire meruerunt à iudice mundi: Vos estis lux huius mundi. Ecce quibus subijciuntur gentes, quibus â Domino dictum est: Vos estis sal terræ. Ergo si lux est Ecclesiæ Episcopus â Domino ordinatus, ita vt imperitiæ tenebras prædicationis suæ eloquio rutilante, conscientiarum latebras illuminet, cur ipse palpabilibus tenebris tenetur obstrictus? Et non solùm, quia ipse dum malè agit, dignè perit: insuper & alios secum indignè perdit. Si enim meruisti salis posſidere saporem, vt insipientium posſis arua condire, cur infatuatus tali vitio, immundis te porcorum conculcandũ pedibus præbuisti, ita vt nec alios, nec seipsum posſis condire? Oculorum etiam in corpore officium, id est, in Ecclesia, voluntarius appetisti, vt reliquum per te corpus ducatum lucis haberet: & nunc quadam lippitudine, & caligine vitiorum obtenebratus, nec teipsum luci idoneum præbes, & alijs adimis lumen, &c. Quid cætera facient membra, quibus lux adempta est oculorum? id est, quid secularis factura est multitudo, cûm voluptatibus illicitis, & actionibus vetitis, ad similem facinorum voraginem Episcopus multitudinem populi prouocauerit, vt nulli iamiamq; illicitum esse videatur, quod ab Episcopo quasi licitum perpetratur. Hæc ille:

Dux Philippicæ in dissolutum Clerum inuectiuæ Diui Bernardi

QVi lippitudine seculari non caligat, videat, & si placet istis adijciat duos S. Bernardi sermones Synodales, versus finem operũ ipsius positos. Primus incipit: Graue est, quod mihi iniungitur, &c. Alter verò. Reuerendisſimi Patres, etc.

B. Hieron: ad Nepotianũ de vita Clericorũ in fine.

Eee Non

Conclusio expurgatoria.

a Matth. 7. ver. 3

NOn vt aduersarijs, sed vt amicis scripsimus: nec inuecti sumus in eos, qui peccant, sed ne peccent, monuimus. Neq; in illos tantùm, sed & in nos ipsos seueri iudices fuimus: a volentesq; festucam de oculo alterius tollere, nostrā primùm trabem eiecimus. Nullum læsi: nullius nomen mea scriptura designatum est. Neminē specialiter meus sermo pulsauit. Generalis de vitijs disputatio est. Qui mihi irasci voluerit, priùs ipse de se, quòd talis sit, confitebitur.

Sermo decimus septimus.

DE OFFICIIS SECVLARIVM Christianorum erga clericos, præsertim sibi Prælatos.

Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die, &c. 1. Cor: 4.

Disciplina Ecclesiæ à Pastoribus, ad subditos deriuanda.

Cap. 1.

Sap. 6. vers. 6.

Plato.

Psalm. 1. ver. 3

Ambros: in caput 3. Lucæ.

IVdicij sui districtionem atq; rigorem, attestatur Dominus, sese inchoaturum à domo sua, hoc est, à prælatis, præsertim verò pastoribus animarum. Durissimum siquidem (attestatur spiritus S.) iudicium fiet his, qui præsunt. Arborum enim species, non solùm prophano, sed sacro etiam testimonio, refert humanum genus: vitium autem arboris, ex radice potissimùm tum deprehenditur, tum curatur, vt supra etiam ex B. Chrysostomo adduximus. Optima igitur ratione Apostolus, in breuissima hierarchiæ Ecclesiasticæ descriptione, primo loco posuit officium ministrorum Christi, & dispensatorum mysteriorum Dei, eorumq; officiorum dignitatem atq; excellentiam. Secundò subiecit examen, quomodo quisq; in tanta dignitate, vocationi & officio suo respondeat: quorum vtrumq; hucusq; Deo annuente, pro virili explicuimus. a Sequitur ergo vltima censura quoad ipsum qui subest, populum: si quid nimirum vitij tantæ altitudini inesset, examen & disciplinam non subditis, sed supremo cuius ministri sunt æterno iudici, fore reseruandam. Sicut & in arbore vitium radicis, non à folijs & ramis, sed ab ipso cultore, & domino dignoscitur, & corrigitur, vel eradicatur. Quin potiùs opposita ratiocinatione exinde sequitur, populo respectu sacerdotum, si non præiudicium, ergo officium: si non dominium, ergo spirituale mancipium: si non imperium, ergo subiectionem & obedientiam,

a Pastores spirituales cur nō iudicandi, sed subiectione honorādi, supra legales.

cælitus imperari. Enimuerò Dominus antequam per vltimum Prophetarum Malachiam, noui sibiq; beneplaciti sacerdotij nouæ legis institutionem prænuntiasset, inter alia quæ in reprobāda lege & populo illo requirebat, hæc infert: a Filius honorat patrem, & seruus dominum suum. Si ergo pater ego sum, vbi est honor meus? si dominus ego sum, vbi est timor meus? Quam inhonorationem initium habuisse conqueritur à sacerdotibus, tanquam capitibus populi illius: vtpote qui cùm ministri essent corporis & sanguinis taurorū & vitulorum, earum victimarum vilitatem, proprijs insuper criminibus contaminassent. Quod veluti vindicando, promittit hostiam suiipsius mundam & perhennem, qua nomen suum magnum, per vniuersum mundum glorificaretur, per sacerdotes eiusdem nouæ legis offerendam. b Quos cùm Isaias multò ante prædixerit futuros sacerdotes, Apostolus verò nominet ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei: consequitur quòd ipsi suprà legales sacerdotes in loco Dei constituti, pro patribus & dominis seu prælatis spiritualibus, populo Christiano reputantur: quibus secundùm Deum proximus honor & timor, seu obedientia debeatur. c Quod præclarè expressit sacer Ecclesiasticus his verbis: In tota anima tua time Dominum, & sacerdotes illius sanctifica. In omni virtute dilige Deum, qui te fecit, & ministros eius ne derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica sacerdotes, & propugnato cum brachijs. Da illis partem sicut mandatum est tibi, primitiarum & purgationis: & de negligentia tua, purga te cum paucis. Datum brachiorum tuorum, & sacrificium sanctificationis, offeres Domino, & initia sanctorum. d Ex quibus verbis, præsenti sermone, diuino accedente auxilio, ostendemus, quid secundùm typum antiquæ legis, populi fideles debeant nouæ legis sacerdotibus: primò nimirum honorem reuerentiæ: secundò honorem subsidij temporalis: tertiò timorem seu obedientiam, quæ illis quoad directionem spiritualem subijciantur. Postremò: si quos defectus in illis aduerterint, tanquam probi filij, contegant potiùs & occultent: iudicium autem & correptionē soli supremę authoritati diuinæ relinquant. Quæ singula sic proposito ordine excutiamus.

a Malach. 1. v: 6

b Sacerdotes & ministri nouo nomine, nouum officium sortiti. Isaiæ 61. ver. 6 Et cap. 66. ver. 21 1 Cor. 4. vers. 1

c Sacerdotū honorandorum regula diuina. Eccli. 7. ver. 31

d Argumentum & dispositio sermonis.

Prima pars.

Cap. II.

PRimò autem antequam verba ista ad singula proposita officia applicemus, sensum ipsorum breuiter expendamus. Requirit Deus ab homine præcipuum triplicem affectum: timorem, dilectionem, & honorem. Timor autē alijs præponitur conuenientissimo ordine,

Deum, eiusq; sacerdotum honorandi ordo, explicatus ex Eccli. 7. ver. 31.

Timor.

Eccli: 25. verſ. 13
Malach. 2. ver. 10
Deuter: 32. ver. 6

iuxta illud quod idem ſapiens poſtea dicit: Non eſt ſuper timentem Dominum. Timor Domini ſuper omnia ſe ſuperpoſuit, &c. Timor Dei initium dilectionis eius, fidei autem initium agglutinandum eſt ei. Hæc ibi. Timendus eſt ergo Deus, tanquam dominus, ſecundùm illud quod ipſe conteſtatur per Prophetã: Si Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus? Deinde diligendus eſt Deus tanquam creator. Qua ratione etiam reputatur tanquam pater, iuxta illud, quod ſequitur apud eundem Prophetam: Nonne ipſe eſt pater vnus omnium noſtrum? nunquid non Deus vnus creauit nos? Et ſic talem filialem dilectionem, rectè conſequitur honor, de quo dictum eſt per a Prophetam: Si pater ego ſum, vbi eſt honor meus? propterea ſtatim additur: Honora Deum ex tota anima tua. Vbi etiam expendendũ eſt, iſta erga Deum officia exigi, non vllo reſpectu, ſed propter ipſum Deum, qui principium & finis, & ſummum bonum ipſius hominis eſt. Et hoc ſibi volunt illæ adiectiones, in tota anima tua, in tota virtute tua, ex tota anima tua: quæ etiam b in vniuerſali legis diuinæ præcepto adijciuntur. Iam verò officia erga ſacerdotes officijs erga Deum, adduntur veluti ſubalterna, tanquam Deum etiam in ſuis miniſtris reſpicientia. Propterea cùm dictum eſſet: In tota anima tua time Deum: ſtatim additur: & ſacerdotes (expende iſtam relationem) eius ſanctifica. c Vbi Deus præcipitur timendus, naturalis totius vniuerſi dominus, ad cuius nutum vniuerſæ expauent creaturæ: ſacerdotes autem eius qui natura ſanctus eſt, tanquam ab eo per gratiam, & ſingularem vocationem ſanctificati, â populo etiam in ea ſanctificatione reputari iubentur: quemadmodum nomen Dei per ſe ſanctum, Oratione Dominica, in hominibus quoque exoratur ſanctificandum. d Secundò quando dicitur: In omni virtute tua, dilige eum qui te fecit: additur mox: Et miniſtros eius non derelinquas. Cùm enim duplex ſit charitatis præceptum, principale quidem refertur ad ipſum Deum propter ſeipſum diligendum: alterum autem ad proximum, in Deo & propter Deum. In quo ordine veriſſimè proximi omnium ſunt ſacerdotes, maximè qui hîc Græco nomine exprimuntur λειτȣ́ργοι, hoc eſt, miniſtri, qui ſacrificium adminiſtrant. Illi enim verè proximi ſunt Deo & hominibus, tanquã inter Deum & homines ſequeſtres & mediatores, vt ſuo loco ſatis â nobis dictum eſt. Summus igitur charitatis affectus interior in tota anima, ad Deum, qui bonorum humanorum non indiget, ſic refertur, vt in eadem præcepti exigentia, miniſtri & operis eius vicarij quoq; non derelinquantur, in exteriori dilectionis exhibitione. Videtur autem eſſe alluſio ad illud legis præceptum: e Caue ne derelinquas

Dilectio

Honor

a Malach. 1. ver. 6

b Matth. 22. v. 37

c Sacerdotes reſpectu Dei ſanctificandi.

Matth. 6. ver. 10.

d Sacerdotũ honor duplex qualis.

quas Leuitem in omni tempore, quo verſaris in terra. Quod poſtquã ſacer Author in genere propoſuiſſet, particularibus poſtmodum officijs ſic partitur, quando ſubinfert: Honora Deum ex tota anima tua: & honorifica ſacerdotes: & propugnato cum brachijs. Da illis partem, ſicut mandatum eſt tibi, primitiarum & purgationis: & de negligentia tua, purga te cum paucis. Datum brachiorum tuorum, & ſacrificium ſanctificationis offeres Domino, & initia ſanctorum. Quæ verba cùm varias habeant expoſitiones: nos ad ſcopum literę & propoſitæ materiæ, ſic accommodemus. Quando Deo attribuitur honor, ſacerdotibus autem honorificatio, quẽadmodũ in prioribus verbis, ita & hîc intelligimus, honoris â Deo, cui propriè tanquam vnico ſummo bono debeatur, in eius quoq; ſacerdotes dependentiam: & quidem ſicut erga Deum nullius indigẽtem internũ, ſic erga viſibiles eius miniſtros externum, ipſius honoris exhibitionis modum. Vtrumq; enim in ſcripturis vox honoris deſignat, vt vel ex hoc ſolo loco colligitur. a Porrò propugnatio ſacerdotum cum brachijs, videtur mihi deſignare ſecularem protectionem, quam ipſe Dominus etiam ſic repromittit: Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. Eiuſmodi autem protectionem ſeu aſsiſtentiam ipſis populi ſui ducibus potiſsimùm Deus exhibebat, quẽadmodum ipſe Moyſi, Eliæ, Ieremiæ, & alijs conteſtatur. Quod ipſum per ſæculares poteſtates â ſe traditas exhiberi voluit: prout maximè in Machabæis, pro aris & ſacris ſuis aſsiduè decertantibus, habemus conteſtatum. Eius rei refertur inſigne exemplum in libro b Iudicum, quando Leuita quidem Bethleemites, vxoris ſuæ per ſtuprum enecatæ cadauer in duodecim partes diſſectum, miſit per totam terram duodecim tribuum Iſrael. Vnde tam atrox vindicta conſecuta erat, vt tota ferè prouincia filiorum Beniamin, qui hoc ſcelus patraſſent, per alias tribus, fuerit gladio depopulata. Similem protectionem Dominus noſter, Apoſtolis ſuis eorúmq; ſucceſſoribus, magis firmatam eſſe voluit, quando verbi ſui gladio omnia aduerſa ab eis propulſabat, inquiens: c Dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere omnes aduerſarij veſtri. Capilli enim capitis veſtri numerati ſunt, nullus ex illis decidet vel peribit, abſq; voluntate patris veſtri qui in cælis eſt. Sæcularis verò poteſtas ab eodem Domino tanquam rege, qui regit gentes in virga ferrea, accepit gladium non fruſtra, ſed ad vindictam malorum, laudem verò (ſeu defenſionem) bonorum: inter quos miniſtri Chriſti, ſicut inter malos eorum, ipſiuſq; religionis perſecutores, primo loco ſunt reputandi. Propterea leges Chriſtianæ, non ſolùm Eccleſiaſticæ, ſed etiam politicæ, primas & præcipuas

e Deut. 12. v: 19
Et cap. 14. ver. 27

a Propugnatio ſeu defenſio Paſtoribus propriis debita.

Eccli: 7. ver. 34
Zachar. 2. ver. 8
Exodi 3. ver. 12
3 Reg: 19. ver. 11
Ierem: 1. ver. 8, 17

b Iudic: 19. & 20

c Lucæ 21. v. 15
Pſalm. 2. ver. 9
Rom. 13. verſ. 4
1 Petr. 2. ver. 13

cipuas sanctiones, sicut in professione, sic in defensione religionis, eiusq; sacerdotum securitate, constituunt: quod etiam nostræ patriæ leges antiquæ obseruârunt. [a] Porrò sicut naturale est omni animantium generi, sese suáq; propria primò propugnare, & in securitate constituere, sic etiam in vitæ necessarijs conseruare: Ad eundem modum prouisa securitate ministrorum Christi, pergit Spiritus diuinus, eorum quoq; cōdignam sustentationem prouidere, sic subijciens: Da illis partem, sicut mandatum est tibi. [b] Vbi consequenter recenset quinq; præcipua, quæ ex ordinatione legis antiquæ sacerdotibus debebantur, iuxta illud: Honora Deum de substantia tua, & de primitijs omnium frugum tuarum, & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt. [c] Primùm erant primitiæ, hoc est, primi fœtus tam hominum, qui precio redimebantur, quàm animalium præsertim mundorum: deinde primi fructus, arborum, plantarum, segetum, frugum, quæcunq; gignit humus, & animalia producunt: insuper eorum quæ arte aut labore ad victum præparabantur, & quocunq; modo ad vsum vitæ humanæ accommodantur. Eorum, inquam, omnium primi necdum prægustati fructus primitiæ vocati, in gazophilatium templi inferebantur sacerdotibus. Insuper autem eorundem omnium decima pars, Leuitis exquisitissimè præstabatur. [d] Secundo loco recensentur sacrificia pro negligentia, quæ aliâs vocantur pro peccato & delicto. Eadem vocat sacer Autor, sacrificia purgationis, quia hoc genere oblationum expiabantur, non solùm negligentiæ culpabiles, sed etiam leprosorum, & puerperarum purgationes. Propterea iubet de ijs purgare se cum paucis. Siquidem in ista communissima purgatione, consultum erat paupertati, vt qui maiora non possent, minora offerent: quod etiam de Maria immaculata puerpera vel potiùs Deipara, B. Lucas, memorat. [e] Tertio loco refert Ecclesiasticus, datum brachiorum. Per quod aptè quidem possemus interpretari armos dextros animalium, qui cum pectusculis (oblata reliqua carne per offerentes) relinquebantur sacerdotibus: præsertim quòd eosdem armos, Græcus textus vocet βράχιον δέξιον, hoc est, brachium dextrum. Sed quoniam supra per brachia, intelleximus ipsam protectionem seu propugnationem humanam, & hîc dicatur signanter, datum brachiorum tuorum, vtiq; brachia non rerum oblatarum, sed ipsorum offerentium erunt accipienda. [f] Et sic methonimicè intelligentur ea, quæ sicut supra ab agricolis ex opera agriculturæ, sic hoc loco à militibus & opificibus, ex fortissimis operibus vel eorum acquisitionibus, ministris Dei essent impartienda.

Cuius

a Securitatem sacerdotum victus, debita prouisio consequatur.

Cap. III.

b Oblatio quintuplex, ad sacerdotum legalium sustentationem.
Eccli. 7. ver. 34
Prouer. 3. ver. 9

c Primitiarum & decimarum oblationes.
Leuit. 23. v. 10, 17, 37.
Leui. 27. v. 26. etc.
Num. 18. v. 8. &c.
Deut. 12. v. 11 &c.
Cap. 14. ver. 27
Et cap. 18. vers. 1
2 Paral. 31. vers. 5, 10, 17.
2 Esdræ 10. v. 35
Tobiæ 1 ver. 6

d Oblationes pro negligentia, vel pro peccato.
Leuit. 5. vers. 17
Cap. 6. vers. 6
Et cap. 14. ver. 2
Num. 15. vers. 27
Leuit 12. v: 6. &c.
Lucæ 2. vers. 22

e Datum brachiorum sacerdotibus offerendum quale.
Eccli: 7. ver. 34
Leuit 7. ver. 32.

f Ex omni honesta acquisitione etiam militari, sacerdos honorandus.

Cuius rei ante legem exhibuit exemplum Abraham, [a] quando ex spolijs amplissimis, nō solùm decimas dedit sacerdoti Melchisedech, sed etiam præter ea, quæ exercitus consumpsisset, nihil sibi vel militibus reseruauit. Moyses verò postquam gentes populo Dei aduersas expugnasset, ex vberrimis tot populorum spolijs, quæ militibus cessissent, iubente Domino, vnam partem addicit Eleazaro summo Pontifici, aliam verò Leuitis, ad ministeria arcæ fœderis constitutis. Ipsi verò milites vltroneus, & voto sacro, (quòd singulari protectione diuina nullus ex eis in bello occubuisset) aurum, gemmas, & pretiosissima quæq;, ex vniuersis spolijs, Dei cultui, & sacerdotibus addixerunt. [b] Idem fecisse legimus Iudam Machabæum, post deuictum Nicanorem: qui cùm summus ipse sacerdos esset, in bello alioqui sacerdotibus infrequenti, oblationem spoliorum inter orphanos & viduas distribuisse memoratur. [c] Quarta oblatio dicitur sanctificationis. Quo signantur sacrificia, quæ offerebantur per Nazaræos, non propter aliquam expiationem, sed potiùs in contestationem (vt ibidem lex loquitur) eorum consecrationis & sanctificationis. Quinta oblatio vocatur hîc initia sanctorum. Vbi per sanctos, rectè accipiemus ordinem ipsum Leuiticum & sacerdotalem, qui ipse sanctus alios sanctificaret: Et consequenter initia rectê intelligi possunt, [d] decima illa decimarum, quæ ex decimis per Leuitas à populo acceptis, sacerdotibus tribuebatur! quales oblationes in eodem Capite, initia quoq; denominātur. [e] Hæc accuratiùs exposuimus, vt ex tam exquisita sacerdotum legalium honoratione colligamus, quantum honorem Dominus suo perfectiori Euangelico sacerdotio attributum esse voluerit. Quod iam ordine instituto prosequamur.

Cap. IIII.

Omnino honoris sacerdotibus deferendi ratio, ex scriptura iam citata, eam habet cōsequentiam, vel si dicere mauis, dependentiam: Quòd si summum & quidem internum honorem debes, ô homo, Deo, [f] qui fecit, creauit, possedit, redemit, & iustificauit te: proximum à Deo honorem exigeris, ab eius ministro & sacerdote. Sicut enim, attestante eadem scriptura, honoras parentes, quia nisi per illos, tu in carne nō extitisses: ita nisi essent sacerdotes, tu existentiam quæ per gratiam & adoptionem Dei longè perfectior est, non acquisiuisses. [g] Quod sanctio Apostolica apud B. Clementem comprobat. Postquam enim Episcopum seu sacerdotē comparasset Moysi, qui dictus est Deus Pharaonis: & Diaconos Aaroni, tāquam Prophetæ diuino, (vt suo loco posuimus) subinfert hæc verba: Si quis laico dixerit racha, aut fatue, non erit impunitus, vtpote qui in nomen Christi fuerit contumeliosus: quantò minus erit, si quis Episcopo maledixerit?

a Gen. 14. v: 20. 22
Num. 31. v: 28. 50

b 2 Mach. 8. v: 28

c Oblationes sanctificationis Nazaræorum & decimarum ex decimis.
Num: 6. v: 11, &c.

d Leuit. 16. v: 26

e Honoris sacerdotum nouæ legis supra legales, & supra parētes carnales, ratio.

f Deut. 32. ver. 6
Rom. 8. ver. 30
Eccli: 7. ver. 30.

g Sacerdotū officia in laicos supra parentes carnales, diuina.
Clem: Const: Apost. lib. 2. cap. 36
Supra Serm: 14.
Matth. 5. ver. 22

rit? per quem dedit vobis Dominus ſpiritum ſanctum in impoſitione manus baptizantis: per quem ſancta dogmata didiciſtis, Deum cognouiſtis, & in Chriſtum crediſtis? per quẽ cogniti eſtis à Deo, per quem ſignati eſtis oleo exultationis, & vnctione intelligentiæ: per quem declarati eſtis filij lucis: per quem Dominus in baptiſmo veſtro, præbens teſtimonium impoſitioni manus, in vnumquemq; veſtrum ſacram illam vocem emiſit, dicens: [a] Filius meus es tu, ego hodie genui te: per Epiſcopum tuum Deus te adoptat, cognoſce fili dexteram, quæ eſt mater tua, ama eum qui ſecundùm Deum factus eſt tuus pater, & cole hunc. Nam ſi de parentibus ſecundùm carnẽ, ait diuina ſcriptura: [b] Honora patrem tuum, & matrem, vt bene ſit tibi: & qui maledicit patri, aut matri, morte moriatur: quantò magis de patribus ſpiritualibus verbis Dei moneamur, honore & charitate eos proſequi, vt beneficos, & ad Deum legatos? qui nos per aquam Deo regenerârunt, ſpiritu ſancto impleuerunt, lacte verbi Dei aluerunt, & doctrinæ alimento nutriuerũt, monitis ſtabilierunt, corpore ſalutari, & pretioſo ſanguine nos dignati ſunt, nobiſq; peccata remiſerunt, & ſanctæ ac ſacræ Euchariſtiæ participes fecerũt, ac promiſsionis Dei conſortes, & Chriſti cohæredes conſtituerunt. His igitur reuerentiam adhibentes, omni eos genere honoris afficite: Siquidem hi poteſtatem vitæ & mortis à Deo acceperunt, in iudicandis ijs qui deliquerunt, & in damnandis ad mortem ignis ſempiterni, & ijs qui ſe ad rectè viuendum conuertunt, abſoluendis & viuificandis. Hæc ille. [c] In eandem ſententiam B. Chryſoſtomus. Inſania (inquit) manifeſtaria eſt, deſpicere tantum iſtum principatum, ſine quo neq; ſalutis, neq; promiſſorum bonorum compotes fieri poſsimus. Namſi non poteſt quis in regnum cælorum ingredi, niſi per aquam & ſpiritum regeneratus fuerit &c. & qui non manducat carnem Domini, & ſanguinem eius non bibit, æterna vita priuatur: omnia autem hæc haud aliter, quàm per ſacroſanctas illas manus perficiuntur, manus, inquam, ſacerdotum: qui fiet, vt citra illarum opem, aut gehennæ ignem euitare quis poſsit, aut repoſitæ in cælo coronæ præmia aſſequi? Hi enim ſunt, hi ſunt, inquam, quibus tum concreditę ſunt ſpirituales parturigines, tum etiam baptiſmatis partus à Deo eſt commiſſus: per hos ipſos Chriſtum induimus, vnâ cum Dei filio ſepelimur: beatæ carnis illius membra efficimur: quo nomine ſacerdotes meritò non modò plus vereri debemus, quàm vel Principes vel Reges, verumetiam maiori honore, quàm parentes proprios honeſtare. [d] Hi enim ex ſanguinibus & voluntate carnis nos genuerunt: illi verò authores nobis ſunt natiuitatis eius, quam à Deo habemus,

a Pſalm. 2. ver. 7

b Matth. 15. v. 4

c Principatũ ſacerdotalem ſpernere; inſania eſt, & cur. Chryſo: lib: 3. de ſacerdotio.

Ioan. 1. ver. 13

bemus, beatæ regenerationis illius, libertatis veræ, atq; adeò adoptionis eius, qua nos per gratiam filij Dei ſumus effecti. Hactenus ille. Eò etiam ſpectat ſacer [a] Sapiens; quando iubet magnati quidem ſeculari caput, presbytero autem animam etiam ipſam humiliare. [b] Propterea in ſacerdote inhonorato, Deus ipſe inhonoratur, B. Ignatio Apoſtolorum diſcipulo ſic atteſtante: Sacerdotium ſummum eſt omnium honorum; qui in hominibus conſiſtunt: quod ſi quis inhonorauerit, Deum ipſum inhonorat, & Dominum Ieſum Chriſtũ primogenitum totius creaturæ, & ſolum natura principem ſacerdotem Dei. Hæc ille. Idipſum pertractans B. Cyprianus, adducit in exemplum Chore, Datan, & Abiron, qui inhonorantes ſacerdotium ordinarium Moyſis & Aaronis, hiatu terræ cum vniuerſa cognatione, & ſubſtantia ſua perierunt. Samuelis quoq; reprobationem punitam fuiſſe, imperio regum abſoluto & duriuſculo, cum conteſtatione diuina, quòd populus ille ambitioſus, non Samuelem reieciſſet, ſed Deum ipſum, ne regnaret ſuper eos. Inducit & exemplum [c] Pauli Apoſtoli, qui inhonoratum verbis Pontificem, quamuis iniquiſsimum, ignorantia quod eſſet Pontifex, cum quadam pœnitentia excuſaſſet. [d] Quæ exempla ſic demum concludit: Hæc enim ſunt initia hæreticorum, & ortus atq; conatus ſchiſmaticorum malè cogitantium, vt ſibi placeant, vt præpoſitum ſuperbo tumore contemnant. Sic de Eccleſia receditur, ſic altera prophanum foris collocatur: ſic contra pacem Chriſti & ordinationem atq; vnitatem Dei rebellatur. Hæc Cyprianus. [e] Sed & ipſe Dominus diſertiſsimè ſic præcipit: Sicut me miſit pater, ego mitto vos. Et iterum: Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me. Apoſtolus verò eiuſmodi prælationem ſic confirmat: Obedite (inquit) præpoſitis veſtris, & ſubiacete illis. Ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris redditurí: vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis. Vbi Apoſtolus demandat erga prælatos obedientiam, non qualemcunq;, ſed cum ſubiectione; quam alibi cum omni imperio, idem Apoſtolus, inſtruit exercendam. [f] Cuius ſubiectionis reddit triplicem rationem. Prima eſt, quòd eiuſmodi prælatio ſupra regiam, extenditur ad ipſas animas ad Dei imaginem conditas, & pretioſiſsimo ſanguine filij Dei redemptas. Deinde, quòd trahat ſecum eò maioris labores, vigilantiam, & ſollicitudinem, quò nimirum hoſtes & lupi infernales ad eam inuadendam, nequiores atque fortiores exiſtant. Tertiò, quia cum extremo animæ ſuæ periculo hoc officium ſuſtinent, iuxta illud, quod alibi ipſe Dominus conteſtatur;

Cap. v.

a Eccli: 4. ver. 7

b In ſacerdotibus Deus honoratur, vel inhonoratur. Ignatius Epiſt: ad Smyrne. Cap. 14. Cyprianus Epiſt. 9. ad Rogatianũ. Num: 16. ver. 3 1 Regum 8. v: 7

c Act. 23. ver. 5.

d Sacerdotii inhonoratio, ſchiſmatis initium.

e Sacerdotũ nouæ legis à Chriſto poteſtas in animas quanta. Ioan. 20. ver. 22 Lucæ 10. ver. 16 Hebr. 13. ver. 17 Tit. 2. verſ. 15

f Paſtoribus curãdum cum omni ſubiectione. Hebr. 13. ver. 17

ro- … tot … quot … ver. 6 …: in 1 Timoth: homel. 2 Ioan. 15. vers. 13

testatur: [a] Ipse quidem (peccator) in iniquitate sua morietur: animam autem eius de manu tua requiram. Et sic secundùm Chrysostomum, nullus honor sacerdotibus exhibitus, tanto illorum labori & periculo est æquiparandus. Si enim, teste Saluatore, nemo charitatem maiorem præstare proximo suo potest, quàm vt pro illo vitã corporalem exponat, (quod profectò pastoribus pro ouibus suis, debet semper esse propositum): quantus istius charitatis excessus est, pro singulorum subditorum salute, non solùm in corpore, sed etiam in anima periclitari? Et sic honor & obedientia subditorum, pro onere & iactura: contumelia autem, pro lucro & merito, illis reputabitur. Cui sensui rectè respondebit, quod subijcit Apostolus: Hoc enim non expedit vobis: hoc est, vt facili & à Deo imperata obedientia, sacerdoti denegata, periculosissimam pastorum rationem, vos qui oues estis, in extremo iudicio incurratis. [b] Rursus quod Apostolus addit: vt cum gaudio hoc faciant, non gementes: obedientiam non coactam, sed spontaneam in charitate à subditis exigit: qualẽ prælationem pastoribus quoq; ipsis, præscripsit princeps Apostolorum, dicens: Pascite qui in vobis est gregẽ Domini, prouidentes nõ coactè, sed spontaneè secundùm Deum, &c. Sicut enim ad pastorem vox diuina est: Diligis me? Pasce oues meas. Ita de ouibus dictum est: Filij sapientiæ Ecclesia iustorum, & natio illorum obedientia & dilectio. Dari potest alia ratio, quòd secundùm [u] Philosophũ, στόργαι, hoc est, affectus naturales, ascendunt, non descendunt: hoc est, amor parentum erga liberos, longè superat amorem liberorum erga parentes. Quod etiam sensit [c] Apostolus sic scribens Corinthijs: Non debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filijs. Ego autem libentissimè impendam, & super impendar ipse pro animabus vestris: licet plus vos diligens, minus diligar. Hæc ibi. [d] Et sic inobedientia & proteruitas filiorum, correctionem paternam, sicut plus excedere, sic etiam parentes vel superiores magis afficere potest, & perturbare, quominùs officium directionis liberè exequi possint. Quod etiam intellexit [e] Apostolus, quando iubet Thessalonicenses cum pastoribus suis pacem conseruare, propter eorum opus: hoc est, tam ardentem & zelosam animarum curam: Et dum hortatur Corinthios, vt Timotheus, quòd apud eos opus Domini operetur, apud eosdem sine timore degat. Mœstitia quippe, (dicit B. [f] Chrysostomus) itemq; curæ & sollicitudines perpetuæ, animi vim maximè possunt prosternere, eundemq; ad summam etiam imbecillitatem perducere. Nam menti tenebras offundunt, neq; sinunt eius fœtus puros syncerosq; euadere. Tum quia loqui de Deo, (addamus ex D. Gregorio) quietæ,

b Pastorum & ouium qualis inuicem affectus esse debet.

1 Petr. 5. ver. 2. Ioan. 21. ver. 15 Eccli: 3. vers. 1

u Aristoteles 8. Ethicorum.

c 2 Cor. 12. v: 14

d Pastores spirituales à subditis non exacerbãdi.

e 1 Tessal: 5. v: 14 1 Cor. 16. ver. 10

f Chrysost: lib. 5 de sacerdotio. Gregor: Magnus homel: 11. in Esechielem. August: de catechisandis rudibus Cap. 10.

quietæ, & liberæ valde mentis est. Sicut nec aqua concussa, imaginem respicientis reddit, &c. Insuper secundùm B. Augustinum, ipse etiam sermo procedens ex ipsa tristitia, minus gratus est: quia de ariditate mœstitia minus exuberat. Et profectò languidus & insuauis ille sermo erit, qui per venam cordis æstuantem fumantemq; traijcitur. Hæc ille.

Cap. VI.

[a] Quid ad hæc dicunt, qui in isto Regno, & in alijs nationibus quas labes hæretica fœdauit, nihil habent antiquius, quàm vt clerum, vel per æmulationem & inuidiam iuribus, vel per auaritiam reditibus, expoliatos, tandem etiam contemnant, & forte diuina honoratos, in ordinem, vel potius infra ordinem suum secularem, reuocent? Sed de his suo loco postea: sufficiat in præsentia talibus, illud vltionis diuinæ exemplum. Leuiuscula videbatur seculo contumelia, [b] quando pueri leuitate, vel potiùs petulantia, qualis passim viget, inclamabant Elizæum prophetam his verbis: Ascende calue: ascende calue. Et tamen Deus tantopere eam vindicauit, vt subitò vrsos emitteret, qui pueros illos dilaniarent. Seuerius multò exemplum in promptu est, vbi Deus solius inobedientiæ sacerdoti, pœnam capitalem in [c] lege veteri statuit. In lege autem Euangelica, Ecclesiam in persona prælati non audientem, societate fidelium exclusum, paganismo addicit, & in futuro iudicio suprà Sodomam etiam & Gomorham, infernalibus exitijs adiudicat. Tũc enim eueniet, quod B. præmonuit Cyprianus: Qui Christo non credit sacerdotem facienti, postea credere incipiet sacerdotem vindicanti. Sic ille. Quia ergo boni oderunt peccare virtutis amore, mali verò formidine pœnæ, [d] docet suo exemplo B. Ambrosius, doctrinã sacerdotis erga populum, debere esse, non solùm prædicationis seu instructionis, sed etiam futurarum pœnarum, ni obediuerint, contestationis. Ne autem quis ea contemnat, quòd ab homine sibi simili, & fortasse maiore peccatore incutiantur, nouerit personam & officium discernere: & non quis aliquando fuerit, sed quid modò sit, qui diuina nuntiat, sedulò expendere. [e] Non enim refert, sigillum principis aureum sit vel plumbeum: quocunq; enim modo efformetur, obedire illi necesse est. Fertur Amasis Ægyptiorum Rex, cùm ex plebeio assumptus, non satis honoraretur, ex vase aureo lotioni pedum destinato, statuam Dei seu idoli conflasse, quæ sine discrimine adorata, regium quoq; honorem vindicauit.

a Cleri oppugnatores perstringũtur, eorúmq; pœna.

b 4 Regũ 2. v. 23

c Deut. 17. ver 12 Matth. 18. v: 17. & Cap. 10. vers. 15 Cyprianus lib. 4. Epist: 9. ad Pupianum.

d Prædicatio nõ solùm instruere debet, sed etiam pœnas incutere. Ambr: Serm: 83

e Pastorum non qualitas, sed officium, in obedientia vel honore attendatur. Herodotus lib. 2 histor:

Cap. VII.

[f] Altera honoris species sacerdotibus deferenda est, in curanda illorum, non minùs quàm eorum status est, honesta & sufficienti prouisione, iuxta illud Apostoli: Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni sunt; maximè qui laborãt in verbo & doctrina. Quod de sola

f Sacerdotum honor alter, invictus prouisione.

1 Tim. 5. ver. 17 Clemens Const: Apostol. lib. 2. Cap. 32. & 28.

de sola victus prouisione intelligi, vel ipsa verba præcedentia & consequentia declarant: vt duplex honor intelligatur, duplex prouisio suprâ alios, ijs qui lectioni sacræ & prædicationi addicti, ex labore manuum vel aliunde viuere non possint, & studia sumptus quoque suos requirunt. Quam expositionem & S. Clemens Romanus agnoscit. Tamen cùm honor, & reuerentiam, & talem sustentationem in scripturis designet, accipiamus vtrumq; a cum S. Hieronymo & communi expositione, vt post delatum honorem reuerentiæ, honorem quoq; condignæ prouisionis ab ouibus erga pastores exigamus.

a Hieronymus super hunc locum, & in Caput 15. Matth.

b Sacerdotũ prouisio honesta, à lege naturæ profecta.

1 Cor. 9. ver. 13

b Quod primum quidem à lege naturæ profectum esse videtur. Superioribus namq; sermonibus satis ostendimus, ab initio mundi extitisse sacrificium Deo vero, quod sine sacerdotio fieri nequaquam potuit: Sacerdotes autem altari seruientes, ex altari viuere, tam in veris quàm in falsis sacrificijs, Apostolus asserit. Quod instinctu proculdubio diuino, confirmauit suo exemplo Iacob Patriarcha, c quãdo dedicato speciali loco diuinitùs reuelato ad sacrificium, & cultum Dei, (vt suo loco explicuimus) prouisionis quoq; eiusdem loci votum subintulit, per hæc verba: Si Dominus fuerit mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum: reuersusq; prosperè fuero ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei: cunctorumq; quę dederit mihi Dominus, decimas offeram ibi. d In quibus verbis aduertendum est, templa, altaria, & loca sacra, voto quidem voluntario, sed nequaquam postea defraudando, destinari propriè ad cultum Dei, in perpetuos & irreuocabiles titulos domorum vel Ecclesiarum Dei. Quæ quidem Ecclesiæ & cultus Dei, cùm absq; sacerdotibus, eorumq; iusta prouisione fieri non possit, propterea idem votũ Deo factum, includere quoq; necessitatem ea subministrandi, quæ ad victum ministrorum eiusmodi cultus diuini pertineant: Ea verò deberi ex omnibus in genere prouentibus nullis exceptis, quamuis adeò essent tenues, vt panem tantùm ad manducandum, & vestimentum ad induendum (secundùm tamen status vniuscuiusq; conditionem) subministrarent. e Eadem largitate Abrahamum, in eadem lege in decimis Melchisedecho præstandis, vsum fuisse: & Tobiam simili pietate commendatum fuisse, paulò ante commemorauimus.

c Gen. 28. ver. 20 Supra Sermon: 8. Cap. 13.

d Ecclesiarũ fundationis iura quã firma, ex omnibus subditorum bonis.

e Gen. 14. ver. 19 Tob: 1. vers. 6

f Legi Sacerdotium ab initio annexum.

Exodi 25. ver. 40 Hebr. 8. ver. 5. & Cap. 12. ver. 23 1 Regũ 2. ver. 35 3 Regũ 8. ver. 6

Cap. VIII.

f Iam verò ad legem scriptam per Moysen traditam veniamus. Principio Deus, ad instar vnius cælestis tabernaculi, & Ecclesiæ primitiuorum, (vt loquitur Apostolus) vnum quoq; ab initio datæ legis tabernaculum, sibi præparari iussit, in quo sua diuina assistentia peregri-

peregrinationem populi sui perpetuò comitabatur. Vbi in terram promissionis ventum esset, eidem tabernaculo designauerat primum locum in Silo: sed propter præuaricationem Heli, eiusq; posteritatis, loco illo reprobato, inuocationis suæ, & tabernaculi locum, montẽ Sion & ciuitatem Ierusalem, destinauit, in signum reprobandæ legis & Euangelij substituendi: iuxta illud Isaiæ vaticinium: a De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem. Quamuis igitur vnicum templum esset in vniuersa terra sancta, vnitatem Ecclesiæ futuræ Catholicæ, per vniuersas nationes, præsignans: tamen sicut eius ædificium, & apparatus erat suprà omnia exquisitissimus: sic ad eius ministeria, vniuersa tribus Leui fuit destinata: quorum numerus, à Dauide Rege ad ministerium templi ordinatus, erat triginta octo millium: Vt non mirum videri debeat hæreticis, vel nostri temporis Politicis, tot Ecclesiis Christianorum, frequentiora quoq; sacerdotia fuisse attributa, quorum tamen magna pars iniurijs secularium deperijsset.

a Vnicum templũ in lege, vnam Ecclesiam præsignabat, cum magno Leuitarum numero.

Isaiæ 2. vers. 3 1 Paral: 23. ver. 4

38000

b Et ista quidem tribus leuitarum, inter alias duodecim (siquidem ex Ioseph bipartita esset) ordinatione diuina, non acceperat sortem in distributione terræ promissionis: primò quidem quòd Dominus ipse, eorum tanquam à reliquo populo ad ministerium suum sanctificatorum, esset sors & possessio eius: cùm (vt scribit S. Cyprianus) alijs terram colentibus, ipsa tantùm Deum coleret, cui sese addixisset: Altera ratio, (vt ibidem addit S. Cyprianus) quòd ad victum Leuitarum, Deus à reliquis vndecim tribubus, attribuisset primò quidem primitias, deinde decimas omnium frugum quæcunq; gignit humus, & quæcunq; ad victum humanum acquiruntur: Tertio etiam certas partes ex varijs sacrificijs, oblationibus, hostiis, donarijs: quæ paulò ante recensuimus. Quorum singula, si quis vni tribui à reliquis duodecim fideliter subministrata computauerit, ditiorem multò Leuitarum suprà secularium statum, etiam tunc fuisse deprehendet: maximè verò sacerdotes, qui supra ista omnia decimas quoq; decimarum per Leuitas acceptarum, ab eisdem percipiebant.

b Leuitarũ multitudo & opulentia, typus status Clericorum nouæ legis.

Num: 18. per totũ Deut. 14. v. 27. & Cap. 18. vers. 2 Iosue 13. ver. 14 Cyprianus lib. 1 Epist. 9.

c Eiusmodi verò terræ consortio excludebantur, non quòd alijs tanquam populi Dei exortes postponerẽtur, sed vt potiùs plebi prælati, ab eaq; segregati, non ex proprijs, sed aliorum laboribus viuentes, (vt attestatur scriptura) liberiùs Deo, eiusq; ad populum ministerijs, vacare potuissent. Supra eiusmodi enim amplissimos census, iussu diuino, Leuitæ in eadem terra promissionis, habebant possessioni suæ assignatas quadraginta octo ciuitates, in quibus ipsi quidem Leuitæ cum suis familijs morarentur: circa autem singulas ciuitates, habebant emẽsa agrorum plurima millia passuũ, in qui-

c Leuitæ quomodo sorte terrena, propter diuinam exclusi.

2 Paral. 31. ver. 4 Num. 35. ver. 2 Iosue 2. vers. 2. 8 1 Paral. 6. ver. 55 Esech. 45. & 48 Eccli: 45. ver. 26

in quibus prædia & pascua pro pecoribus, & alijs ad victum necessarijs, collocarent. Inter quas memorantur etiam [a] ciuitates confugij: fortasse quòd receptacula illa leuitarum, non minùs, quàm Ciuitates refugij à Deo per Moysen constitutæ, non solum in corpore, sed etiam in anima, per sacratum illum ordinem, ab interitu præseruarent: Quo exemplo lex quoq; Ecclesiastica, de fontibus, ex locis sacris, sanguine non temerandis, obseruatur. Insinuatur etiam singularis apud Christianos libertas bonorum Ecclesiæ, tanquam sortis & hæreditatis sponsæ Christi. Cuius insigne exemplum ædidit seruilis alioqui [b] sanctio terræ Ægypti, quæ propter famem, absoluto dominio Pharaonis per Iosephum Patriarcham subacta, terram sacerdotum quamuis idolatrarum, intactam in libera possessione reliquit, quin potiùs alimentis gratuitis sustentauit: vt vel isto exemplo bonorum Ecclesię alienatio, illicita prorsus & nefaria comprobetur. Quod pertractans Chrysostomus: Audiant (inquit) qui nunc viuũt, quantam olim sacerdotum idolorum curam habuerint, & discant vt vel saltem parem habeant honorem his, quibus omnium Dei ministerium creditum, & sacerdotio insigniti sunt. Si enim errantes illi, & tantam idolorum curam habentes, quia ex hoc putabant idola magis coli, si ita eorum ministros colerent: quanta nunc condemnatione digni, qui nunc imminuunt, quod ad illorum spectat cultum? An nescitis, quòd honor ad Deum ipsum pertinet? Ne igitur respicias eum cui honor confertur. Non enim propter illum debes quod tuum est facere, sed propter illum cuius sacerdos est, vt & ab illo retributiones vbertim accipias. Et paulò pòst: Ne igitur simus deteriores infidelibus, qui propter idolorum errorem, adhuc tantum cultum exhibent illorum famulis: sed quantum distat error & veritas, tantum distant & illorum, & Dei sacerdotes. Tam excellentem igitur & honorem impendere debemus, vt multò plures ê supernis nobis retributiones accrescant. Hæc ille.

[a] Ciuitates confugii Leuitarum, libertatem summam Clericalem præseferunt. Iosue 21. v. 27 &c. Vide Decretales lib. 3. tit: 49. de immunitate Ecclesiarum.

[b] Libertatis sacerdotalis in Aegypto exemplũ. Gen. 47. ver. 21 Chrysost. hõ: 65 in Genesim.

Cap. IX. Si igitur vterq; honor, tantus impensus est sacerdotibus legalibus, vmbræ (vt dicit [c] Apostolus) deseruientibus, quantò magis eũ non censebimus deberi ipsi prototypæ veritati, in qua ipse filius Dei natura sacerdos perpetuus, ministros visibiles in loco suo substituisset? [d] Certè postquam Apostolus gesta veteris legis in figuram veritate nobis exhibendam contigisse asseruisset, inter alia eius rei applicata exempla, subinfert etiam sacrificij legalis cum Euangelico cõparationem: quod (sicut & ipsum sacerdotium) quantòpere legalibus superemineat, superiùs quoq;, satis vt puto, demõstratum est. Id ipsum in honore & prærogatiuis sacerdotij dignitatem concomitãtibus,

[c] Hebr. 8. ver. 5.

[d] 1 Cor. 10. v. 3, 16

tibus, non erit difficile ostendere. [a] Conuincit enim Apostolus Hebræos, Abrahamum fuisse vtiq; Dei sacerdotem, qui non solùm animalium, sed filij etiam vnici sanguinem Deo in holocaustũ offerret: eaq; ratione in lumbis suis continuisse sacrificium cruentum Aaronis, ex quo Leuiticum duxit originem. Sed iste Abraham agnouit, & veneratus est nobilius sacerdotium Melchisedechi, quod in veritate est ipsius Christi, idq; duplici de quo nunc agimus honore: primò reuerentiali, quando à Melchisedecho accepit benedictionem:
„ siquidem, definiente ibidem Apostolo, minor à maiore benedicitur. Deinde exhibuit Melchisedecho honorem cuiusdam subiectionis, quando ex omnibus quæ iusto bello acquisiuisset, dedit ei decimas. [b] Quemadmodum enim Leuitæ suarum decimarum decimas deferebant summo legali sacerdoti, ad contestandam quandam subiectionem: Sic Leuitarum pater Abraham per suas decimas, cælesti atq; æterno in persona Melchisedechi, Pontifici Christo, debitam præsignauit subiectionem seu præeminentiam. Atq; ita siue legem naturæ, ex facto Abelis, Abrahæ, Iacobi, Tobiæ, & aliorum: siue legem Mosaicam ex iure Leuitarum, & facto patris eorum Abrahami spectes, ius decimarum eiusq; obligatio, adeò ex lege Euangelica nõ est exclusum, quin perfectioni sacerdotij Melchisedechiani censeatur fore ad alligatũ.

[a] Sacerdotio Christi decimæ magis propriæ, quàm legali. Hebr. 7. v. 1, &c.

[b] Decimarũ decimæ typus decimationis Euangelicæ. Num. 18. ver. 26

Cap. X. [c] Quod iam ex applicatione conditionis sacerdotum veteris & nouæ legis excutiamus. Leuitæ (vt supra retulimus) consortio terræ cum secularibus excludebantur: tum quòd Dominus sors & possessio illorum existeret, tum vt Deo liberiùs vacarent. Idipsum magis Euangelici sacerdotes à magistro suo sic edocentur:
„ [d] Nolite portare virgam, neq; peram, neq; calceamentum neq; pe-
„ cuniam in zonis vestris, &c. Qualem abdicationem cùm cælestis magister, perfectioribus discipulis, consilio & voto voluntario commendasset: à reliquis seruis suis, præcepto quidem intentionem auaritiæ, & secularis dominij successionem amputauit, non tamen vsum prorsus denegauit. Propterea in alio loco cùm eosdem ad futuras persecutiones præpararet, prouidentiam quoq; temporalem eis com-
„ mendat, inquiens: [e] Quando misi vos sine sacculo, & pera, & cal-
„ ceamentis, nunquid aliquid vobis defuit? At illi dixerunt. Nihil.
„ Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & pe-
„ ram. [f] Quemadmodum igitur olim Leuitas à sorte secularium possessionum exclusit, vt eos sorte sua dignaretur, & ne inter populum, sed extra & supra populum eos constitueret: certè maiore prærogatiua sacerdotes nouæ legis honorare voluit: quos supra homines esse, & aliquid numinis participasse ipse insinuauit, quando de Petro quidem

[c] Sacerdotũ nouæ legis ad morẽ Leuitarum proportionata prouisio.

[d] Sacerdotũ nouæ legis victus absq; sollicitudine. Lucæ 9. ver. 3. & Cap. 10. ver. 4

[e] Lucæ 22. v. 35

[f] Clerici quomodo in sortem domini assumpti, ex hominum communitate.

[a Matt. 16. v. 18. 15; Hieronym: super hunc locum.]

quidem tanquam capite dicebat: a Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cælis est: sic & reliquos in commune Apostolos iuxta B. Hieronymum, à cōmunitate hominum discernit, dicens: Quem dicunt esse homines filium hominis, &c. vos autem quem me esse dicitis? Idem facit Apostolus quando dicit: b Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Qui igitur extra homines & suprà homines essent, rectè clerici, hoc est in sortem Domini assumpti, à seculari statu & vitæ genere sequestrantur: iuxta illud Apostoli: c Nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus, vt ei placeat, cui se probauit. Vbi presbyteri seu pastores dicuntur esse milites, vel potiùs duces militiæ, quæ Christianis non solùm cum mundo, carne, & sanguine, sed etiam cum spiritualibus nequitiæ, hoc est, dæmonibus perpetua intercedit: cui quidem militiæ nulla, cum seculo eiusmodi tentationibus exposito, conuentio & societas esse possit, hoc quippe esset d duobus dominis contrariis seruire, quominùs sæculo seruiens, Deo cui se probasset seu deuouisset, minùs placere quis possit. e Quod ne propter acquirendi victus necessitatem accidere posset, Dominus supra illud quod de filijs Aaron Ecclesiasticus dicit, filijs sacerdotij sui secundùm ordinem Melchisedech, addidit gloriã, & dedit illis hæreditatem, & primitias frugum terræ diuisit illis. Panem ipsis inprimis parauit ad sacietatem. Hæc ibi. Gloriam quidem verè addidit suprà gloriam sacerdotij Aaronici, quòd eos ministros seu vicarios suos, dispensatores mysteriorum diuinorum, & legatos atq; ianitores cælestes effecisset. f Potestatem quoq; seu ius ad omnia vitæ necessaria, quadam hæreditate ipsis reliquit, quãdo non partes secundùm mensuram antiquæ legis, sed plenitudinem substãtiæ populorum sibi subiectorum, eis adscripsit: tali nimirum ordinatione, vt euntes ad prædicationem Euangelij, per vniuersum mundum, ipsi quidem Apostoli, & post eos alij, qui perfectionem & voluntariam paupertatem, voto libero essent professi, (à cæteris namq; eiusmodi perfectionem præcepto non requirebat, vt paulo ante diximus) nihil præter quæ ad vestitum simplicem essent necessaria, secum deferrent: sed in quamcunq; ciuitatem vel locum intrarent, quærerent si quis esset dignus, hoc est, Christiani symboli particeps vel candidatus, ad quem diuerterent. Ad cuius domum ingressi, vt pacis symbolo domum illam sibi veluti confœderarent: quodsi eiusmodi pax in ea non reciperetur: pace illa ad se reuertente, excusso pedum puluere, in testimonium extremæ in nouissimo iudicio suprà Sodomam & Gomorham punitionis, in alium locum vel

[b 1 Cor. 4. vers. 1]

[c Sacerdotes militiæ spiritualis duces, à mundo secreti. 2 Tim. 2. vers. 4. Ephes: 6. ver. 12]

[d Lucæ 16. v: 13]

[e Sacerdotalis honoris & prouisionis ex lege typus. Eccli: 45. ver. 25]

[f Pastoribus quãta potestas in bona sibi subditorũ à Christo data. Matt. 10. v. 10. &c. Marci 6. v: 8. &c. Lucæ 9. & 10. vers. 3. &c.]

vel domum sese reciperent. In qua si pax & benedictio illorum requiesceret, vt in illa domo manerent, donec liberet, vel ratio prædicationis exposceret: & nequaquam ex domo in domum transirent, sed in domo vbi habitationem delegissent, manerent, ibiq; manducarent & biberent, quæ in domo illa essent: Siquidem operarius dignus est mercede sua. Ex quo priuilegio clarum est, quod diximus, sacerdotes & pastores Euangelicos, à Principe & Domino pastorum, non accepisse propria certa aliqua bona terrena ad victum sibi assignata: propterea quòd digniori sorti cum Christo adscripti, potestatem non possessionum terrenarum, sed ipsorum possessorum curæ suæ per fidem subiectorum percepissent. a Quod Apostolus efficacissimis rationibus, exemplis, & similitudinibus declarat. Primò enim dicit, Apostolos (eorumq; in prædicatione successores) habere libertatem manducandi & bibendi, & omnia ad victum necessaria, à quibus Christianis vellent accipiendi, non solùm donec in domibus ipsis manerent, vt Christus præscripsisset, sed etiam qui sibi victum ministrarent secum per alia loca prædicationis circumducendi: quodquidem Cephas seu Petrus, & alij Apostoli in more habuissent: fortasse exemplo ipsius Saluatoris, b quem etiam quædam fæminæ opulentiores scribuntur fuisse secutæ, ex facultatibus suis ei ministrantes. Se tamen quamuis Apostolus esset, ea potestate scribit non fuisse vsum, c sed labore manuum victum sibi suisq; comparasse, ne fortè quem grauaret, sed potius sibi maius meritum acquireret, vt alibi declarat. Aliam rationem affert ex priuilegijs Leuitarum sic scribens: Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt: & qui altari deseruiunt, cum altari participant? Vbi per ea quæ sacrario debebantur, intelligit primitias & decimas: per ea verò quæ ad altare deferebantur, intelligit varias oblationes, quarum pars sacerdotibus cedebat, vt supra meminimus. Deinde ex typo inducit Apostolus veritatem, sic subijciens: Ita & Dominus ordinauit, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere. Vbi per Synechdochen, per primum in ordine sacerdotale officium, quod est annuntiare & docere, reliquas etiam functiones intelligit. Vtitur insuper Apostolus apposita quatruplici similitudine. Prima ducta est à militia, quando dicit: d Quis militat suis stipendijs vnquam? Sacerdotes enim esse militiæ spiritualis duces, proximè diximus. e Si autem militi singulari suus honor & merces defertur, quid non debeatur, qui ipsi militiæ, & quidem pro cælesti regno susceptæ, cum tot suiipsius periculis, ducatum præbet? Alteram similitudinem sic subinfert: f Quis pascit gregem, & de lacte gregis

[Cap. XI.]

[a Pastorũ in substantiam sibi subditorum priuilegia. 1 Cor. 9. v: 4. &c.]

[b Lucæ 8. ver. 3 Marci 15. ver. 41]

[c Act. 20. ver. 34 1 Thess. 2. ver. 9 1 Cor. 9. ver. 15]

[d Similitudines sustentandorum sacerdotum efficacissimæ. 1 Cor. 9. v: 7. &c.]

[e Sacerdotes duces militiæ.]

[f 1 Cor. 9. ver. 24]

gregis non manducat? Quæ similitudo ex ipsius Domini doctrina desumpta est, vbi sacerdotes pastoribus, subditos autem ouibus, cõparauit: ex quibus non solùm lac, sed etiam lanam, & carnes, malos quoq; pastores exegisse, alibi per Prophetam commemorat. Tertiam cõparationem sic proponit: a Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Cuius similitudinis ratio dari potest: quòd Dominus seipsum comparauit viti, Apostolos autem & pastores palmitibus, qui prædicatione sua in populis fructificarent. Aequum igitur est, vt in b vinea Domini exercituum, quæ propriè Ecclesia Catholica est, quod in se suisq; successoribus pastoribus, Paulus plantasset, Apollo rigasset, Deus autem multiplicasset, ad necessitates operariorum fructificaret. c Quarta similitudo ducta est ab agricultura, quãdo subijcit Apostolus: Nunquid secundùm hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os boui trituranti. Nunquid de bobus cura est Deo? An propter vos vtiq; dicit? Nam propter vos scripta sunt: quoniam debet in spe, qui arat, arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Ista autem similitudo respicit ipsam Saluatoris parabolam, d vbi prędicationem suam comparauit semini, quod in variam terram disseminatum, variam quoq;, vel multam fructificationem attulisset. e Ista autem bouis triturantis analogia perelegans est: primò quòd quemadmodum bos ante laborem triturationis bene pastus, à pastu tamen triturationis non excluditur: ad eundem modum pastores, quamuis habeant modum aliunde viuendi, licitè tamen ex administratione officiorum suorum reditus ordinarios percipiunt. Alteram comparationis rationem insinuat Apostolus: quòd bos triturando frumentum, non solius illius triturationis, sed arationis, & tot antecedentium laborum, fructum & participationem compensat: simili modo pastores spirituales percipiunt decimas, & alia temporalia subsidia à suis subditis, non propter extremam indigentiam quasi titulo eleemosinæ, nec ratione præsentis laboris, (cùm f gratis accipientes, gratis eos impendant) sed quòd in prima conuersione, & spirituali regeneratione, ius paternum in filios, & spiritualem pastoratum in oues, acquisiuissent: & sic demeritos veluti fructus ab eis deposcant. Quod sensit Apostolus, quando ibidem mox subijcit: g Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? Si alij potestatis vestræ participes sunt, quare non potiùs nos? Vbi priori rationi Apostoli conuenit istud simile: Si quis agrum vel hortum optimis seminibus cuipiam conseminauerit, & post modum excrescentes simul herbas inutiles, quæ bona germina suffocarent, demeteret,

f Pastores spirituales ex ouibus propriis viuẽtes.
1 Cor. 9. ver. 7
Ioan. 10. ver. 12
Elech. 34. ver. 2
a Pastores vineæ Domini.
Ioan. 15. ver. 1
b Isaiæ 5. ver. 7
Matth. 21 ver. 41
1 Cor. 3. ver. 6
c Sacerdotes agricolis comparati.
1 Cor. 9. ver. 8
d Matth. 13. v. 4
e Trituratio sacerdotum reditibus accommodata, & quali iure.
f Matth. 10. v: 8
g Sacerdotes maiora præstãt subditis, quàm accipiant.
1 Cor. 9. ver. 11

demeteret, stultus esset, qui si non propter prioris officij gratitudinem, saltem propter posterioris operæ commodum, iniuriam vel damnum sibi illatum reputaret. Sic pensa illa temporalia quæ sacerdotibus exoluuntur, si non propter filiationis spiritualis gratitudinem, certè propter subsequentem a benedictionem, quæ hilares datores consequitur, non pro damno, sed pro lucro esset reputanda. b Posterior ratio Apostoli, quamuis ex contextu videatur referenda ad alios Apostolos, qui in conuersione Corinthiorum non laborantes, ab eis subsidia acciperent: tamen commodiùs accipi potest de magistratibus secularibus, quibus pro temporali & caduco regimine, tributa, vectigalia, & alij census maiores, minori tamen austeritate, quâm spiritualibus prælatis, passim exhibeantur. c Nec verò omittendum est, libertatem, & potestatem istam temporalis sustentationis, niti, non libertate misericordiæ, sed necessitate iustitiæ. Charismata enim quæ sacerdotes gratis à Domino acceperunt, gratis quoq; ac libenter proximis impendunt: sed quatenus alijs laboribus vacare non possunt, præter spirituales, quos ad salutem subditorum collocant, de ipsis etiam æquissimè mercedẽ exposcunt, dicente Domino: Dignus est operarius mercede sua. Quod & Apostolus, ijs quas adduximus similitudinibus confirmat. Cùm autem eiusmodi labores & varij sunt in Ecclesia Dei, veluti operosa salutis humanæ officina: stultum est, à secularibus examinari (vt plerunq; fit) pro quo officio quis quid exigat: de quo postea ex occasione aliquid dicemus. Nunc ratio possessionis bonorum Ecclesiæ & sacerdotum, ex superioribus planiùs est explicanda.

a 2 Cor. 9. ver. 7
b Fiscus quàm Christus secularibus tolerabilior
1 Cor. 9. ver. 12
c Gratuita & mercenaria sacerdotũ opera, quomodo distinguuntur.
Matth. 10. v: 8, 10

Cap. XII.

d Diximus initio ex doctrina Apostoli, typos veteris legis, veritati Euangelicæ respondere debere: quod etiam in prouisione sacerdotum inuestigare, non erit difficile. Præceptum enim legis tale est: Honora sacerdotes, &c. Da illis partem, sicut mandatum est tibi. Et quidem legale mandatum ibidem constituit sacer sapiens, in primitijs, decimis, oblationibusq; varijs, insuper etiam in assignatione certæ partis terræ pro Leuitarum habitatione, vt suprà ostendimus. Rursus verò in noua lege, mandatum est sacerdotibus, non partes bonorum temporalium diuidere, sed potestatem illis vtendi, prout opus haberent, ad necessitatem, non ad superfluitatem. e Quod sicut ipsum Dominum in voluntaria & exemplari quamuis paupertate loculos habente, & ex aliorum facultatibus seipsum & pauperes sustentante, sic & Apostolos factitasse, suprâ meminimus. Quamuis autem mundo tunc infidelitate æstuante, eiusmodi potestate nõ per omnia vti liceret; eam tamen vel ipse Apostolus aliquando exoptabat,

d Sacerdotũ nouæ legis supra legales prouisionis ratio, & mandatum.
Eccli: 7. ver. 35
e Christus & Apostoli habebant loculos potestate plena, vsu necessario.
Ioan. 12. ver. 6 & Cap. 13. v: 24
1 Cor. 9. ver. 4

a S.Paulus Ecclesiam post persecutiones regnaturam exoptat. 1 Cor. 4. ver. 8

bat, paulò post verba pro themate istius Tractatus proposita, quibus sacerdotium comendauit, sic scribens Corinthijs: a Iam saturati estis, iam diuites facti estis: sine nobis regnatis, & vtinam regnetis, & vt nos vobiscum regnemus. Puto enim quòd Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tanquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, & angelis, & hominibus. Hæc ibi. Si enim reuoluamus historias, primam prædicationem Apostolicam, vbiq; ferè excipiebant persecutiones idololatrarum & tyrannorum: sed quæ postea in summam tranquillitatem, & veluti regnum authoritatis Ecclesiasticæ desineret.

b Ecclesiæ Romanæ ex persecutionibus ad libertatem & imperium progressus.

b Vt autem primæ Ecclesiæ Apostolicæ exemplum inferamus, in illius conuersione ea, quæ Dominus prædixisset & præordinasset, euenisse videmus. Siquidem Petrus vertex Apostolorum, & Paulus proprius & cœlitus designatus doctor gentium, vterq; quodam primogenituræ suæ iure, ingressi sunt Vrbem, quæ sicut orbis, sic omnium superstitionū, caput esset & magistra:

c Matth. 10. v. 6

atq; ibi primò excepti sunt, c veluti oues, vel potiùs agni, in medio luporum, iam inanis philosophiæ sæcularis vanitate, iam tot idolatrarum prauitate, iam vndiq; frementium tyrannorum persecutionis immanitate, interclusi. Petrus tamen veluti petra incôcussa,

d Matth. 16. v.18 Actor. 9. ver. 15

d cui portæ inferorum non essent præualituræ: & Paulus tanquam vas electionis ad hoc destinatum, vt nomen Christi portet coram gentibus & regibus, nulli horum incommodo cedentes,

e Ierem. 29. v.7 Lucæ 9. ver. 4. & Cap. 10. ver. 6

e pacem ciuitatis illius quærere non desierunt. Quæ quidem paucos ab initio dignos se inuenit, apud quos Apostoli, eorumq; successores, aliquid quietis inuenirēt, & in domibus eorum prout facultates ferebāt, iura prædicationis exercerent:

f Matth 7. v. 15. & Cap. 8. vers. 24 Iudæ 1. ver. 13

quin potiùs præualebat f ouili velleri lupina rabies, vt paruula Petri nauicula fluctibus feri maris prope trecentos annos conflictata, periclitari vix aliquando desierit: & gladius Paulum excidens, toto ferè illo tempore, in pastores & oues Christi simul desæuiens, Vrbem illam primam Deo sanctificandam, sanguine non iam vnius Remi fundatoris, sed primorum duorum Apostolorum, eorumq; in sede illa vltra triginta successorum & pastorum, & infiniti gregis martyrum, perfuderit: vt veriùs quàm olim dici queat,

g Virgil: Aeneid: 1

g Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

h Ierem: 31. v. 15 Hebr. 12. ver. 24

Sed vniuersalis mater Ecclesia Christi sponsa, perfectiùs quàm Rachel, h plorans filios suos, admisit tandem consolationem, quia essent, & quidem in Christo viuentes, ac multipliciori voce quàm Abel, sanguine suo innocenti miserationem cælitùs euocarēt,

veluti

a 2 Reg: 2. v. 26
b Esech. 21. v. 30
c Matth. 8. V: 24

veluti dicentes. a Num vsq; ad internetionem mucro tuus (ô Domine) desæuiet? An ignoras quòd periculosa sit desperatio? Propterea misertus Dominus, respondit. b Reuertere mucro in vaginā tuam, in locum in quo creatus es. c Excitatus, inquam, Dominus vocibus sanguinis seruorum suorum, imperauit mari & ventis, & facta est tranquillitas magna.

d In Cōstantino Magno orbis ad Christū conuersio.

d Postquam enim venit plenitudo temporis, B. Syluester Pontifex, iuxta Dominicam ordinationem, veluti agniculus inter frementes adhuc Romanos lupos, venit in domum Constantini Principis,

e Matth. 10. V:11 Gen. 8. vers. 11 Ioan. 14. xer. 27

e & nuntiata pace Euangelica, non reuersa est ad eum cum maledictione, sed manens in domo illa cum benedictione, postmodum reuersa est ad nauis Ecclesiasticæ gubernatorem, portans ramum viridis oliuæ, hoc est, pace temporali reddita, attulit pacem quam mundus dare non potest, qua in illo orbis Monarcha totus ferè mundus Christo, per fidem & baptismum fœderaretur.

f S. Syluester ex præscripto Domini Roma potitus Lucæ 9. ver: 4. & Cap. 10. ver. 7

f Exinde ex præscripto Dominico, exposcente idipsum Principe illo Ecclesiæ filio iam reddito, mansit B. Syluester in domo illa, eaq; illic viuebat quadra, quam ibi inuenisset: mercedem quoq; recepit tanto operario dignam, vt quoniam eum cui orbis parebat vniuersus, Christo lucratus fuisset, ipse etiam in ordine spirituali, ad Apostolicum orbis, Vrbis quoq; principatum accepisset: idq; per liberam cōdescensionem atq; donationem, cuius certitudinem, si non tam autentica scriptorum testimonia, sola constans tot vicissitudinibus & aduersitatibus continuata possessio, confirmare debet.

g De Constantini donatione vide rationes Baronii Cardinalis. Annaliū Tomo 3 sub Anno Christi, 324.

g Indignum enim putauit primus ille religiosissimus Princeps, vt domus illa ex qua conuersionis mundi factum est initium, ampliùs vocaretur aula Regis, sed potiùs locus sanctus, terribilis, domus Dei, & porta cæli, ex qua veluti scala à Iacob visa, commertium vniuersæ terræ cum

Cap. XIII. cælestibus perficeretur.

h Regni etiam tēporalis in Ecclesia potestas, quamuis parcior visus.

h Euenit igitur, vt quod pridem exoptasset Apostolus, in eius tandem successore compleretur: vt post exantlatas tot persecutiones, regnantibus ijs qui Ecclesiæ essent subiecti, pastores quoq; cum illis secundum statum suum regnarent.

i Ecclesiæ Romanæ maiestas, & diuina prouidentia adumbrata. Isaiæ 60. ver. 8

i Quod clarissimè quoq; Deus prædixerat per Isaiam, in decursu eius prophetiæ statum & conditionem Ecclesiæ Catholicæ sic ad viuum depingens. Postquam enim adumbrasset primitias vocationis gentium per Magorum adorationem, subinfert alia Ecclesiæ insignia, quæ Ecclesiæ Romanæ tanquam fidei per orbem magistræ conueniunt, sic dicens: Qui sunt isti qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas? Me etenim insulæ expectant, & maris naues à principio, vt adducam filios tuos de longe. Argentum eorum, & aurum eorū cum eis nomini Dei tui, & sancto Israel, quia glorificauit te. (Per

hoc

hoc intelligi possunt regiones & insulæ, per nuntios sedis Romanæ conuersæ, quæ postmodum gratitudinis, religionis, & supremæ recognitionis causa, annatas, & similia donaria loco sacro detulerunt) a Et ædificabunt filij peregrinorum muros tuos: & reges eorum ministrabunt tibi. In indignatione enim mea percussi te, & in reconciliatione tua misertus sum tui. Et aperientur portæ tuæ iugiter: die ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur. Quamuis enim verba ista ad cælestem etiam Ierusalem referri possunt: tamen & Sedi & Vrbi Apostolicæ Romanæ rectè conueniunt, quæ quamuis propter vitia humanitus patrata, sæpiùs variè oppugnata atq; expugnata fuisset: tamen singulari prouidentia diuina, statu suo hucusq; excidere non potuit, quin à persecutoribus etiam suis tandem adoraretur & promoueretur. Quæ etiam cùm propter eiusmodi insultus, fortissima munitione seculari indiguerit, clausuram tamen murorũ & portarum (quod nos ipsi illic studijs sacris dediti obstupescebamus) recipere noluit, vt Deo protectori confidens, receptu suo, tanquam mater fidei, mundo pateret vniuerso. b Gens enim & regnum (prosequitur suum vaticinium sacer Propheta) quod non seruierit tibi, peribit: & gentes solitudine vastabuntur. (hoc certê prouintiæ schismatæ, vel hæresi ab hac Sede auulsæ, & tandem â Saracenis subiugatæ, vel assiduis bellis conquassatæ, contestantur) Gloria Libani ad te veniet, abies & buxus, & pinus simul, ad ornandum locum sanctificationis meæ, & locum pedum meorũ glorificabo. (Vbi summus Ecclesiæ principatus, videtur exprimi allusione c arborum illarum, quas regnum inuicem sibi detulisse scriptura commemorat. Quemadmodum enim Roma olim idolorum & imperij mater, ad ornatum & amplitudinem suam pretiosissima quæq; mundi congerebat: sic magistra religionis & disciplinæ Christiani orbis effecta, pretiosissimos spirituales thesauros & ornamenta, hoc est, reliquias, & alias memorias sanctorum, ex orbe terrarum conquisita recepit, & summis Basilicarum ornamentis decorauit: vt sic locus d in quo pedes primorum Apostolorum speciosi, pacem & bona orbi euangelizantes, conquiescerent, speciosiùs quoq; præ alijs adornatus glorificaretur) Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te: & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi: Et vocabunt te ciuitatem Domini Sion sancti Israel. (Quod sæpius experta est sedes Romana, quando siue gentilitas, siue schisma, siue hæresis, prius eam persequens, demum conuersa supplex illi subijciebatur.) Pro eo quòd fuisti derelicta, & odio habita, & non erat qui per te transiret:

a Ecclesiæ & Vrbis Romanæ protectio diuina singularis.

b Schisma ab Ecclesia Romana, sibiipsi, vbiq; exitiosum. Isaiæ 60. ver. 12

c Iudicũ 9. ver. 8

d Rom. 10. v: 15

ret: ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem & generationem: & suges lac gentium, & mamilla regum lactaberis. Pro ære offeretur aurum, & pro ferro afferam argentum, & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum. Et ponã visitationem tuam pacẽ, & præpositos tuos iustitiam. Hæc ibi. Hoc certè discrimen apparuit inter Romanam Sedem, & alias Orientales: quia iuxta a verba Saluatoris, illa humiliando sic exaltata est: istæ exaltando se permanent humiliatæ. Nulla siquidem Cathedra Apostolica quàm Romana, maiores & magis perseuerantes suscepit, & sine labe erroris excepit & pertulit, tum gentilium, tum schismaticorum & hæreticorum persecutiones. Propterea iusto Dei iudicio, tandem etiam recepit consolationem, & oppositam tribulationum coronam: vt omnium nationum diuitijs importatis superbiat seu emineat: & lacte, hoc est, potioribus bonis populorum, & mamillis Christianorum Principum nutriatur. Recepit etiam pro ære aurum, pro ferro argentum, &c: hoc est, pro æreis tormentis varijs, & compedibus ferreis, quibus in diuturna persecutione premebatur, recipit modò auream libertatem, & spiritualem super Christianos principatum: & loco virgæ ferreæ, quam ipsa protulisset, virgæ argenteæ septuplũ igne examinatæ, orbis Christiani directionem: adeò vt eam authoritatem, ex sese tanquam ex fonte in alias quoq; fideles nationes diffundat.

Cap. XIIII Qualibus priuilegijs, & reliqua addit Dominus sequenti cap: sic dicens: b Vt ponerem in gentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. Huic enim apici Apostolico, vt experientia hucusq; attestatur, pro cinere variarum in persecutione afflictionum, Deus dedit coronam, qua summus Sacerdos præ cæteris insignitur: & pro luctu tot martyriorum, dedit oleum gaudij, hoc est, diuinæ consolationis & benedictionis abundantiam, quæ veluti à c capite Christo per barbam summæ authoritatis, in oras quoq; cæterarum Ecclesiarum difflueret. Deniq; pro spiritu mœroris virorum per tot martyria gementium & dolentium, reddidit Dominus pallium laudis, hoc est, d pallium humeris summi Sacerdotis, in formam literæ Tau, seu crucis conformatum, plenitudinem honoris (secundum D. Bernardum) designans, quod à Sede illa prima, superioribus quoq; aliorum locorum Præsulibus communicatur. Hæc enim suprà dicta omnia, quamuis etiam anagogicè ad cælestem Ierusalem referri possunt: magis tamen propriè allegorico sensu ad militantem Ecclesiam, eiusq; primam Sedem videntur applicanda. e Quod vel ipse contextus vtriusq; capitis arguit. Nam ante priora verba, apertissimũ vaticinium

a Sedes Romana reliquas ob humilitatem superauit, & pro persecutionibus quãtopere honorata. Lucæ 14. ver. 11

b Isaiæ 61. ver. 3

c Psalm. 132. v: 2 Esech. 9. ver. 4

d Palliũ summæ dignitatis sacerdotalis insigne. Bernar: Epist: 131 ad Mediolanẽses

e Isaias in decursu suæ prophetię, totus Euãgelicus

ticinium præmittitur, de nouæ legis Ecclesia, signanter autem de
gentium per primitias Magorum ad fidem illuminatione. Similiter
in sequenti Cap: verba quæ explicuimus, immediatè præcedit illa
prophetia, qua Dominus noster in primo consessu Synagogæ Iudæ-
orum, aperto ex improuiso libro, veluti pro autentico seu testimo-
[a] Lucæ 4. ver. 17 nio suæ missionis, vti dignatus est, vt habetur [a] Lucæ Cap. 4. Po-
stremò idipsum comprobant verba subsequentia, quando Propheta
sic subijcit: Vos autem sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei “
nostri dicetur vobis. Ista enim verba prorsus conueniunt cum illis “
Apostoli, quæ pro themate istius tractatus posuimus: Sic nos existi- “
met homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. “
Et B. Hieronymus exponit, absq; dubio per ea Ecclesiarum principes
significare: quem principatum primario in Sede Romana resedisse
constat. Propterea illi singulariter conueniunt, quæ apud Prophe-
[b] Fastus Curiæ Romanæ à Propheta adumbratus. tam sic consequũtur: [c] Fortitudinem gentiũ comedetis, & in glo- “
ria eorum superbietis. Quod curiæ Romanæ conuenire, ipsa experi- “
entia, aliquando etiam ad inuidiam & scandalum, constat: cùm ta-
Isaiæ 61. ver. 6 men honoris abusus, honorem tollere non debeat. Ne autem nos a-
Hieronymus super hunc locum. liquis nouitatis vel fauoris arguat, expendat B. Hieronymum, qui
fastui Romano nũquam pepercisset, ex Symmacho de Roma ne qui-
dem cogitante, in eundem sensum exposuisse. Verba enim ista vlti-
ma ex Hebraico sonant, in gloria earum (gentium) superbietis. “
[c] Papæ gloria admirabilis. Septuaginta verò sic verterunt: [c] In diuitijs earum eritis admirabi- “
les. Ex qua occasione nos aliquando hæreticos Grammaticos, ma-
iestati summi Pontificis oblatrantes, per iocum (vt merebãtur) elu-
simus: eorum elementarium magistrũ Donatũ, admirationis notam
(Pape) statuisse. Si enim vocula, cur non potiùs tantus cælorum cla-
uiger admirationi pateat? Tertiam igitur interpretationem S.
[d] Purpura Senatus Ecclesiæ Romanæ pro cilicio persecutionum. Hieronymus ponit ex Symmacho, sic verba ista Græce reddente: [d]
ϗ ἐν δόξα αὐτῶν πορφύρα ἐνδύσεσθε. id est, purpura vestiemini, vt “
insigne regij decoris ostenderet. Certè eiusmodi honorem & glori-
[e] Ecclesia etiam militans quomodo in terra sua possidet duplicia am, si modò metas non excedat, Propheta sicut superiùs, ita & hîc
denuo, non alicui humanæ vsurpationi, sed diuinæ iustitiæ & retri-
butioni attribuit, quando subinfert: Pro confusione vestra duplici, “
& rubore, laudabunt partem eorum: propter hoc in terra sua dupli- “
cia possidebunt. [e] Quia enim Ecclesia potissimùm illa, tam in spiri- “
tualibus quàm in temporalibus, maximè per Tyrannos erat oppres-
sa, compensauit hoc diuina iustitia, vt in vtroq; summum principa-
tum & splendorem obtineret. Pars enim eorum, hoc est, patrimo-
nium Christi in Ecclesia præsertim Romana, laudatum, hoc est, le-
gibus

gibus summorum Imperatorum ac Principum stabilitum & confir-
matum est, vt in terra sua possideret duplicia, hoc est, iurisdictione
tam spirituali quàm seculari plenissimè potiretur. Penè verò omise-
„ ramus, verba superiùs posita, vbi dicit Sacer Propheta: [a] Et ædifica- [a] Ecclesiæ Romanæ proprium est reficere, quæ infidelitas destruxisset.
„ bunt deserta à seculo, & ruinas antiquas erigent. Et instaurabunt ci-
„ uitates desertas, dissipatas in generationem & generationem. Si e-
nim Vrbem ipsam spectes, profectò eius ruinas & deserta, in ædifi- Isaiæ 61. ver. 4
ciis tam sacris quàm prophanis, sic instaurata cernes, vt ampliùs ni-
hil desiderare possis. Quinetiã vbicunq; aliâs, siue paganismus, siue b Matth. 24. v:15
hæreses, siue schismata, abominationẽ desolationis [b] (vt eorũ morem
Dominus prædixit) intulerũt, loca illa Ecclesiæ Catholicæ recõcili-
ata, dictu mirũ, quomodo breui tẽpore suæ integritati cernũtur resti-
tuta: quod & de nostra Cracouia, & plerisq; aliis Regni istius parti-
bus, experientia commonstrat: [c] vt superiùs in tractatu de effectibus [c] Serm: 12. Cap. 10. & 11.
Missæ meminimus. Cui effectui respondet illud mysterium, quan-
do [d] primi Apostoli, partim ab vberi pisciũ captura, partim à retium [d] Matth. 4. v:18. 21.
Cap. XV. refectione, à Domino vocati fuisse ferũtur. [e] Ad istud deniq; pasto-
rale priuilegium, pertinent verba apud Prophetam sic consequentia. [e] Ecclesiæ iura ad prouisionem victus à laicis quanta.
„ Et stabunt alieni, & pascent pecora vestra: & filii peregrinorum, a-
„ gricolæ & vinitores vestri erunt. Hæc ibi. Quod referendum est ad
honorẽ prouisionis, sacerdotibus seu pastoribus propriis debitum, de Isaiæ 61. ver. 5
quo superiùs egimus, vt respectu primorũ ac præcipuorũ fructuũ,
decimarum, aliorumq; bonorum ex optimis conferendorum, secu-
lares qui ista ex laboribus suis pendunt, quasi opiliones & agrico-
læ spiritualium esse videantur. Quod optimè conuenit cum simili-
„ tudinibus suprà ex Apostolo à nobis adductis: Quis plantat vineã,
„ & de fructibus eius non edit? Quis pascit gregẽ, & de lacte gregis nõ
„ manducat? Si nos spiritualia vobis seminauimus, magnũ est, si nos
„ carnalia vestra metamus? Et sic qui in naturalibus sunt agricolæ
agrorum & vinearum suarum: qui sunt pastores gregum suorum:
subiectione spirituali efficiuntur quodam modo vineæ, agri, & gre
ges, agricolarum & pastorũ spiritualium. [f] Superiùs enim probatũ [f] Vide suprà cap: 10. & 11.
est, Dominũ in lege noua Apostolis, eisq; succedẽtibus pastoribus spi-
ritualibus dedisse potestatẽ, nõ in partem substantiæ vt Leuitis, sed in
domos totas earũq; vsus liberos & necessarios: qua potestate ad libi-
tũ vsos fuisse Apostolos ibidẽ demonstrauimus. Sicut & illud, sacer-
dotio nouæ legis secundùm ordinem Melchisedech, annexam fuisse
prærogatiuam, & proprium ius decimas percipiendi, & quidem eas
quæ decimæ ex decimis, sũmo & diuino sacerdotio à Leuitis tribue-
bantur. [g] Dominus quoq; ipse nouæ legis institutor, & veteris con- [g] Decimatio Pharisaica Christia-
Hhh summa-

nis imitanda. Matth 23. ver.23

summator, approbat Pharisæorum bonum opus, quòd mentam, anethum, rutam, hoc est, à maximo ad minima quæq; terræ germina decimarent: opus tamen Dei, [a] hoc est, (alibi exponit) fidem in Messiam, intermitterent. Decimatio enim passiuè, hoc est, traditio decimæ intelligenda est, eò quòd Pharisæi non erant ex Leuitis, qui decimarum soli ius haberent. Idipsum cōfirmatur [b] ex iustitia Pharisæi, quam Dominus ex parte ipsius operis non improbat, qui daret decimas omnium quæ possidebat, & bis in Sabbato ieiunaret. Ieiunium enim cum Sabbato seu solennitate iuxta legem non conuenit, sicut nec duplex illius in septimana obseruatio, vllo legis præcepto vel cōsuetudine constat. Probabile igitur est, Pharisæos in Christo eiusq; discipulis, ieiunij Christiani quod hucusq; viget, vsum fuisse æmulatos: ideoq; Pharisæum de opere veluti supererogatorio tantopere gloriari. Qualis etiam æmulatio in decimatione fieri potuit, quas licet lex ex fructibus terræ & animalibus propriè exigeret, ipse eam, non solùm ex mentha, anetho, & ruta, sed ex omnibus quæ possidebat, profunderet. Cui operi Dominus iustificationem imputat, sed eò minorem, quò magis superbia ac temerario iudicio deprimeretur. [c] Origenes huic argumento addit & illam authoritatem, quando dicit Dominus: Nisi abundauerit iustitia vestra plusquàm scribarum & pharisæorum, nō potestis ingredi in regnum cælorum. Sed eius expositionem, & doctrinam luculentissimam audiamus. Primitias (inquit ille) omnium frugum, omniumq; pecudum, sacerdotibus lex mandat offerri: ita vt omnis qui possidet agrum, vel vineam, vel oliuetum, vel etiam hortum, & si quid est quod exercetur in terris, sed & si quis peculia cuiuscunq; pecoris nutriat, offerat ex ijs Deo omne quod primum est, id est, ad sacerdotes deferat. Deo enim offerri dicit, quod sacerdotibus datur. Et hoc est quod docemur ex lege, quia nemo licitè nec legitimè vtatur fructibus quos terra produxit, nec animantibus quæ pecudum protulit partus, nisi ex singulis quibusq; Deo primitiæ, id est, sacerdotibus offerantur. [d] Hanc ergo legem obseruari etiam secundùm literam, sicut & alia nonnulla, necessarium puto. Et postquam explicuisset, quæ legis præcepta in Euangelio, & quomodo obligent, sic subinfert: [e] Erit ergo sapientis Scribæ, & edocti de regno Dei, qui sciat de thesauris his proferre noua & vetera, scire quomodo in vnoquoq; loco scripturæ, aut abijciat penitus occidentem literam, & spiritum viuificantem requirat: aut confirmet omnimodè, vt vtilem ac necessariam probet literæ doctrinam: aut manente historia, oportunè & decenter introducat etiam mysticum sensum. Sicut & in hoc sermone

a Ioan. 6. ver.29

b Lucæ 18. ver. 11. 14.

c Decimarum & similium redituum Ecclesiastico rum obligatio Euangelica. Matth. 5. ver. 21 Origen: in hom: 11. in Num:

d Legis veteris instituta, quæ Euangelio conueniant?

e Matth. 13. v: 52 2 Cor. 3. ver. 6

quem

quem habemus in manibus arbitror conuenire: decet enim & vtile est etiam sacerdotibus Euangelij offerre primitias. [a] Ita enim & Dominus disposuit, vt qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuant, & qui altari deseruiunt, de altari participent. Et sicut hoc dignum & decens est, sic è contrario & indecens & indignum existimo, & impium, vt is qui Deum colit, & ingreditur Ecclesiam Dei, qui scit sacerdotes & ministros adsistere altari, & aut verbo Dei, aut ministerio Ecclesiæ deseruire, vt de fructibus terræ, quos dat Deus solem suum producendo, & pluuias suas ministrando, non offerat primitias sacerdotibus. Non mihi videtur huiusmodi anima habere memoriam Dei, nec cogitare, nec credere, quia Deus dederit fructus quos cepit, quos ita recondit quasi alienos à Deo. Si enim à Deo sibi datos crederet, sciret vtiq; munerando sacerdotes, honorare Deū de datis & muneribus suis. Et adhuc vt ampliùs hæc obseruanda etiam secundùm literam ipsius Dei vocibus doceantur, addemus adhæc. Dominus dicit in Euangelijs: [b] Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentam, hoc est, decimam datis mentæ, & cymini, & anethi, & præteritis quæ maiora sunt legis: hypocritæ hæc oportet fieri, & illa non omitti. Vide ergo diligentiùs, quomodo sermo Domini vult fieri quidem commodè, quæ maiora sunt legis, non tamen omitti & hæc, quæ secundùm literam designantur. [c] Quod si dicas, quia hæc ad Pharisæos dicebat, non ad discipulos, audi iterum ipsum dicentem ad discipulos: Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Pharisæorum & Scribarum, non intrabitis in regnum cælorum. Quod ergo vult fieri à pharisæis, multò magis & maiore cum abundantia, vult à discipulis impleri: quod autem fieri à discipulis non vult, nec pharisæis imperat faciendum. Quomodo autem plus velit fieri à discipulis, quàm faciunt Pharisæi, in eo declarat, vbi dicit: [d] Dictum est antiquis, non occides. Hoc obseruant & Pharisæi. Discipulis autem dicit: Ego autem dico vobis, quia si quis iratus fuerit fratri suo, reus erit iudicio. Similiter & de eo, quod scriptum est: Non adulterabis, suorum discipulorum in eo vult ampliùs abundare iustitiam, vt ne mulierem quidem videant ad concupiscendum. [e] Igitur ex his quæ protulimus paucis, si qui studiosi sunt in scripturis diuinis, perfacilè colligere poterunt etiam cæterorum distinctiones. Sapiens enim si audiat, inquit, verbum, non solùm laudabit, sed & adijciet ad illud. Quid adijciet? vt discutiat & discernat in singulis quibusq; capitulis legis, vbi fugienda sit legis litera, vbi amplectenda, vbi etiam narratio historiæ cum mystica expositione cōueniat. Christus enim

a Decimas subtrahere, prorsus non Christianū. 1 Cor. 9. ver. 13

b Matth. 23. v. 23

c Decimatio Pharisaica plus obligat Christianos. Matth. 5. ver. 20

d Matth. 5. ver. 21

e Legis præcepta, ad præcepta iustitiæ & charitatis deriuanda, sensu spirituali & morali. Prouer. 1. ver. 5

nos

nos redemit [a] de maledicto legis: non nos redemit de maledicto mandati, nec de maledicto testimonij, nec de maledicto iudiciorum, sed de maledicto legis: id est, ne subiecti essemus circuncisioni carnis, nec obseruationi Sabbatorum, alijsq; horum similibus, quæ nō in mandantis, sed in lege dicenda sunt contineri. [b] Quomodo ergo abundat iustitia nostra plus quàm scribarum & pharisæorum, si illi de fructibus terræ suæ gustare non audent, priusquam primitias sacerdotibus offerant, & Leuitis decimæ separentur: & ego nihil horum faciens, fructibus terræ ita abutar, vt Sacerdos nesciat, Leuites ignoret, diuinum altare non sentiat? [c] Illud sanè necessariò commonendum est, quòd lex dupliciter dicitur: nam generaliter omnia ista, hoc est, mandatum, iustificationes, præcepta, testimonia, iudicia lex appellantur: specialiter autem pars aliqua ex ijs quæ in lege scripta sunt, lex dicitur, vt sunt ista, de quibus superiùs disseruimus. Generalis autem lex significatur, (verbi gratia) cùm de Saluatore dicitur, [d] quia non venit soluere legem, sed adimplere. Et item alibi: Plenitudo ergo legis est dilectio. In quo vtiq; omnia simul quæ scripta sunt in lege, legem nominauit. Hæc diximus asserentes mandatum de primitijs frugum, vel pecorum, debere etiam secundùm literam stare. Hactenus Origenes.

[e] Vtrumq; istum honorem, tam reuerentiæ, quàm sustentationis, abundantissimè sic expressit Apostolus: Communicet autem is qui catechizatur verbo, (hoc est, prædicatione & instructione pastorali) ei qui se catechizat, in omnibus bonis. Nolite errare: Deus non irridetur. Quæ vltima verba addita esse videntur, quòd seculares personæ eiusmodi pensa Ecclesiastica iminuere & eludere soleāt: in quo non homines, sed Deum ipsum, cui talia vota iure irreuocabili addicta fuissent, iniuria afficiunt; non sine diuina vindicatione: [f] vt princeps Apostolorum eandem inferens causam, in nece Ananiæ & Saphiræ exemplum reliquit. Post Apostolos exinde iura ista Ecclesiæ in vsu fuisse, aliquot antiquiores Doctores sacri attestantur. [g] Beatus Hieronymus pertractans sacerdotum Euangelicorum dignitatem simul & potestatem, post alia sic addidit. Nec tantum gaudendum est ad oblationem munerum, quantum timendum ad honoris condemnationem, si eo abutamur indignè. Primitiua iuxta literam sunt animantium & inanimantium quæ prima nascuntur, & quæ prima terra gignit. Primitiæ quoq; ciborum nostrorum sacerdotibus offeruntur, vt nihil gustemus nouarum frugum, nisi sacerdos ante gustauerit. [h] Hoc autem facimus, vt reponat sacerdos benedictionem & oblationem nostram in domo sua: siue vt ad imprecationem suā,

Dominus

[a] Galat. 3. ver. 13

[b] Iniustitia Christiano indigna denegare decimas, &cæt.

[c] Legis præcepta quæ, & quomodo Christianos obligant?

[d] Matth. 5. v: 18 Rom: 13. ver. 10

[e] In subtrahēdo reditus Ecclesiæ ex omnibus bonis Deus afficitur. Galat. 6. vers. 6

Cap. XVI.

[f] Act: 5. ver. 3, 9

[g] Decimæ & primitiæ Euangelicæ legis, ex omnibus bonis debitæ Hieronymus in Cap. 44. Esech.

[h] Benedictio & fructus ex redditis decimis, & è conuerso.

Dominus benedicat domibus nostris. [a] B. Augustinus inter alia testimonia, scripsit singularem sermonem de reddendis decimis, quem nos in libello nostro vulgari lingua, de hoc argumento ante annos complures euulgato, integrum posuimus: dignum profectò, qui temporibus istis legatur, & studiosiùs excutiatur. Alibi autem idem S. Doctor sic scribit: Dicit Dominus per Prophetam: [b] Dabunt singuli redemptionem animarum suarum, & non erit in eis morbus nec casus. Date ergo, dum licet accipere redemptionem animarum vestrarum. Redimite vosipsi dum viuitis, quia post mortem nemo vos redimere potest. Vnusquisq; de quali ingenio vel artificio viuit, de ipso decimam Deo in pauperibus, vel in Ecclesiis donet: consideret quia omnia Dei sunt per quæ viuit, siue terra, siue flumina, siue semina, vel omnia quæ sub cælo sunt, vel super cælos. Et si ipse non dedisset, nihil vtiq; haberet. Nam Deus qui dignatur totum dare, decimam de suo dignatur nobis repetere, non sibi penitus, sed nobis profuturam: sicut ipse promisit per [c] Prophetam dicens: Inferte (inquit) omnem decimationē in horreis meis, & probate me de his, dicit Dominus: si non aperuero vobis fructus quæ possidetis super terram, quod cognoscitis Deo placere. Nolite de cuncta substantia vestra fraudare decimam: ne vobis nouem partes auferantur, & sola decima remaneat. Conuertimini adhuc, dicit Dominus, vt aperiam vobis cataractas cæli, & effundam super vos benedictionem meam. Si igitur dederitis voluntariè, plus semper Dominus dabit vobis. Si non dederitis, quanticunq; pauperes in quibus locis habitatis, fame mortui fuerint, tantorum homicidiorum rei eritis. Insuper immittet vobis Dominus pestilentiam & famem: & perdetis totum quod habetis, nec non & animas vestras. Vt autem hæc vobis non veniant, festinate cum bono animo dare, vnde animas vestras possitis redimere. [d] Et alibi ostendit: sicut benedictionē diuinam, & pluuiam segetibus, sic debitam sustētationem sacerdotibus, esse necessariam, & ab ipso Domino demandatam: insuper etiam Pharisaicæ iustitiæ exemplo confirmatam. Idem (sicut & Hieronymus) decisionem illam Saluatoris, qua iubet reddere quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ autem Dei, Deo: sic applicat, vt Cæsari quidem tributa, Deo autem decimæ, exhibeantur. [e] Irenæus etiam præceptum diuinum & necessitatem talium Ecclesiæ redituum, sic asseuerat: Oportet (inquit) vos Deo oblationem facere, & in omnibus gratos inueniri fabricatori Deo, in sententia pura, & fide sine hypocrisi, in spe firma, in dilectione feruenti, primitias eorum quæ sunt eius creaturarum offerentes. [f] Apud Clementem Romanum sanctio de hoc Apostolica sic

[a] August: Tom: 10. Serm: de reddendis decimis. Idem Tom: 9. Tract: 20. de rectitudine cathol: conuersationis.

[b] Eccli: 3. ver. 34

[c] Malach. 3. v: 10

[d] August: Tract: in Psalm: 146. Lucæ 10. ver. 9. & Cap. 18. v. 11, 14 Matth. 5. ver. 21 Aug: homel: 40. ex 50. Matth. 22. ver. 21 Hieronym: super hunc locum.

[e] Iren: cōtra hæreses lib. 4. ca: 34

[f] Lex Apostolica de omnium rerū

primitiis Deo, & sacerdotibus offerendis.

Clemens Const Apost. lib. 2 cap. 38. & 39.

ca sic refertur. Episcopum oportet vt patrem diligere, vt regem metuere, vt Dominum honorare, offerendo ei in benedictionem vestram fructus vestros, & opera manuum vestrarum tribuendo, inquã, vt sacerdoti Dei primitias vestras, & decimas vestras, primitias frumenti, vini, olei, pomorum, lanæ, & quicquid Dominus Deus vobis suppeditat: & erit oblatio tua accepta in odorem suauitatis Domino Deo tuo, & benedicet Dominus operibus manuum tuarum, & multiplicabit bona terræ tuæ, quia benedictio super caput impartientis. [a] Atq; etiam hoc vos scire oportet, quòd tametsi vos Deus à seruitute ascitorum vinculorum liberârit, indeq; eduxerit, vt recrearet, qui non permisit ampliùs brutas pecudes pro peccatis immolare: liberârit, inquam, ab emundationibus, à victimis emissarijs, à lauationibus assiduis, ab aspersionibus: nondum tamen à pensionibus liberauit, quas sacerdotibus debetis, & quas egentibus benignè largiri oportet: Ait enim Dominus in Euangelio: [b] Nisi abundauerit iustitia vestra, plusquàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Sic igitur abundabit iustitia vestra, si maiorem procurationem sacerdotum vestrorum habueritis, vestrorumque pupillorum, & viduarum, egentiumq; omnium, sicut scriptum est: [c] Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi. Et rursus: eleemosynis & fide emundantur peccata. Et iterum: Benedicta omnis anima simplex. Sic ergo facies tu, vt Dominus sanxit, dabisq; sacerdoti quæ ei debentur, primitias areæ, & torcularis, & oblata pro peccatis, vt mediatori Dei, & pro emundatione, & depulsione mali: [d] tibi enim conuenit, vt largiaris: illi verò tanquam œconomo, & administratori rerum Ecclesiasticarum, vt dispenset. Caue tamen ne Episcopum ad rationes voces, neq; dispensationem illius obserues, quomodo eam gerat, aut quando, aut quibus, aut vbi, vtrum bene, an secus. Habet enim ipse ratiocinatorem Deũ, qui hanc illi procurationem in manus tradidit, qui ei sacerdotium tantæ dignitatis mandare voluit. Et alibi: [e] Omnis (inquit) propheta verus, aut doctor, qui ad vos venit, dignus est alimento, vt operarius sermonis iustitiæ. Dabis sacerdotibus omnes primitias torcularis, & areæ, vindemiæ, & messis, boum atq; ouium: vt apothecę cellarum tuarum penuariarum, & fructus agri tui benedictione afficiantur, vt firmeris in frumento, & vino atq; oleo: augeanturq; armenta boum tuorum, & tuarum ouium greges: Dabis omnem decimam pupillo, & viduæ, pauperi, & proselyto: Dabis etiam sacerdotibus omnes primitias panum recentium, vini ex dolio, olei, mellis, pomorum siue baccarum, vuæ, aut aliorum fructuum: primitias verò

[a] Libertas Christiana non à lege, sed ab eius vmbris.

[b] Matth. 5. v. 21

[c] Psalm. 11. ver. 9 2 Cor. 9. ver. 9 Prou: 15. v. 17. & Cap. 11. vers. 5

[d] Prælati de dispensatione perceptorum nõ taxandi à laicis.

[e] Decimæ & primitiæ quibus & quàm largè exhibendæ.

Clemens Const. Apost. lib. 7. cap. 29. & 30. Et lib. 8 Cap. 36.

as verò

as verò argenti, aut indumenti, cæterarumq; rerum, quas possides, tribues pupillo, & viduæ. Hactenus lex Apostolica apud Clementẽ.

Cap. XVII.

[a] Eiusmodi autem census seu reditus, non esse oblationes quæ fiunt ad altare, declarat in Canone quarto Apostolico Commentator eorum antiquissimus, talia pensa non ad altare, sed ad domum Episcopi deferri oportere. Idipsum etiam â temporibus Apostolorũ, per multa variorum temporum & locorum Concilia tam generalia quàm particularia, confirmauerunt: & in lege Ecclesiastica seu Canonica, sæpiùs per integros etiam titulos seu tractatus, vniuersali sanctione extat comprobatum & conseruatum. Quod vel in sacra [b] Tridentina Synodo cernitur: quæ referendo sese ad antiquiores hac de re sanctiones, asserit primò, decimas à populo Christiano deberi Deo: deinde qui eas dare nolunt, vel dantes impediunt, res alienas (sacrilego vtiq; modo) inuadere. Tertiò, eos qui decimas varijs artibus subtrahere moliuntur, vel qui alijs soluendas temerè occupant, & in rem suam conuertunt, (quæ omnia apud nos pro religione habentur) non esse ferendos: hoc est, in Ecclesia: sed (vt postea Canon declarat) ex Ecclesia, vsq; ad plenam restitutionem excommunicandos. [c] Quartò, dum ibidem sacra Synodus feruenter adhortatur omnes fideles, vt de bonis sibi à Deo collatis, Pastoribus suis ad victũ, & dignitatem eorum conseruandam, largè subueniant: non obscurè insinuat, non solùm portionibus communiorum frugum, (vt ferè fit) sed etiam alijs reditibus eorumq; sufficienti portione, quam vel vsus antiquus præscribat, vel noua indigentia exigat, eisdem esse subueniendum. [d] Sæpiùs enim antea diximus, Dominum nostrum, sicut legem & prædicationem suam, sic suos ministros, noluisse legalibus terminis coarctari: sed sicut prædicationi vniuersum orbem, sic eorum prouisioni, vniuersas credentium substantias addixisse, in tantum quantum vsus, postularet. Qui postmodum sic determinatus est, vt prima pars esset Episcoporũ & Presbyterorum, qui, iudicio Apostoli, duplici honore seu portione digni sunt: Altera Deinde ad victum reliquorum sacerdotum, clericorum, & Ecclesiæ ministrorum: Tertia cederet ad vsum & necessitates ipsius Ecclesiæ: Quarta deniq; ad victum & indigẽtias pauperum, viduarum & orphanorum, quorum prouisio ad ipsum propriè spectat Episcopũ. Adeò vt mirum esse non debeat, [e] impensas, quales Leuitæ longè etiam pauciores non sustinuissent, maiores nunc subsidiorum portiones, à tam copioso populo Christiano exigere. Ecclesia tamen ne fortè (exemplo Apostoli) aliquos grauaret, vel secundùm D. Thomam, vt tali sustentationis determinatione, non iustitiæ

[a] Decimæ non sunt voluntariæ, vt aliæ oblationes Theodorus Balsemonis Patriarcha Antiochenus.

[b] Decimarum iura quàm confirmarit Tridẽtina Synodus, & quibus pœnis. Sess: 15. Can: 12

[c] Decimarũ integritas.

[d] Bonorum Ecclesiæ dispensationis calculus. Syluester Papa in Concilio Romano, Cap. 4. Simplicius Papa Epist. 3. ad Florentinum, &c. Gelasius Papa Epistola ad Episcopos per Lucaniam, &c. Cap. 29

[e] Decimalis portio non rigore, sed fauore computata. 1 Cor. 9. ver. 12 D. Thomas Quod

iustitiæ

libet. 2, & 6. Vide Robertum, Bellarminū, Tomi 1. Controuersia 5. lib: 5. Cap. 25. Aug: Serm: 219. de Tempore.

iustitiæ rigorem, sed popularem benignitatem in oues sibi subiectas exhiberet: plenitudinem mercedis à Domino acceptam, in decimalem plerunq; portiunculam reuocauit: cùm secundùm Augustinū, iure diuinitus acquisito, decima parte colonis relicta, nouem sibi vendicare potuisset. [a] Quæ tamen portiones, siue decimarum, siue primitiarum, siue oblationum, & quocunq; nomine vocitentur, ex legali cærimonia in plenitudinem iuris Euangelici sic transierunt, sicut vmbra in veritatem, & lex in gratiæ libertatem: (vt suprà ex B. Clemente, Irenæo, & Origene ostendimus) adeò vt si modum mutari humana vicissitudo, vel necessitas aliquando cogat, census semel vel communi iure, vel singulari voto, locis vel personis sacris addicti, defraudari vel imminui nullo modo debeant: quinpotiùs excrescentibus secularibus bonis, (quale incremētum iustam & largam decimationem consequi solet) reditus etiam tales Ecclesiasticos augeri oporteat. [b] Cùm Dominus in donis suis non solùm substantiam, sed etiam modum & mensuram respiciat. Quod ab initio mūdi videtur Dominus requisiuisse in oblatione Caimi, quòd & ipse quidem, sicut & Abel, rectè obtulisset, quoad substantiam ex fructibus terræ, sed non rectè diuisisset: quia secundùm qualitatem, & fortasse quantitatem, non ex optimis vt Abel, obtulisse reprehenditur. Cui sensui respondent & verba vulgatæ æditionis: quòd Caim rem bonam, hoc est, oblationem voluntariam fecisset, sed non bene exegisset: propterea peccatum eius quod praua mente voluebat, foris quoq; enituisset. Simile testimonium habetur in lege scripta. Postquam enim Deus per Moysen præcepisset populo suo dicens: [c] Non apparebis ante Dominum vacuus, sed offeret vnusquisq; secundùm quod habuerit, iuxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei: paulòpost subijcit verba ista: Iustè quod iustum est persequeris, vt viuas & possideas terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi. Hoc etiam cauet Apostolus sic scribens: [d] Communicet autem is, qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis. Nolite errare: Deus enim non irridetur. Quod supra ad eiusmodi sensum applicuimus. [e] Ista ratio fortasse etiam habebit locum, ad componendam antiquam quæstionem inter Theologos & Canonistas, num sicut ipsa substantia decimæ, sic etiam eius decimalis determinatio, ex iure naturali ac diuino dependeat, sic vt lege humana mutari non possit? [f] Huc etiam referenda erit altera quæstio: An laici pauperes, clericis ditioribus ad integritatem decimarū præstandam, obligentur? Quam quæstionem vel ipsa præcepti verba resoluunt, quando iubetur tantum dari, quantum etiam à Deo cuipiam esset

a Decimæ in lege Euāgelica firmiores, quàm in lege veteri, & quomodo mutabiles.

b Portiones Ecclesiasticæ non fraudandæ.

Gen. 4. ver. 7.

c Deu. 16. v. 19, 20

d Galat. 6. ver. 8

e Theologorum et Canonistarum de iure decimarum quæstio.

f Pauperes laici an clericis diuitibus, decimas debeant.

Gen. 28. ver. 20

Cap. x viii.

am esset concessum. Sic Iacob Patriarcha, panem tantùm ad manducandum, & vestimentum quo cooperiatur requirit, vt ex omnibus bonis quæ habiturus esset, decimam partem loco à se consecrato, voto obstrictam reddat. Laudatur etiam Tobias, [a] quòd in paupertate sua, & quidem captiuus, omnes primitias, & superabundantem decimationem, templo Domini iugiter præstitisset. Qui etiam non solùm de iustitia, sed etiam de misericordia, filium testamento instruxisset, vt si multum haberet, multum daret: sin parum, ex illo etiam Deum honoraret. Et Dominus ipse, [b] in domibus credentiū, iubet sine discrimine diuitiarum vel paupertatis, manducare, quæ apud illos sunt. Boni siquidem pastoris est, ouem glabram nedum non detondere, sed alterato potiùs vellere conuestire. Inter Theologos D. Thomas istam quæstionem sic etiam resoluit. [c] Sine dubio debere pauperem laicum dare decimas clerico diuiti. Quia obligatio decimarum ad iustitiam commutatiuam pertinet: in qua non consideratur conditio personæ, sed æqualitas rei ad rem. Qui enim, verbi gratia, emit, debet soluere quantum res valet, siue ipse sit diues, siue pauper. Neq; argumentum in contrarium valet: quia licèt clericus debeat alere laicum, quia pauper est, tamen non tenetur hunc potiùs pauperem alere, quàm alium. Hæc ibi. Intelleximus aliquos, etiam Catholicos viros, huic resolutioni Theologorum, nuper ex prima quadam Cathedra contrarium quid didicisse: proptereáq; integritatē decimarum, in iudicijs Regni supremis, liberiùs cum hæreticis oppugnasse. Sed si quid tale accidit, sint præmoniti, illud non esse Ecclesiastici iuris, sed neq; moris, sed potiùs erroris. [d] Monachis & quidem mendicantibus, & ex eleemosyna viuētibus (vt glossa Canonis mox adducendi refert) moris erat, decimarum integritatem in confessionibus, vel in concionibus alleuiare, & ad normam eleemosynæ qua ipsi viuerent, contrahere. Quæ causa erat Pontifici Maximo in Concilio Vienensi, idipsum inhibere per ista tria puncta: [e] (quod etiam fortissimus nostri temporis hæreticorum malleus, Robertus Bellarminus Cardinalis annotauit) Primò ne quisquam, præsertim ex religiosis mendicantibus, de cætero, tàm in concionibus, quàm in confessionibus, tale quid proponat, quod auditores à decimarum traditione auocaret. Secundò, vt potiùs in primarijs quæ ibi ponuntur octo solennitatibus per annum, & quandocunq; à pastoribus requirerentur, populum ad solutionem decimarum commonerent. Tertiò, Si in aliquo horum deliquerint, pœnam excommunicationis ipso facto incurrant: & à prædicatione tantisper, sub alia excommunicatione, maneant suspensi, donec errorem seu culpam, in seipsis & in alijs corre-

a Tob. 1. v. 6. & Cap. 4. ver. 9.

b Luce 10. ver: 7.

c Paupertas non derogat iustitiæ. D. Thomas Quodlibeto 6. art. 10.

d Monachorum Decimas relaxātium pœna. In Clementinis titulo de pœnis: Cap. Cupientes.

e Robertus Bellarminus Cardinalis loco suprà citato.

correxerint. Porrò leges Principum Christianorũ politicæ, quanta firmitate decimas, & alios reditus Ecclesiasticos asserant, non est loci & temporis huius recẽsere. [a] Certè lex Regni nostri municipalis, iura eiusmodi adeò firma vbiq; præsupponit, vt decimas, Deum, in signum vniuersalis dominij pro alimento sacerdotum, sibi reseruasse, & reddi voluisse attestetur: proptereaq; earum raptores (vt etiã lex Euangelica vocat) spiritualem gladium Ecclesiasticarum censurarum contemnentes, secularis potestatis vindicationi subijciat. Quin potiùs mentionem earum, nõ in dubium reuocando, sed potiùs propter incidentes casus subinde asseuerando, atq; vindicando, in multis locis continet: vt mera malitia & violentia, earum quæ nunc iactatur oppugnatio, dici mereatur. Si enim ij, qui in hoc Regno falsa libertate luxuriantes, tantopere iura decimarum oppugnant, ea quæ hactenus adduximus non maligno oculo perspiciant: [b] integritatẽ profectò decimarum, non pro seruitute humana, sed diuina, cui seruire regnare est: non pro eleemosyna, sed pro iustitia: non pro ignominia, sed pro gloria: non pro damno, sed pro lucro & fœneratione cum Deo, reputabunt. Quod vel ipsa experientia arguit, quando ex illo tempore quo decimæ impugnari cœperunt, eam rerum faciem in isto Regno videmus, qualem Dominus per vltimum Prophetarũ legi potissimùm Euangelicæ sic accommodauit: Reuertimini ad me, & reuertar ad vos, dicit Dominus exercituum. Et dixistis: in quo reuertemur? Si affiget homo Deum, quia vos configitis me? & dixistis: In quo configimus te? In decimis, & in primitijs. Et in penuria vos maledicti estis, & me vos configitis gens tota. Inferte omnẽ decimam in horreum, & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus: si non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem vsq; ad abundantiam, & increpabo pro vobis deuorantem, & non corrumpet fructum terræ vestræ: nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum. Et beatos vos dicent omnes gentes: eritis enim vos terra desiderabilis, dicit Dominus exercituum. [c] Quam prophetiam cum B. Hieronymo, & Augustino, rectè accomodauerimus temporibus nostris, vbi illud euenit, quod ibidem habet B. Augustinus. Maiores nostri, inquit, ideo copijs omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæsari censum reddebant. Modò autem, quia discessit deuotio Dei, accessit indictio fisci. Noluimus partiri cum Deo decimas, modò autem totum tollitur. Sic ille. Quod verissimè nostræ accidit Poloniæ: Ex quo enim decimæ denegari & oppugnari cœptæ sunt, infinitas Deus in labores hominum immisit maledictiones, vt exinde omnia ægestate plena con-

Cap. XIX.

[a] Leges Regni Poloniæ decimas tãquàm rem certam, nõ asserunt, sed potiùs vindicant.

Lex Vladislai Regis in Anno 1433. Casimirus Rex Anno 1458. Vide Codicem legum Poloniæ titulo de Cẽsuris.

[b] Decimarum integra exhibitio quàm honorifica & vtilis, & è còuerso.

Malach 3. ver. 7

[c] Decimarũ fraudatarum maledictio.

Hieronym: super Malach: Cap. 3. August. homel: 48. ex homel: 50 Et habetur causa 16. quæst: 7. cap. Maiores.

na conspicias. Loco autem surreptæ decimæ, immisit Deus perhennes ferè (quæ olim rarissimæ fierent) publicas contributiones, seu exactiones: quæ tamen sua quoq; maledictione, intentioni suæ non satis respondeant. Sed de his, ad vltimum Sermonem Panegyricum, primæ partis Christologiæ, lectorem remittimus. [a] Verùm quid spiritus prophetiæ talento plumbi præponderauit? Ecce dum hæc scribimus, nunciatur syncretismum contra decimas & iura Ecclesiastica, priuatis insidijs, tanquam telam aranearum (vt loquitur [b] Isaias) orditum, & demũ in Conuenticulis & seditiosis plebiscitis in oua aspidum confotum, nunc in summo iudicij & iustitiæ theatro, in mortiferum regulum erumpere: quando summa illa iudiciaria potestas, tumultuaria machinatione superata, loco iustitiæ, clamorem & dolorẽ oppressorum sacerdotum, post se reliquit: & ansam publicorum etiam regni consiliorum perturbandorum præparauit. Hîc nobis meritò exclamandum est: O tempora, ô mores: & cum Propheta conquerendum: Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij, in quo inhabitabat iustitia: nunc verò homicidæ. Quis vnquam cogitasset vestram, ô Poloni, liberê constitutam, & tot sudoribus & sanguinibus acquisitam Monarchiam, in adeò turpem & miseram anarchiam deuenire potuisse? Similem certè ei vel plus quàm similem, quam scriptor quidam recentior, de sua quoq; patria deplorat in hæc verba. [c] Vnũ (scribit ille) audebo dicere mirabile: mihi plus iustitiæ videri (quantum ad executionem attinet) in inferno esse, quàm in regno isto, scilicet Francorum. Nam quantum ad virtutis habitũ, scio illic nullum esse iustum. In inferno, nullus innocens aut iustus læditur, quia nullus illic est: nullus iniustè illic læditur, sed iustè, imò infrà condignum, secundùm suum demeritũ, per iustitiam vnicuiq; rependitur. Contra in regno Franciæ, paucis exceptis, quis est qui non læditur? Læditur Deus, sancti eius, fides Catholica, quia nulla in blasphematores vltionis executio. Læduntur Ecclesiæ, & Ecclesiasticæ personæ, agricolæ, & in his cæteri hominum ordines, cùm de illorum labore omnes litem habeant. Quid est agricolas vastare, nisi politiæ pedes succidere? Sic nos possumus addere: Quid est clerũ vastare, quàm ipsam religionem succidere, & ex Christianis Aethnicos & atheos: ex hominibus deniq; bestias transformare? Deinde author ille, postquam quendam Poëtam prophanum ad suam intentionem citasset, sic prosequitur: Si nostra vidisset tempora longè magis lugubria, suæ adderet deplorationi. Lædũtur iudices, qui propter libertatem maleficiorum, vindictam in sceleratos exercere non audent. Læduntur Principes ipsi, qui sua iura perdunt, & patriam ante oculos

[a] Anarchiæ seditiosæ ac impunitæ in Polonia deploratio.

[b] Isaiæ 59. v. 5. & Cap. 1. ver. 21

[c] Anarchia Regnorũ infernalis. Nicolaus Clemãgius de lapsu & reparatione iustitiæ in Regno Galliarum.

a Contra clerum machinationes, in proprium caput autorum recidunt.

Cap. XX.

oculos [a] suos perdi vident. Hæc ibi. Similiter & vos adeò excordes estis Poloni, vt putetis, talibus quas cœpistis machinationibus oppresso clero, ipsaq; Dei Ecclesia, vos solos super terram regnaturos? Cùm tamen superiùs satis fuerit demonstratum, tales iniurias quæ Deum ipsum in eius seruis offendunt, in vestrum ipsorum caput ruituras. Infallibilis est diuini Spiritus sentētia: [b] Qui foueam fodit, incidet in eam: & qui strauit lapidem proximo suo, offendet in eo: & qui laqueum alij ponit, peribit in illo. Facienti iniquissimum consilium, super eum deuoluetur: & non cognoscet vnde aduenit illi. Redite ad cor, si non ista euenerunt vobis, vel in hac ipsa quam pertractamus causa decimarum. [c] Contra quarum raptores, clerus vsus est processu cælestis magistri nostri: Dic Ecclesiæ: Cùm autem Ecclesiam non audisset, vlteriori diuina informatione, tanquam Æthnici & publicani, censuras Ecclesiæ tolerantes, remissi sunt ad forum seculare, vt, qui gladium spiritualem contempsissent, vigore gladij temporalis coërcerentur. Istud iugum Christi alioqui suaue, non tulit effrenata talium hominum cupiditas, sed eo alleuiari volens, multò durius assumpsit: cogens clerum vt in iure seculari, quod tamen paria haberet cum personis spiritualibus sententiarum suffragia, causæ tales dirimerentur. Quorum voto clerus quamuis inuitus obsequens, & contra status sui libertatem ac dignitatem, colla secularibus subijciens: ecce denuo ex coacto quamuis foro deturbatur, & ad tumultuaria futurorum Comitiorum placita, facta conspiratione reuocatur. Quæ est ista, ô Poloni, in vestro libero (si Deo placet) Regno, noua, & plus quàm Aegyptiaca oppresio? Quid vnquam tale vel ipse abominabilis Deo excogitauit Mahumetus? quid non simile poterit adoriri Christum eiusq; Ecclesiam oppugnaturus Antichristus? Adeòne putatis Christum sponsam suam dereliquisse, vt horū citò contra vos non faciat vindictam? Ite infelices, & pacto vestro cum morte & inferno confidite. Nos in Domino, cuius causam agimus, fidentes, stabimus in gradu nostro, quæ ille permiserit experturi. [d] Interea verò si obstinatiores fueritis, præcogitate, Clerum duplici iure decimas suas quas eripere conamini, possidere atq; defendere. Primò quidem iure naturali, diuino, Euangelico, & Ecclesiastico, vt hactenus abundantissimè per nos demonstratum est: Altero deinde politico. [e] Excusso enim iugo seu regimine Ecclesiastico, substituit Deus ius regis politicum, quod suo loco ex diuina scriptura recensuimus: in quo datur etiam regibus facultas, segetes & greges subditorum suorum addecimandi. Quo iure hæreditario vtebantur primi duces & fundatores vestri: donec Miecislaus fidei Christianæ

b Eccli. 27. v. 29

c Cleri in Polonia oppresio quoad iustitiam, & quid illam maneat.

d Decimarū ius duplex inuincibile.

e Ius Regale Politicum super decimas Clero donatum, & quàm firmum.

1 Regū 8. ver. 15

Martinus Cromerus lib. 3. Historiæ Polonicæ.

opera sacerdotū adscriptus, eisdem decimas superiori diuino iuri concedens, eas quoq; Ecclesiarum primarum quas condidisset, Episcopis in perpetuum condonaret & adscriberet: qui vicissim, secundùm quod ad regimen animarum expedire videbatur, eas varijs sacerdotijs & ministerijs Ecclesiasticis, perpetuis titulis attribuerunt. Quo igitur vos iure, seculares villas ipsas, & alia bona, à regibus & ducibus illis, pro suis meritis possidetis, eodem (& eò firmiori quò diuiniori) iure, Ecclesiastici decimas suas obtinent: constantissima atq; etiā nunc in Comitialium Contributionum calculis subinde innouata illarum possesione nitētes. [a] Si igitur Regem (vt animus est) in Comitijs appellaueritis, quę olim Christianus Princeps religionis adhuc candidatus, Deo semel addixit, Rex omnium religiosissimus nō auferet. Quod si propter contentiones vobis assuetas, subsidia politica non succedant, standum erit edicto diuino: vt Ecclesia sponsa Christi, post tot monitiones dijudicet, & consilio ex re capto, inter verè fideles, & tanquam Aethnicos & publicanos, gladio spirituali sibi dato, tandem discernat. [b] Quod quid tandem consequi soleat, diximus paulò antè: vos autem prudentiores facti expendite. [c] Solos in nostris Annalibus Polonia habuit Cruciferos, qui hostili vtiq; non fraterno, quem vos iactare soletis, animo, & simili quem vos adorimini modo, decimas, primò quidem vilissimo pretio eludebant, postea vi etiam subtrahebant. Sed ij quidem primò anathemate Sedis Apostolicæ percusi, nullos postea successus bonos experti, tandem sub potestatē, quibus tantopere rebellabant, deuenientes, exterminati sunt, vt vix nomen illorum sit reliquum. Nos verò vobis, sicut meliora, sic æquiorem mentem erga clerum, ex visceribus vestris progenitum, à Domino exoptamus.

a Litis Decimarum quis tādem finis.

b Deprædantium decimas pœna extrema.

c Martinus Cromerus Historiæ Polonicæ lib. 11.

Secunda pars: Pastorum non vitia, sed officia, à subditis esse attendenda.

Cap. XXI.

CÆterùm eiusmodi sacerdotum inhonorationis, de qua hucusq; egimus, causa potissimùm prætendi solet, vita illorum non semper officio & doctrinæ respondens. Contra quod proposuimus pro istius Sermonis argumento, sententiam Apostoli, dicētis: [d] Mihi autē pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die. Ibi enim sicut Apostolus fecit priorem antithesim ministrorum Christi, ab homine simplici: ita hic opponit iudicium humanum, multò magis verò priuatum, & aliquando temerarium, iudicio Dei, & quidem extremo illi, quando illuminabit Dominus abscondita tenebra-

d Iudicium humanū seruis Dei non apponendū. 1 Cor: 4. ver. 3

rum, & manifestabit consilia cordium. Cui simile est & illud, quando alibi scribit: a Tu quis es, qui iudicas seruum alienum? Domino suo stat aut cadit. Eiusmodi præcipitis iudicij originem inuestigauit b B. Augustinus, animi quandam, nõ ouilem, sed lupinam malignitatem, quando sic scribit: Ad quid enim aliud sedent isti, & quid aliud captant, nisi vt quisquis Episcopus, vel clericus, vel monachus, vel sanctimonialis ceciderit, omnes tales esse credant, sed nõ omnes posse manifestari? Et tamen etiam ipsi, cùm aliqua maritata inuenitur adultera, nec proijciunt vxores suas, nec accusant matres suas. Cùm autem de aliquibus, qui sanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falsitatis sonuerit, vel veri patuerit, instant, satagunt, ambiunt vt de omnibus hoc credatur. Et post pauca: Hæretici non habendo quod in causa suæ diuisionis defendant, non nisi hominum crimina colligere affectant, & ea ipsa plura falsissimè iactant: vt quia ipsam diuinæ scripturæ veritatem, qua vbiq; diffusa Christi Ecclesia commendatur, criminari & obscurare non possunt, homines per quos prædicatur, adducant in odiũ, de quibus & fingere quicquid in mentem venerit, possunt. c Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis, & in illo docti estis. Ipse quippe fideles suos securos fecit etiam de dispensatoribus malis, mala sua facientibus, & bona eis loquentibus, vbi ait: d Quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim, & non faciunt. Orate quidem pro me, ne fortè alijs prædicans, ipse reprobus inueniar. Veruntamen cùm gloriamini, non in me, sed in Domino gloriemini. Quantumlibet enim vigilet disciplina domus meæ, homo sum, & inter homines viuo: nec mihi arrogare audeo, vt domus mea melior sit, e quàm arca Noë, vbi tamen inter octo homines, reprobus vnus inuentus est. Aut melior sit, quàm domus Abrahæ, vbi dictum est: Eijce ancillam, & filium eius: Aut melior, quàm domus Isaäc, cui de duobus geminis dictum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui: Aut melior sit, quàm domus ipsius Iacob, vbi lectum patris filius incestauit: Aut melior sit, quàm domus ipsius Dauid, cuius filius cum sorore concubuit, cuius alter filius contra patris tam sanctam consuetudinem rebellauit: aut melior, quàm cohabitatio Pauli Apostoli, qui tamen si inter omnes bonos habitaret, non diceret quod superiùs commemoraui, Foris pugnæ, intus timores: nec diceret, cùm de sanctitate & fide Timothei loqueretur: f Neminem habeo, qui germanè de vobis solicitus sit. Omnes enim sua quærunt, non quæ sunt Iesu Christi. g Aut melior quàm cohabitatio ipsius Domini Christi, in qua vndecim boni, perfidũ & furem Iudam tolerauerunt: Aut melior sit

a Rom. 14. ver. 4

b Malignitas secularium maximè hæreticorum in taxandis Cleri vitiis. August. Epist. 131 ad Hypponenses.

c Ephes. 4. ver. 20

d Homines etiã sancti fragilitati subiecti. Matth. 23. ver. 3. 1 Cor. 9.

e Gen. 9. & 21. Malach. 1. Genes: 49. 2 Regũ 13. & 15. 2 Cor. 2.

f Philip. 2.

g Ioan. 12. Isaiæ 14. Apoc: 12.

lior sit postremo quàm cælũ, vnde angeli ceciderunt. Hucusq; Aug.

Cap. XXII

Sed & Dominus ipse apertissimè officiũ & potestatem à moribus distinxit, quando de Pharisæis quibus tanta alioqui anathemata improperaret, sic definit: Super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunq; dixerint vobis, seruate & facite: secundùm opera eorũ nolite facere: dicunt enim & non faciunt, &c. Si tantũ priuilegiũ habuit cathedra Moysis in precepto temporaneo, quod (secundùm doctrinam Apostoli) euacuatur, & antiquatum interijt: quantò magis obtinebit illud cathedra Christi in ea Ecclesia, b cui portæ inferi non præualebunt, & in qua Petro, eiusq; successoribus sedentibus dictum esset: Ego rogaui pro te, vt fides tua non deficiat: & tu conuersus confirma fratres tuos? Neq; enim temerè addidit Dominus: Tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. c Sicut enim Petri negatio correcta, fidē huius cathedræ ab errore dogmatum stabiliuit: sic reliqua conuersio, (vt secundùm Apostolum, virtus suprema in infirmitate perficeretur,) in vitæ aliquando imperfectione resedit. Omnia enim Deus (teste eodem Apostolo) conclusit sub peccato, vt omnium misereretur: & ipse Sacerdos circundatus infirmitate, & tentatione humana aprehensus, identidem conuersus seu recollectus, sciat experimento proprio, ijs qui ignorant & errant condolere. d Quid? quod B. Augustinus istam Domini doctrinam non ad legem, sed ad Euangelium pertinere asserit, sic scribens: Non solos Iudæos significabat Dominus: quasi verò eos qui crederent in Christum, ad Iudæorum scholam mitteret, vt ibi discerent, quemadmodũ iter sit ad regnum cælorum? Nonné ideo Dominus venit, vt instrueret Ecclesiam, ipsosq; Iudæos benè credentes, & benè sperantes, & benè diligentes segregaret tanquam frumenta à paleis, vt faceret vnum parietem circumcisionis, cui cõiungeretur alius paries ex præputio gentium: quibus duobus parietibus de diuerso venietibus, esset ipse lapis angularis. Et quibusdam interiectis, sic subinfert: Sed nomine Scribarum & Pharisæorum significauit quosdam in Ecclesia sua futuros, qui dicerent & non facerent, se autem figurauerat in persona Moysi. Etenim personam eius gerebat Moyses. Hæc ille. Cui consonat quod ipse Dñus dicebat: e Si crederetis Moysi, fortasse & mihi crederetis: ille enim scripsit de me: f Vnde Augustinus ibidem dicit, non solùm Catholicos, sed infideles quoq;, non inuenturos in extremo iudicio patrocinium, sceleribus suis, propter malam vitam clericorum: Sed (quod dæmonibus æternæ damnationis addictis proprium est) non tam sibi quærere patronos ad causam malam, quàm comites ad pœnam. Origenes autem eadem

a Si non Cathedra Mosis, minus Christi, humanis vitiis inquinatur. Matth. 23. ver: 2

b Matth. 16. v. 18

c In Ecclesia Christi fides ab omni errore firmata: vita meliori conuersioni subiecta. 2 Cor. 12. ver. 9 Rom. 11. ver. 32

d Per cathedram legalem, suam Christus intellexit & correxit. August: Serm. 49. de verbis domini

e Ioan. 5. ver. 47

f Scandalum ex vita clericorum, quàm iniquum, periculosum, & diabolicum. Aug. loco citato. Origenes homel: 7. in Ezechielem

eadē verba proposito sic applicat. Diuersis diabolus pugnat insidijs, vt miserum perdat hominem, & bonam malis tribuat vitam ad decipiendos videntes, & malam bonis inurit conscientiam. Mihi ipsi qui in Ecclesia prædico, laqueos sæpè tendit, vt totam Ecclesiam ex mea conuersatione confundat. Et ideo plus hi, qui sunt iñ medio, oppugnantur ab inimico, vt per ruinam vnius hominis, quæ cælari nō potest, omnibus scandalum fiat, & impediatur fides per conuersationem pessimam clericorum. Omnia, vt diximus, diabolus operatur, & ea quæ videntur esse bona, nec sunt, & ea quæ per naturam suam mala sunt: omnia aduersum humanam comentatur animam. Vnde qui curam habet vitæ suæ, neq; mansuetudine hæreticorum capitur, ad consentiendum doctrinæ eorum, neq; meis delictis, qui videor in Ecclesia prædicare, scandalizabitur: sed ipsum dogma considerans, & pertractans Ecclesiæ fidem, à me quidem auersabitur, doctrinam verò suscipiet secundùm præceptum Domini, qui ait: [a] Super Cathedram Moysis sederūt Scribæ & Pharisæi. Omnia quæcunq; vobis dicunt, audite, & facite: iuxta opera autem illorum nolite facere: dicunt quippe & non faciunt. Iste sermo de me est, qui bona doceo, & contraria gero, & sum sedens super Cathedram Moysi, quasi Scriba & Pharisæus. Præceptum tibi est ò popule, si non habueris accusationē doctrinæ pessimæ, & alienorum ab Ecclesia dogmatum, conspexeris verò meam culpabilem vitam, atq; peccata, vt non habeas iuxta dicentis vitam tuam instituere, sed ea facere quæ loquor. Nullum imitemur, & si volumus imitari quempiam, propositus est nobis ad imitandum Christus Iesus. [b] Descripti sunt Actus Apostolorum, & Prophetarum gesta de sacris voluminibus agnoscimus: illud exemplar firmum est, illud propositum solidum, quod qui sequi cupit, securus ingreditur. Si verò quærimus nobis culpabiles ad æmulandum, vt cùm dicamus, ille docet, & his quæ docet facit ipse contraria: aduersum preceptum Domini facimus, qui mandauit doctrinas magistrorum magis cōsiderari debere quàm vitas. Hæc ille. Similē expositionem Chrysostomus sic prosequitur: [c] Omnia quæcunq; dixerint vobis, seruate & facite: secundùm verò facta eorum nolite facere. Id est: vos qui sederis in Ecclesia, quasi iudices sacerdotum, & non auditores, aliena discutientes, & propria non considerantes, ex vobis ipsis iudicate de sacerdotibus. Sicut vos omnes auditis, & non omnes facitis quod auditis: sic & sacerdotes omnes docent, sed non omnes faciunt quod docent. Nam in hominibus digniras quidem diuersa est, omniū autem natura vna est. Homines enim ab initio creati sunt propter se, pastores autem ordinati sunt propter vos. Propterea ergo natura

a Matth. 23. ver. 1

b Christi & sanctorum perfectio imitāda, sine peccantium æmulatione.

c Cathedræ doctrina, nō doctor spectandus. Matth. 23. ver. 2 Chrysost. homel. 45. Operis imperfect. in Matth.

natura eorum, ipsorum est: ordinatio autem eorum, vestra. [a] Si bene vixerint, eorum est lucrum: si bene docuerint, vestrum. Accipite ergo quod vestrum est, & nolite discutere quod alienum est. Sicut enim Sacerdotes, etiam infideles docent propter fideles, meliùs iudicantes propter bonos etiam malos fouere, quàm propter malos etiā bonos negligere: sic ergo & vos propter bonos sacerdotes etiam malos honorate, ne propter malos, etiam bonos contemnatis. Meliùs est enim malis iusta præstare, quàm bonis iusta subtrahere. Frequēter enim & de homine malo, bona doctrina procedit. Ecce enim & vilis terra, preciosum aurum producit. Nunquid propter terram vilem, preciosum aurum contemnitur? Non: sed sicut aurum eligitur, & terra relinquitur, sic & vos doctrinam accipite, & mores relinquite. Nam vt apibus herbæ necessariæ non sunt, sed flores herbarum: flores enim illæ colligunt, herbas verò relinquunt: sic & vos flores doctrinæ colligite, & conuersationem relinquite, vt quasi inutilis herba arescat. Fidem prædicant, & infideliter agunt: pacem alijs dant, & sibi non habent: Veritatem laudant, & mendacia diligunt: Auaritiam castigant, & auaritiam exercent. Quia ergo scire bonum & malum, in natura positum est, facere autem, in voluntate: ideo benedicere omnium est: benè autem facere, paucorum.

Cap. xxiii. Idem Chrysostomus alibi, [b] pro insania manifesta censet, despicere istum principatum, sine quo neq; salutis æternæ, neq; promissorum bonorum compotes fieri possumus; vt verba illius integra superiùs recensuimus. [c] Et alibi rursus hoc ipsum argumentum pertractans, inter alia istis vtitur argumentis: Primò secundùm Apostolum, obediendum esse præpositis spiritualibus & subiacendum, eò quòd ipsi inuigilent rationem pro subditis reddituri. Si igitur illi iacturam extremæ damnationis propter subditos incurrunt, iniquissimum est illis saltem ad verba nolle obedire, & vitam illorum curiosè inquirere. Deinde cùm pastor in cathedra Christi sedeat, & pro eo legatione perfungatur, Angeli sustinens officium: quæ audacia est, diuinum nomen & officium, propter humanas in eo infirmitates deprimere? [d] Tertiò, complures scelerati homines in tota scriptura, cùm diuina officia suscepissent, propter sumas etiam iniquitates, officium non amiserunt: quinpotiùs [e] coram extremo illo orbis iudice, in officijs quidem vel etiam miraculis comprobati, de iniquitate arguuntur & condemnantur. [f] Quinetiam per os asinæ iniquum Prophetam Dominus redarguere non est dedignatus. [g] Quartò, apertissima idipsum euincit similitudine his verbis: Dic oro, si saucius proficiscaris ad medicum, num omissa cura vulneris tui, studiosè medicum

a Sacerdotes nō omnes mali, nec semper mali, iniustè taxantur.

b Sacerdotes despicere quanta insania. Chrysost. lib. 3. de sacerd.

c Pastorum non diiudicandorum rationes. Chrysos. in Epist. 2. ad Timotheum homel. 2. Hebr. 13. ver. 17

d Deus etiam per malos bona & sancta operatur.

e Matth. 25. v. 45

f Num: 22. v. 30

g Sacerdotes ipsi ægri, possunt alios sanare.

medicum perconteris, meliùs ille habeat nec ne? An verò & si ille sit saucius, vulnus tuum iccircò non curas: dicisq; sanum illum esse oportuit medicus cùm sit? Quando verò sanus medicus non est, abscedo, vulnus mecū insanabile referens? Nunquid enim si sacerdos malus sit, inde solatium capiet subditus? Nihil minus. Hęc ille. [a] In eandem sententiam Bernardus: Episcopum, inquit, peccatorē simul esse non posse, falsum est, Episcopus erat Cayphas: & tamen quantus peccator, qui in Dominū mortis dictabat sententiam? Si neges Episcopum, arguet te testimonium Ioannis, qui eum in testimonium sui pontificatus etiam prophetasse refert. Apostolus erat Iudas: & licèt auarus & sceleratus, electus à Domino. Et tu de eius Apostolatu dubitas, quem Dominus elegit? Nonne, inquit, ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est? Audis eundem electum Apostolum, & extitisse diabolum: & negas posse esse Episcopum qui peccator est? [b] Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: & qui non obaudierunt eis tanquam Episcopis, inobedientiæ fuerunt rei etiam in ipsum Dominū præcipientem & dicentem: Quæ dicunt facite, &c. [c] Nec anteacta vitia in pastoribus legittimè vocatis, officio ipsorum computari, docet Augustinus his exemplis: [d] Petrus post percussum gladio Malchum, factus est pastor Ecclesiæ: Moyses post percussum Aegyptium, quem abscondit in sabulo, factus est rector synagogæ: Pauli Ecclesiam persequentis sæuitia, syluestre erat vitium, sed magnæ fertilitatis iudicium. Sic ille. Alioqui sequetur illud absurdum, quod ante verba citata inducit Chrysostomus: [e] Si, inquit, præpositorū vitam discutere pergimus, ipsi doctores nostros ordinare contendimus: peruersoq; ordine naturali, quæ supra sunt, infra esse volumus, vt superiùs pedes, inferiùs verò caput sit. Hæc sunt enim (scribit similiter Cyprianus) initia hæreticorum, & ortus atq; conatus schismaticorum malè cogitantium, vt sibi placeant, vt præpositum superbo tumore contemnant. Sic de Ecclesia receditur, sic altare prophanatum foris collocatur: sic contra pacem Christi & ordinationē, atq; veritatem Dei rebellatur. Sic ille. [f] Certè diuina attestatur scriptura, eos qui detestantur pastores ouium, Aegyptios esse natura, sub sceptro vtiq; Pharaonis ad oppressionem natos. Primū schisma Iudaici populi per Ieroboam excitatū, sacerdotes legitimos ex Israële profligauit, quos fidelis Iuda amanter suscepit.

[g] Videbantur sibi Israëlitæ magnum assumpsisse honorem, quando sacerdotis principatum erubescentes, postulabant sibi à Samuele dari regem secularem, more infidelium nationum. Cuius perfidiæ contra magistratum spiritualem, causam assignat Dominus perfidiā,

quæ

a Exempla scripturæ, etiam pessimos ministeria Dei gessisse.

Ioan. 11. v. 51. & Cap. 6. ver. 70

b Matth. 3. ver. 1

c August. Confess. lib. 22. cap. 70

d Ioan. 18. v. 10

Exodi 2. ver. 14.

Actor. 9.

e Sacerdotibus non obedire sed detrahere, quanta sequitur confusio, & malorū initia.

Chrysost. loco citato.

Cypr. li. 1. Epist. 3

f Hæresum initia contemptus Pastorum.

Gen. 46. ver. 24

2 Paral. 11. ver. 13

g In sacerdotibus iugum ipsius Dei excutitur in tyrannidem deueniens.

Cap. xxiii

1 Regū 8. ver. 5

quæ contra Deum ipsum præcessisset, quando dicit: Iuxta omnia opera sua, quæ fecerunt à die qua eduxi eos de Aegypto, vsq; ad diem hanc, sicut dereliquerunt me, & seruierunt dijs alienis, sic faciunt etiam tibi. Nunc ergo vocem eorum audi: veruntamen contestare eos, & prædic eis ius regis, qui regnaturus est super eos, &c. Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietq; sibi equites & præcursores quadrigarum suarum, & constituet sibi tribunos & centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum & curuum suorum. Filias quoq; vestras faciet sibi vnguentarias, & focarias, & panificas. Agros quoq; vestros, & vineas, & olíueta optima tollet, & dabit seruis suis. Sed & segetes vestras, & vinearum reditus addecimabit, vt det eunuchis & famulis suis. Seruos etiam vestros, & ancillas, & iuuenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo. Greges quoq; vestros addecimabit, vósq; eritis ei serui. Et clamabitis in die illa à facie regis vestri, quem elegistis vobis: & nō exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis regem. Hæc ibi. Excitauit enim eis (inquit [a] B. Augustinus) regem, qui eos grauibus iniurijs affligeret, & per omnes contumelias & pœnas, superbū populum premeret, & calcaret: vt contemptus sacerdos de superbo populo, vltione diuina vindicaretur. Hæc ille. [b] Attendite & præcauete, ô Poloni, ne gens nostra titulum istum, & comminationem superbi populi mereatur: quæ sola in orbe terrarum Regem ex liberis militaribus suffragijs eligit. Quem tamen antequam elegerit, ius & quidem iusiurandum illi indicit, non solùm permittendæ, sed etiam fouendæ licentiæ, quicquid cuiq; modo nobilitatem redolenti, contra Deum, religionem, Ecclesiam, eiusq; sacerdotes, interdum etiam contra ipsas leges patrias, libuerit. Interim autem miseri non consideratis, nimiam istam licentiam, esse veluti tineam, quæ veram libertatem latenter arrodat atq; absumat: quando lex in versutiam, iustitia in calumniam, authoritas in contemptum, pax & securitas in oppressionem, degenerans, loco sacerdotis vel regis qui secundùm Deū imperaret, tot tyrannos, quot ausus vobis constituit. [c] Sed de his in Sermone nostro Panægyrico fusiùs. Sufficiat hîc addere: Si in humanis, magis in diuinis, quicquid ministris & legatis Christi fit iniuriæ, in Deum ipsum committi. [d] Qui enim in lege dixerat: Non te abiecerunt, sed me: idem in Euangelio dicit: Qui vos spernit, me spernit, & eum qui misit me. Isti verò qui talia audēt, (eloquio Apostolico asserit B. Clemens) non solùm Apostolos aut Episcopos oppugnant, sed omnium Episcopum & Pontificem Christum Iesum Dominum nostrum. Et alibi: Qui Episcopus est, hic est minister verbi,

a Cyprianus lib. 3. Epist. 9.

b Polonorum in eligēdo Rege libertas, ad impietatem & turpiorem seruitutem redacta.

c Christologiæ parte prima, Sermone 20.

d Sacerdotum iniuriæ in Deū redundant, ab eo vindicandæ.

1 Reg. 8. ver. 7

Lucæ 10. ver. 16

Clem: const: lib: 8. capite vltimo.

Et lib. 2. Cap. 30 & 31.
Ignatius Epist: ad Magnesianos & Trallianos.

scientiæ custos, mediator Dei & vestrum in ijs, quæ ad eum colendū
pertinent: hic est magister pietatis ac religionis: hic est secundùm
Deum pater vester, qui vos per aquam, & spiritum sanctum in ado-
ptionem regenerauit: hic princeps & dux vester: hic vester rex &
præfectus: hic post Deum terrenus Deus, qui honore vestro frui de-
bet: de his enim & similibus aiebat Deus: [a] Ego dixi, Dÿ estis, & filÿ
altissimi omnes: & dÿs populi tui non detrahes. Et paulò pòst: Ozi-
as quia fecit cûm non esset ipse sacerdos, quæ ad sacerdotes pertine-
bant, propter crimen violatæ legis lepra affectus est: sic nullus laicus
impunè feret, qui Deum contempserit, in sacerdotes eius insanierit,
& honorem sibi vsurpârit. Hactenus eloquio Apostolico Clemens.

a Psalm. 81. ver. 6
2 Paral: 26. ver. 19

b Sacerdotū ordinem turbare, hæretica & infernalis cōfusio est.
Lucæ 9. vers. 55.
Cypr. lib. 4. Epist. 9. ad Pupianum.

[b] Dum igitur vos quicunq; estis, talia moliri non desistitis, nescitis
cuius spiritus estis. Hæretica prorsus sunt ista à spiritu maligno sug-
gesta, qui sicut in inferno, sic in Ecclesia Christi, tanquam castrorum
acie ordinata, nullum ordinem, sed sempiternum horrorem inhabi-
tare cupiat. Quales Cyprianus sic meritò perstringit: Apes habent re-
gem, & ducem pecudes, & fidem seruant latrones mancipi, obsequio
pleno humilitatis obtemperant. Quantò simpliciores & meliores vo-
bis sunt brutæ pecudes, & muta animalia, ac cruenti licet atq; furen-
tes inter gladios atq; inter arma prædones? Vbi addit sententiam
contra tales sibi diuinitûs reuelatā: [c] Qui non credunt Deo Episco-
pum constituenti, vel diabolo credent Episcopum proscribenti. Et
qui non credit Christo sacerdotem facienti, postea credere incipiet
Christo, sacerdotem vindicanti. Sic ille.

c Dei vindicta pro sacerdotibus reuelata.

d Sacerdotium violatum extremum Rerūpub: exitium.
Hebr. 7. ver. 12

[d] Vltima certè præuaricatio est, quam vniuersalis consequitur Cap. XXV.
interitus, sacerdotibus recta docentibus, non solùm non obtempera-
re, sed sacerdotium ipsum quoq; persequi atq; exterminare. Transla-
to siquidem sacerdotio, (inquit Apostolus) translatio quoq; legis fiat
necesse est, cum lege autem, ipsam hominum societatem. Propterea
Zacharias penultimus Prophetarum, prædicens interitum Iudaicū,
propter diuturnas eorum præuaricationes, atq; ipsius synagogæ in
Ecclesiam vniuersalem translationem, sic Deum inducit loquentem:
[e] Et succidi mihi tres pastores in mense vno, & contracta est anima
mea in eis: siquidem & anima eorum variauit in me. Et dixi: Non
pascam vos: quod moritur, moriatur: & quod succiditur, succida-
tur: & reliqui deuorent vnusquisq; carnem proximi sui. Ista quidem
prophetia ex authoritate B. Hieronymi, intelligitur communiter de
Moyse, Aarone, & earum sorore Maria prophetissa. Sed quia Mariæ
non satis respondet officium pastoris: & prophetia non ad præterita,
sed ad futura propriè referri debeat: propterea sicut cætera eiusdem
capitis,

e Pastores tres à Deo simul succisi qui?
Zachar. 11. ver. 8
Hieronymus super hunc locum.
Exodi 15. ver. 20
Micheæ 6. ver. 4

capitis, sic & ista verba, videntur esse ad tempus passionis Christi re-
ferenda: [a] quando tempore Paschæ Iudaici, quod ad certum tem-
pus & mensem alligabatur, verus pastor Christus, ponens animam
pro ouibus suis, triumpho resurrectionis suæ renunciatus, succidit si-
bi triplicem synagogæ, & regni Iudaici pastoratum seu principatū,
quem S. Lucas distinguit: hoc est, legalis sacerdotÿ in Anna & Cay-
pha: regni autē Iudaici in Herode, eiusq; collegis: & supremi prin-
cipatus Romanorum in Pontio Pilato. Hæc enim omnia tunc cum
velo templi succisa, & paulatim euanescentia, transierunt in vnū re-
gnum & pastoratum Christi: vt prior pastoratus rectè ab eodem Pro
pheta [b] idolum, hoc est, in nihilum redactus (idolum enim, secundū
Apostolum, nihil est) denominetur. Siquidem Iudæis modò conue-
nit, quod Dominus obÿciebat Samaritanis: Vos adoratis quod ne-
scitis, quia salus ex Iudæis, non qui circūcisione, sed qui fide, filÿ sunt
Abrahæ, vt Apostolus explicat. [c] Eiusmodi etiam Iudaicæ Reipub:
exterminium, simili triplici principatu sublato, deplorabant tres illi
pueri in camino ignis, sic Deum deprecantes: Imminuti sumus plus
quàm omnes gentes: sumusq; humiles in vniuersa terra hodie pro-
pter peccata nostra. Et non est in hoc tempore princeps, & dux, &
propheta: neq; holocausta, neq; sacrificium, neq; oblatio, neq; incen
sum, neq; locus primitiarum coram te, vt possimus inuenire miseri-
cordiam. Hæc ibi.

a Pastore verò Christo percusso, triplex Pastoratus Synagogæ succisus.
Exodi 12. ver. 2
Lucæ 3. ver. 1.

b Zach: 11. v: 17
1 Cor. 8. ver. 4.
Ioan: 4. ver. 22
Galat. 3. ver. 7.

c Reipub: Iudaicæ ruentis facies, Christianæ præuaricationi metuenda.
Daniel: 3. ver. 37

[d] Propterea rectè priorem quidem prophetiam de
tribus pastoribus succisis, Eusebius Cæsariensis, applicat ad triplex
præcipuum officium Rerumpub: Christianarum, hoc est, ad pastorē,
prophetam, & magistratum, qui secundùm leges Christianas in tem-
poralibus præsit: quibus integris, Respub: quoq; in statu conseruan-
tur, illis verò cōturbatis, deficiunt. [e] Posteriorem verò prophetiam,
scribit Nazianzenus, tunc adimpleri, quādo propter hereses, schisma-
ta, & dissolutam disciplinam Christianam, venitur ad obedientiæ er-
ga Ecclesiam excussionē: tunc enim sublato principe, duce, & pro-
pheta, & placationibus, quæ fiunt per sacerdotes, eorumq; sacrificia
& alia ministeria, succedit miseranda anarchia & confusio, & illam
certò excipiens interitus. [f] Talem rerum faciem proponit nobis di-
uina scriptura, in euersione Reipub: Iudaicæ per Assyrios, his ver-
bis: Mittebat Dominus Deus patrum suorum ad illos per manum
nuntiorum suorum: (magis autem sacerdotum nouæ legis, qui le-
gatione funguntur pro Christo) & de nocte consurgens, & quotidie
commonens: eò quòd parceret populo suo, & habitaculo suo. At il-
li subsannabant nuntios Dei, & paruipendebant sermones eius, illu-
debantq; Prophetis: donec ascenderet furor Domini in populū eius,
& nul-

d Pastores tres in Repub: qui, eorumq; duratio.
Euseb: Cæs: Demonstr: Euangel: lib. 10. Cap. 4.

e Gregor: Nasians: Oratione 1. Apolog:
Daniel. 3. ver. 37

f Interitus Iudaici propter cōtemptum sacerdotiū, causa & modus.
2 Paral. 36. ver. 15

a Polonorum ab interitu, ad quem passim ruitur, dehortatio.

& nulla esset curatio. a Hæc verba vobis, ô Poloni, potissimùm pro colophone istius Tractatus applicauerim: ad quos, ex Iudaico typo sicut seculorum, sic terrarum christianarum fines deuenerũt. Quando enim isto tempore, ad nos sentina omnium hæresum ferê suffocatos, b Dominus misit Prophetas, seu prædicatores, tãta spiritus diuini efficacia, vt à voce & facie eorum hæreses & schismata, sicut nebulæ â sole, vel cera â facie ignis diffugerent, primò mercedem eorũ conuertistis c in subannationem, vel (vt Apostolus loquitur) irrisionem: quando pretextu d Compositionis & Iudaici osculi, eorum iura, authoritatem, libertates, & res ad victum illorum pertinentes, temerastis, vbi licuit eripuistis, vobisq; vendicastis. Deinde in seruos desæuiti, Domino quoq; ipsi suæ vineæ, hoc est, Ecclesiæ, non pepercistis, dicentes: Hic est hæres, venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius. Et hoc quidem effecistis (vt loquitur Propheta) per illusionem: quæ certè illa est, quam describit alius Propheta, quando per præuaricationem ex fidelibus facti viri illusores, fecistis pactum cum morte & inferno, hoc est, Confœderationem: e quæ hucusq; laruam suam non exuens, hoc agit, vt quod Apostolus impossibile iudicauit, conuenientiam faceretis, Christo cum Belial: templo Dei cũ idolis: partem fideli cum infideli: eandem participationem iustitiæ cum iniustitia, & quod peius est (vt dicit idem Propheta) cum violenta oppressione, & deprædatione cum tumultu. Sed quid aliud hoc est, nisi (vt addit Apostolus) iugum ducere cum infidelibus, vel potiùs iugo Paganorum colla submittere? Audite tandem infelices, vestram ipsorum contra vos sententiam: Quid faciet Dominus illis vineæ agricolis? Malos malè perdet, & vineam suam locabit alijs, qui reddent illi fructus temporibus suis. Et paulò post: Auferetur â vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius. Quod si non creditis prophetiæ, credite tandem experientiæ. Leuate oculos vestros, atq; tot prouincias Christianas â Mahumetanis occupatas perlustrate. Si verò tam cœci estis, saltem manibus palpate, quid vicina vestra Vngaria, Transyluania, Moldauia, & aliæ perpetiuntur: & quomodo, secundûm verba prophetiæ, furor Domini tantopere minationes illas exarsit, vt orbe quamuis Christiano in auxilium eorũ conspirante, nulla hucusq; potuerit adhiberi curatio. Proximo igitur pariete sic exardescente, vtinam tandem sapiatis, intelligatis, & nouissima prouideatis.

b Polonia clero quàm iniqua.

c 2 Paral: 36. v. 16 Galat. 6. ver. 7

d Compositio & confœderatio, duo vasa interitus.

Lucæ 22. ver. 48

Matth: 21. ver. 38

Isaiæ 28. ver. 14

e Confœderationis larua, quàm diabolica.

2 Cor. 6. ver. 14

Isaiæ 9. ver. 5.

f Exhortatio ad pacem, in vnitate Catholicæ religionis seruandam. Cyprianus lib. 1, Epistola 8.

f Ad quod Beatissimus martyr Cyprianus vos exstimulans, Sermonem istum sic cõcludat: Nemo vos fratres errare â Domini vijs faciat: nemo vos Christianos ab Euangelio Christi rapiat; nemo filios Ecclesiæ de Ecclesia tollat; pereant sibi soli, qui

Cap. xxvi.

perire

perire voluerunt, extra Ecclesiam soli remaneant, qui de Ecclesia recesserunt. Soli cum Episcopis non sint, qui contra Episcopos rebellârunt. Coniurationis suæ pœnas soli subeant, qui olim secundùm vestra suffragia, nunc secundùm Dei iudicia, sententiam coniurationis & malignitatis suæ, subire meruerunt. Monet nos Dñus in Euangelio suo dicens: a Reijcitis mandatum Dei, vt traditionem vestram statuatis. Qui mandatum Dei reijciunt, & traditionem suam statuere conantur, fortiter à vobis & firmiter respuantur. Sufficiat lapsis ruina vna, nemo volentes surgere, sua circumuentione præcipitet: nemo iacentes pro quibus nos rogamus, vt Dei manu & brachio subleuentur, prosternat grauiùs & deprimat; nemo semianimes, & vt salutem suam pristinam recipiant, deprecantes, ab omni spe salutis auertat: nemo nutantibus lapsus sui caligine omne itineris salutaris lumen extinguat. Instruit Apostolus dicens: b Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis verbis Domini nostri Iesu Christi, & doctrinę eius, stupore elatus est, discedendum ab huiusmodi. Et iterum dicit ipse: c Nemo vos decipiat inanibus verbis; propterea enim venit ira Dei super filios contumaciæ, nolite ergo esse participes eorũ: non est, quod decepti inanibus verbis, prauitatis eorũ incipiatis esse participes. Discedite à talibus, quæso vos, & acquiescite consilijs nostris, qui pro vobis quotidie continuas Domino preces fundimus, qui vos ad Ecclesiam reuocari per Dñi clementiam cupimus, qui de Deo pacem plenissimam priùs matri, tum & filijs eius oramus. Cum precibus atq; orationibus nostris, vestras quoq; orationes & preces iungite, cum fletibus nostris, vestras lachrymas copulate. Vitate lupos, qui vos â pastore secernunt: vitate linguam diaboli venenatam, qui ab initio mundi fallax semper & mendax, mentitur, vt fallat: blanditur, vt noceat: bona promittit, vt malum tribuat: vitam pollicetur, vt perimat. Lucent nunc quoq; verba eius, & venena manifesta sunt: pacem pollicetur, ne perueniri possit adpacem: salutem promittit, ne qui deliquit, veniat ad salutem: Ecclesiam spondet, quando id agat, vt qui illi credit, in totum ab Ecclesia pereat. Nunc est fratres dilectissimi, vt & qui statis, fortiter perseueretis, & stabilitatem vestram gloriosam, quàm in persecutione tenuistis, perpetua firmitate seruetis: & si qui circumueniente aduersario lapsi estis, in secunda hac tentatione, spei & paci vestræ fideliter consulatis: & vt vobis Dominus ignoscat, à sacerdotibus Domini non recedatis, cùm scriptum sit: d Et homo quicunq; fecerit in superbia, vt non exaudiat sacerdotem, aut iudicem quicunq; fuerit in diebus illis, morietur homo ille. Persecutionis istius nouissima hæc est, & extrema tentatio, quæ

a Matth. 6.

b 1 Timoth. 6.

c Ephes: 5.

d Deut. 7.

& ipsa

& ipsa citò Domino protegente transibit: vt vos gloriosæ æternitati repræsentet. Amen.

Sermo decimus octauus.

DE SACRATISS^mæ EVCHARISTIÆ veritate: eiusq; existentiæ modo.

Caro mea verè est cibus: & sanguis meus verè est potus. Ioan: 6.

Conuiuium magnificũ, qua cautela accedẽdum. Prouer. 23. ver. 1

QVando sederis, vt comedas cum Principe, diligenter attende quæ apposita sunt ante faciem tuam: & statue cultrum in gutture tuo: si tamen habes in potestate animam tuam: ne desideres de cibis eius, in quo est panis mendacij: Istis verbis diuinus Sapiens, iuxta literam occidentem, dat singulare documentum homini disparis & inferioris conditionis, a vt ad cõuiuium insolitum alicuius magnatis, seculo magis quàm Deo addicti vocatus, præcaueat sibi, ne cibis ipsis ac potibus insuetis, earumq; largiori mensura, valetudinem offendat: simul etiam, ne insolita eduliorum suauitate & copia inescatus, animus incautior reddatur, ad aliquid cum suo futuro detrimento præstandum, vel promittendum: quemadmodum animalia quò plus à dominis nutriuntur, eò proximiora occisioni euadunt. Hinc illud Ethnici Poëtæ:

a Mẽsæ diuitum laquei pauperũ, etiã in paradyso.

Horatius Epistolarum lib: 1. Epistola 18.

Dulcis inexpertis cultura potentis amici.
Expertus metuit.

Sed sensu veriori literæ spiritualis præmonet sacer Sapiens, talem cautelam in anima eò diligentiùs, quò ipsa præstat corpori, esse attendendam. Et videtur esse allusio b ad lapsum primæ matris nostræ Euæ in paradyso, quæ à principe huius mundi ad interdictum epulũ euocata, non attendens præcepto & cibo ante faciem suam à Creatore proposito, fructum vetitum lingua oculorum prægustatum, in faucibus tandem veluti cultrorum asperitatem, ad sui, generisq; sui interitum experta est. c Cuius mortis & interitus, cùm præcipua sit antidotus sacratissima Eucharistia, ad eius sumptionem ista diuini spiritus instructio, potissimùm erit referenda. Illa siquidem est mensa per æternam sapientiam à seculis præparata, & nouæ legis propria, de qua non habent potestatem edere, qui tabernaculo deseruiunt. Quod etiam B. Augustinus ad eundem sensum accommodat dicens:

b Gen. 3. ver. 5.

c Eucharistia mortis in Paradiso decretæ antidotus.

Prouer. 9. ver. 1
Hebr. 13. ver. 10
August: Tractatu 84. in Ioannem.

Quæ mensa est potentis, nisi vnde sumitur corpus, & sanguis eius, qui animam suam posuit pro nobis? Et quid est ad eam sedere, nisi humiliter accedere? Et quid est considerare & intelligere quæ apponuntur tibi, nisi dignè tantam gratiam cogitare? Sic ille. a Ex tali igitur verborum istorum applicatione, triplex apparatus & ipse tractatus de Eucharistia erit nobis obseruãdus. Primò vbi dicitur: Quãdo sederis vt comedas cum Principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam. b Hic enim erudimur, antequam ad mensam istam accedamus, vt secundum Apostolum, dijudicemus corpus Domini: hoc est, eius veritatem & certitudinem, simplici & firmissima fide assequamur, ac retineamus: vt meminerimus mensæ nos assidere c Principis Regum terræ, qui veritas ipsa cùm sit, nobis cibũ verè cælestem qui idem ipse est, communicet. d Secundò, vt ad tantam mensam accedamus, habentes in potestate animas nostras, hoc est, libertatem voluntatis nostræ, timore Dei & charitate, ad dignam communionem excitemus per pœnitentiam, & vitæ propriæ examen, quæ veluti culter interior, non foris in sensu, sed interius in gustu & effectu, vim tanti sacramẽti discernat, iuxta illud e Psalmistæ: Gustate & videte quoniam suauis est Dominus: & si minùs dignè cibus iste assumẽdus esset, in gutture potiùs offendat ac hæreat, quàm intimè animam ad interitum præcipitet, iuxta illud Apostoli: f Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Et iterum: Quicunq; manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. g Tertiò cauere debemus incredulitatem, & tollere omnia dubia, quæ fidem synceram de isto sacramento, in quo Dominus fecit memoriã mirabilium suorum, possint eneruare: Signanter autem hæreses Capharnaitarum, Berengarianorum, Hussitarum, Lutheranorum, Sacramentariorum: quæ loco veri & viuifici corporis Domini, panem & vinum, vel nuda elementa, vel etiam vmbras quasdam, & phantasmata Manichæica, nobis obtrudere gestiũt: quæ omnia rectè hîc sacer Sapiens, cibum vel panem mendacij appelauerit. h Hoc ergo tractatus istius supposito argumento: in præsenti Sermone primũ Deo duce aggrediemur, veritatem nimirum corporis Domini in Eucharistia, testimonijs vtriusq; paginæ sacræ, & orthodoxæ antiquitatis comprobantes: Deinde modum existentiæ illius, contra hæreticam curiositatem, ex sensu & consensu Ecclesiæ explicaturi. Quicquid autem contrarij erroris occurerit, pro virili nostra diluemus: votis vestris ad Deum & precibus adiuti.

a Eucharistiæ tractatus triplex. Prouer: 23. ver. 1

b Eucharistiæ veritas. 1 Cor. 11. ver. 29

c Apoc: 1. ver 5 Ioan. 14. vers. 6 Et cap. 6. ver. 35

d Ad Eucharistiã digna præparatio Prouer: 23. ver. 2

e Psalm. 33. ver. 9

f 1 Cor. 11. v. 28. 29

g Incredulitas hæretica circa hoc sacramentũ vitanda.

h Argumentum & partitio sermonis.

Prima pars.

Cœnæ Dominicæ vltima dispositio qualis.

SI homines prudentia præditi, hæreditatem temporalē, posteritati quamuis mortali, post se relicturi, solent maturis, liberis, claris, ac firmis consilijs, testimonijs, & consignationibus obfirmare: magis idipsum non præterijsse censendus est noster ille cælestis Paterfamilias, Dominus noster Iesus Christus: quo nobis ad immortalitatem, & cælestem adoptionem regeneratis, non terrenam & caducam, sed cælestem ac perhennē hæreditatem, merito suæ passionis & mortis relinqueret. Cuius quidem hæreditatis potissimum pignus esse voluit, quando ab oculis nostris ad dexteram Dei Patris commigraturus, corpus & sanguinem suum, atq; adeò seipsum, sub sensibilibus panis & vini consecratis speciebus, in verum cibū & potum nobis vltimo testamento suo consignaret. Cap. II.

a Testamenti firmi conditiones seruauit Christ9.

a Iam verò testamētorum valor & firmitas, triplicem cautelam prerequirit. Prima, vt voluntas vltima disponendæ hæreditatis, legitima trutina priùs excutiatur: deinde vt testator animo simulq; corpore, quoad eius fieri potest, liber atq; integer, clarissimo stylo illud conficiat: tertiò, vt (secundum Apostolum) morte testatoris valorem acquirat. Eadem tria Dominum nostrum in firmando suo testamento, obseruasse vidimus.

b Testamēti Christi apparatus, & pcedens examen

b Primò enim multò ante mortem suam rationes, quibus nobis corpus & sanguinem suum relicturus esset, adhibita etiam aduersariorum cōfutatione, explicuit: ad eum modum quem etiā nunc Ecclesia catholica seruare solet, quæ antequam aliquid in fide decernat, disputationes in vtramq; partem de illa questione premittere solet: vel quod Iudices Ecclesiastici obseruant, vt testamenta mortuorum, nonnisi præmissa publica præmonitione, (cridam legistæ vocant) confirment, & rata decernant. Quod quidem vtrumq; Dominus noster præmisit in doctrina sua Ioannis Capite sexto, vt paulò post dicemus.

c Testamentum Christi optima dispositione & autoritate confectum.

c Alias etiam conditiones firmitatis testamēti sui seruauit Dominus: Testamentum enim sanguinis sui, quod in cruce tanquam seruus, reus, maledictus ab omnibus, etiam â Deo Patre derelictus, exoluisset: ante hac in libera conditione, quando tanquam Rex Ierosolymis exceptus, asina cum pullo, & domus hospitis illi, tāquam supremo omnium Domino parebat, illud verbis minimè ambiguis, sed per omnia clarissimis condidit, firmauit, & Apostolis, eorumq; successoribus adscripsit, tandemq; in cruce morte ipsa resignauit, dicens: d Consumatum est.

d Ioan.19. ver.30
e Eucharistiæ veritas testamento firmata, in fine seculi violatur.

e Hinc est, quòd iam inde ab exortu Ecclesiæ Christi, nouæ subinde iuxta prædictionem Saluatoris, eiusq; Apostoli, hæreses exurgerent: vix tamen aliqua, quamuis ex illis sæuissimis

uissimis orbem terrarum peruagantibus, ausa fuit, testamentum redemptoris nostri, in asserenda eius corporis & sanguinis veritate temerare, vel in dubium vocare: quinimo inferiùs ostendemus, antiquissimos Ecclesiæ Doctores, certitudine istius fidei de Eucharistia, alios quoq; summos nostræ religionis articulos, contra sui temporis hæreticos defendisse:

a Eucharistiæ veritas, etiā infantibus olim certa. Leo 1. Epist:3. ad plebem Constā

a adeò vt fidem istam infantibus quoq; seu pueris Christianorum, perspicuam fuisse, S. Leo Magnus asserat. In nouissimis istis diebus Sathanas ad seducendum orbem religatus, ausus est per vasa perditionis suæ, hoc est, hæreticos, istam catholicæ veritatis veluti medullam inuadere: & hoc sacramentum, quod in Symbolum vnitatis & charitatis ab ipso Domino ordinatum esset, occasionem & initium hæresum & schismatum

b 1 Cor.11. ver.19 Actor.4. vers. 32

b (vt Apostolus prædixerat) constituere: adeò vt hæc mensa quæ initio nascentis Ecclesiæ, efficiebat multitudinis credentium cor vnum, & animam vnā, nostro infelicissimo seculo, Ecclesiam Christi in sectas horrendas & infinitas, alios etiam ad extremum quoq; atheismum, deduxerit.

c Hæretica contra veritatem Eucharistiæ deliria.

c Noui siquidem Capharnaitæ cum Ebione & Photino, nudum quasi hominem Christum reputantes, non Christum eiusq; corpus integrum & viuum, sed in partes discerpendum, mensæ suæ apponendum expectant. Noui rursus Iscariothæ, Manichæico phantasmate corpus Christi expendentes, tale Christi epulum, nedum oribus ad vescendū, sed ne auribus quidem ad audiendum, admittunt. Alij carnem Christi Eutychiana confusione, cum pane elementari adeò copulant, vel potiùs confundunt, vt vnionem hypostaticam inter panem & corpus Christi, non minùs quàm inter humanitatem & diuinitatem in mysterio Incarnationis, exquirant. Alij rursus Nestoriana œstro perciti, Iesum (vt loquitur d S. Ioannes) soluentes, substantiam panis pro basi sacramenti istius reputant, in qua, vel sub qua, vel cum qua, (dixissent etiam nobiscum, sine qua,) corpus Christi verè sumendum collocent:

d Ioan: 4. ver. 3
e Impanatores & inpanatores, qui dicti.

e vnde sicut illi impanatores, sic isti inpanatores Christi, meritò censeantur.

f Sacramētarii q. Rom. 1. vers. 21:

f Alij quos Sacramentarios rectè vocamus, euanescentes in cogitationibus suis, in Eucharistia, signis, hoc est, pani & vino inhærendo, ipsam corporis & sanguinis Domini substantiam, spiritu tantùm & fide, vel potiùs metaphysica imaginatione apprehendunt.

g Vbiquitarii qui & quàm stulti, & diabolo fide inferiores. Matth. 4. ver.

g Nec desunt, qui vtriusq; superioris Sectæ extrema quasi deuitantes, corpus Christi in Eucharistia constituunt, non per realem substantiam, sed per assistentem præsentiam, secundum quam humanitas Christi diuinitati personaliter copulata, continetur simul in cælo & in terra, & in omnibus creaturis, etiam in ipsis lapidibus. Homines profectò omnib9 alijs stupidissimi, & fide diabolo illi tentatori

longè inferiores, qui verbo eiusdem filij Dei, panes ex lapidibus fieri
posse asseuerabat. Quasi verò etiam præexistentes illæ creaturæ panis
& vinum, præsentia diuina inter alias exclusæ, noua eorum imagina-
ria præsentia indigerent. a Omnes autē quos recensuimus, sacrifi-
cium nouæ legis ęternum, quo Eucharistia sacra conficitur, offertur, Cap. III.
& communicatur, prorsus abnegantes, historico tantùm verborum
scripturæ ritu suam Cœnam confectam esse volunt, eamq; rursus ex
tra vsum, vel sine altera specie in communem cibum redire commi-
niscuntur. Et istæ quidem sunt principales sectæ veluti b infernalis
illa abyssus, ex qua postmodum aliæ, quarum non est numerus no-
uæ, atq; nouæ blasphemiæ, contra istud diuinissimum Sacramentum
consurgunt: c vt Ecclesia catholica, veluti fidelis Magdalena, con-
queri possit: Tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt "
eum. Verè enim ipsi (quod nobis Catholicis falsò affingere solent) "
dicunt: Ecce hîc est Christus: apud Vbiquistas: ecce illic: apud V- "
traquistas: Ecce in deserto Sacramentariorum: ecce in penetralibus "
Lutheranorum. Quibus etiam voces illæ scripturæ diuinæ appositè
applicari possunt. Lutheranis quidem: d Nisi videro & tetigero, nō "
credam. E conuerso Sacramentarijs: Noli me tangere: nondū enim "
ascendi ad patrem meum. Vtraquistis autem: Quoniam percussit "
petram & fluxerunt aquæ: nunquid & panem poterit nobis dare in "
deserto? Siquidem ipsi pane cælesti non contenti, eadem necessitate "
& eodem præcepto sanguinem Christi in precium effusum, & in po
tum sibi infundendum exigunt. e Nos verò, charissimi, cum spōsa
Christi & matre nostra Ecclesia Catholica excitemus nosipsos dicētes:
Surgam, & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas quæram, quem "
diligit anima mea: hoc est, contra tot & tantas perfidias, fidei in ba- "
ptismo susceptæ ardore, erigamus nosmetipsos, & circumeuntes Ec- "
clesiam orthodoxam, per vicos & plateas eius orbis vniuersi, primò "
auscultantes, quid ipse dilectus loquatur nobis in scripturis sanctis: "
deinde â custodibus & vigilibus eiusdem ciuitatis hoc est, Doctoribus "
sacris, inquiramus antiquam fidei istius veritatem: postremò insista- "
mus vestigijs gregum ipsius ouilis vniuersalis Ecclesiæ, sensum & "
consensum, ipsiumq; sacramēti istius vsum insequētes. f Porrò con- "
tra curiositatem, quæ hæresum mater est, armemus nosipsos fide ca-
tholica stabili, per sequentia quatuor fundamenta. Primum est, vt cō-
sideremus imbecillitatem captus nostri, quæ ad diuina capienda, se-
cundum Philosophum, sic se habet, sicut oculus noctuæ ad lumen so-
lis. Quod etiam sacer Sapiens sic præmonet: g Altiora te ne quæsi- "
eris, & fortiora te ne scrutatus fueris: Sed quæ præcepit tibi Deus, "
illa

a Hæresum præfatarum in confectione Eucharistiæ, & vsu, communis error.

b Apoc. 9. ver. 2

c Hæreses cōtra Eucharistiam apertis allegoriis perstrictæ.

Ioan: 20. ver. 13
Matt. 24. v. 23. 26

d Ioan: 20. v. 25, 17
Psalm: 77. ver. 20

e Stimulus methodicus ad Christū in Eucharistia humili fide, & charitate, requirendum.

Cant: 3. v. 2. ca. 1 v. 8. & Ca. 2. v. 10

f Fides Eucharistiæ à curiositate quatuor fundamentis pseruāda.

g Ecclì: 3. ver. 22

" illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. Nō
" est enim tibi necessarium ea, quæ abscondita sunt, videre oculis tuis.
" Et in superuacuis rebus noli scrutari multipliciter: & in pluribus o-
" peribus eius ne fueris curiosus. Plurima enim supra sensum hominū
" ostensa sunt tibi. Multos enim supplantauit suspitio illorum, (hoc est,
" humani sensus opinio) & in vanitate detinuit sensus illorum. Hæc
" ibi. a Quam sententiam si seruassent etiam Catholici, qui res fidei ad
rationes, aliquando etiam ad opiniones reuocant, & omnium religi-
onis nostræ arcanorum rationes (quas cælestis ille discipulus nō au-
debat eloqui) humanas expiscantur, fortasse non relicta fuisset occa-
sio hæreticis, tot tantaq;, propter carnales sensus contra præscripta fi-
dei, comminisci. b Verissimè enim Chrysostomus, de hac ipsa mate-
ria contra Capharnaitas disputans, inquit: Quando subit quæstio,
quomodo aliquid fiat, subit simul incredulitas: Adducens in exem-
plum Nicodemum, qui regenerationis per baptismum doctrinā, ex-
cipiebat simili quæstione: Quomodo possunt hæc fieri? Nos com-
modè addiderimus, primum hominem in paradiso, quem teste Scri-
ptura, cùm Deus hominem fecisset rectum, ipse se infinitis miscuerit
quæstionibus. c Secundum fundamentum præsupponendum est,
infirmitati humanæ opponi debere perfectionem diuinam, secundū
singula illius atrributa. Primò quoad sapientiam inscrutabilem: de
" qua Iob sic loquitur: Sapiens corde est, & fortis robore. Quam stu-
" pendo discipulus illæ cælestis, sic exclamat: O altitudo diuitiarū sa-
" pientiæ, & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius,
" & inuestigabiles viæ eius? Quis enim cognouit sensum Domini, aut
" quis consiliarius eius fuit? d Ista verò æterna Sapientia filius Dei,
" describitur â Salomone, ædificata sibimet domo per incarnationem,
" immolasse victimas suas, miscuisse vinum, & proposuisse mensam
" suam, proprij vtiq; corporis sui: idq; in ciuitate & arce Ecclesiæ suæ
" catholicæ, hoc est, in monte Sion, & in vnitate Ecclesiæ catholicæ, ex
" tra quam nemo profanus agnum comedere potest: Et ad eam men-
" sam singulariter aduocasse eos, qui reliquerint quidem infantiam, &
" ambulēt per uias prudentię, hoc est, secundum tenorem veritatis per
" fidem agnitæ & susceptæ, secundum Apostolum, non sunt infantes
" sensibus, sed malitia: secundum autem sensus animales, & humanā
" curiositatem, tanquam infantes & insipientes, prout â Domino audi-
" unt, tantum mysterium in hac vita capiant, donec illud in beatitudi-
" ne, viri effecti, in sua propria specie comprehendant, illoq; vt in se est
" perfruātur. e Secūdò huic mysterio præsupponant diuinā omni-
Cap. IIII. potentiam: quorum vtrumq; Iob fidelis sic complexus est: Sapiens
corde

a Scholasticorū quorūdam curiositas hæresum occasio.

2 Cor. 12. ver. 4

b Quæstionē comitatur incredulitas.

Chrysos: hom: 25 in Ioānem.

Ioan. 3. vers. 9

Eccles: 7. ver. 3

c Infirmitas humana perfectione diuina erigitur ad fidem:

Iob 9. vers. 4

Rom. 11. ver. 33

d Sapientia æterna, ad suam mēsam quales conuiuas requirit.

Prou: 9. v. 1. &c.

Actor. 1. ver. 13

Exod: 12. v. 44, 46

Prouer. 9. ver. 6

1 Cor. 14. ver. 20

Et ca. 13. v. 9, 11

e Omnipotentia Dei in Eucharistia maximè attēdenda.

Iob 9. vers. 4 | 1 Cor. 1. ver. 24 | Et cap. 2. ver. 2 | Eccles: 8. ver. 3

corde est, & fortis robore. Et Apostolus gloriando in sola sciẽtia Christi, & quidem crucifixi, ex quo nobis ista mensa apparatur, vocat illũ Dei sapientiam simul & virtutem. Sacer quoq; Sapiens sic attestatur: Omne quod voluerit faciet, & sermo eius potestate plenus est: nec dicere illi quisquam potest, quare ita facis? Tale fundamentum fidei nostræ, iecit ipse Angelus in prima redemptionis nostræ denuntiatione, quãdo Mariæ sine viro cõceptum, ista sententia firmauit: a Nõ erit impossibile apud Deum omne verbum: vt intelligamus plus Deum facere, quâm hominem mente concipere posse, idq; in ijs quæ perfecta sunt, qualia Dei opera esse censentur: alioqui imperfecta nõ posse, infirmitati potiûs quàm omnipotentiæ est atribuendũ. b Sic duo illa, quæ Apostolus Deum non posse facere censet, hoc est, mentiri, & seipsum negare, istius Eucharistiæ veritatem apprimè confirmant. Cùm enim ipse sit verax & fidelis, immò (vt ipse testatur) via, veritas, & vita, vt cælum & terra transeant, verba autem sua maneant. Ideo non potest esse nisi verissimum, quod ipse promisisset: Panis quem ego dabo caro mea est, pro mundi vita: & quod postmodum ad eandem formulam re ipsa præstitisset, dicens: Accipite, manducate. Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & seipsum non potuit nobis denegare, sicut in natura per incarnationem, & in baptismo per regenerationis adoptionem: c sic in Eucharistia per sacramentalem, quoad corpus & animam, refectionem, & cum seipso vnionem: quæ est pignus seu arha vnionis beatificæ, quando sicut promisit vnum efficiemur cum illo, & ille nobiscum, sicut ille patri suo vnitus existit: vt sit Deus omnia in omnibus. Quod quidem tanquam pastor per pastum propriæ carnis de ouibus suis prædixerat: Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant. Istud autem beneficium exhibetur nobis tertio eius attributo, quod est bonitas, qua ipsum veluti bonum essentiale, creaturæ suæ rationali & fideli sese communicare voluit. d Pro quarto fundamento supponendum est, quemadmodum omnia religionis nostræ, sic maximè articulum istum, sensus animales ad spiritum, & experientiam ad fidem, reuocare: iuxta illud Isaiæ: Si non credideritis, non permanebitis, vel non intelligetis. Non quòd fides rem euacuet, sed â sensibus fallacibus ad altiorem & veriorem intelligentiã reuocet, idq; natura & proprietate sua: e cùm secundum Apostolum, sit substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Quod profectò in Eucharistia rectè considerata deprehẽditur. Cõtinet enim immò veluti certum fũdamẽtũ, supponit rem ipsam, corpus Christi verum, hoc est, ipsum Christum, per

a Lucæ 1. ver. 37

b Quæ Deus facere non potest, in Eucharistia elucent.

Hebr. 6. ver. 18 | 2 Tim: 2. ver. 13 | Ioan. 6. vers. 51 | Matt. 26. ver. 26

c Eucharistia arctissimè nos Christo coniungit.

Lucæ 22. ver. 29 | Ioan. 6. vers. 57 | 1 Cor. 15. v. 28 | Ioan. 10. ver. 10

d Eucharistiæ mysterium ad fidem maximè reuocãdum.

Isaiæ 7. ver. 9

e Eucharistiæ secundùm fidei naturam ratio.

Hebr. 11. ver. 1

per speciem quidem alienam in hoc sacramento exhibitam, certa spe seipsum vt in se est, in futura vita exhibendi: est etiam argumentum rei non apparentis, quia visibilis panis species, argumentum certissimum est panis, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo, quem dat nobis Dominus ad vescendum veriùs atq; efficaciùs, quàm Moses dederat manna, quod sumentes â morte nequaquam præseruabat. a Propterea Dominus noster cùm doctrinam istam esset propositurus, miraculosam satiationem turbarum quinq; panibus præmittit. Et requisitus ab aduersarijs istius veritatis, quid nam operis ad istud salutare mysterium maximè esset necessarium, ipsum fidei opus ab eis exigit dicens: b Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quẽ misit ille. Et defectiones â doctrina sua in fine eius disputationis imputat incredulitati, dicens: Verba quæ ego loquor vobis, spiritus & vita sunt. Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt.

Cap. V.

c Iacto isto fundamento: iam ipsam veritatem catholicam in hoc tractatu defẽdendã asseramus sequentibus propositionibus. Prima est: Verum, reale, essentiale, & substantiale corpus Christi, verè, realiter, essentialiter esse in hoc sacramento. d Secunda: Quamuis verum corpus Christi, & verè ac realiter ibi contineatur: non tamen per modum & conditionem corporis aggrauantis, sed per modum spiritus vegetantis, in qualibet particula sacramenti: sicut totus spiritus est in corpore sine ipsius occupatione. e Tertia: Asserimus, post consecrationẽ, substantiam panis & vini non remanere, sed verborum Christi virtute conuerti in substantiam corporis & sanguinis Christi: idq; non vulgari aliqua mutatione, sed huic sacramento peculiari, qua panis & vini substantia, transeat in corpus & sanguinem Christi: quæ mutatio rectè transubstantionis nomen ab Ecclesia accepit, vt suo loco dicemus. f Quarta: Profitemur, Eucharistiam sacram, eadem qua constat veritate, in cibum etiam & potum sumi à fidelibus: hoc est, non vt carnem tantum humanam, quæ ad tale opus non prodest quicquam, nec secundum spiritum tantùm & fidem: sed corpus Christi, quod spiritum diuino vegetatum, vitale alimentum corporibus simul & animabus dignè sumentium subministret: quale alimentum seu fructũ spiritualẽ infideles, vel non rectè dispositi, non percipiãt. g Quinta: Cùm istud sacramentum eo quo diximus modo, verè contineat Christum, antequã illo sacramentaliter fruamur, meritò illum priùs tanquam verum Dei filium adoramus: secundum quod h Psalmista prædixisset: Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ. Cuius adorationis tractatum, ferijs corporis Christi sacri reseruantes, priores assertiones ordine suo prosequamur; Quarum prima est, de vera

a Fides primus ad Eucharistiam apparatus.

Ioan: 6. vers. 14

b Ioan. 6 v. 29, 63

I

c Propositio tractatus per assertiones Catholicas de hoc sacramento.

II

b Eucharistia nõ occupãs locum.

III

c Eucharistiæ Trãsubstantiatio.

IIII

d Eucharistia qualis cibus.

V

g Eucharistiæ adoratio.

h Psal. 21. ver. 30

vera corporis & sanguinis Christi in hoc Sacramento existentia. Quã veritatem comprobabimus: a Primò aliquot veteris testamenti figuris seu præsignationibus: Deinde promissione Christi simulq; doctrina, quam de isto sacramento ante eius institutionem præmisisset. Tertiò ex ipsius institutionis verbis, & ipso ritu & exemplo. Quartò ex vsu & consuetudine Apostolorum, & exinde totius Ecclesię orthodoxæ. Quintò ex testimonijs antiquissimorũ Ecclesiæ Doctorum. Ad quam probationem, recolligenda erunt ea quæ in tractatu de sacrificio diximus, ne illa repetere longum & inportunum esse videatur. b Vbi primò veniet expendenda figura oblationis Caim & Abel. In qua quòd acceptatio sacrificij cruenti per proprium sanguinem, oblationem ex fructibus terræ præuenerat, typum præcessisse diximus, Eucharistiam sub panis & vini speciebus, dependere ex sacrificio cruento Christi, cuius repræsentatione in Missa conficiatur, & tam oblatione quàm communione eiusdem Christi passionis & mortis memoria recolatur. Quam ad rem testimonium B. Ambrosii ibidem adduximus in hæc verba: Abel obtulit de primitijs sacrificium, docens non munera terræ placitura Deo, quæ degenerauerãt in peccatores, sed ea in quibus diuini gratia mysterij refulgeret. Hæc ille. Cui suffragatur discipulus eius Augustinus: Habet (inquiens) magnam vocem sanguis Christi in terra, cùm eo accepto, ab omnibus gentibus respondetur, Amen. Per quod intelligit Augustinus, ritum communionis suo tempore: in quo sacerdote distribuente Eucharistiam, & dicente, Corpus Christi, respondebatur à sumentibus, Amen. c Idem considerari potest in mysterio Abrahæ, quando Dominum sub specie angeli recepit sub arborem, panibus subcinericijs, & vituli mactatione illum excipiendo: quod mysterium postmodũ proprij & vnici filij vera, incruenta tamen, oblatione, consumasset: vt suis locis explicuimus. Melchisedechi quoq; oblationem præsignasse, non solùm nouæ legis sacrificium, (vt suo quoq; loco docuimus) sed etiam Eucharistiam, quoad fidelium participationem, vel ipsorum aduersariorum opinio conuincit, dum panem & vinum ad refectionem exercitus Abrahæ prolata fuisse contendit: Sed refectionem vtiq; non ventris, quæ per Regem profanum Sodomorũ relicta erat opulenta, sed refectionem mentis, quæ per benedictionem sacerdotalem Melchisedechi impendebatur. Dedit enim Melchisedech (scribit d Epiphanius) Abrahæ, & socijs eius panem & vinũ, vt mysteriorum ænigmata designaret. Similem B. Hieronymi sententiam supra posuimus: Quòd sicut Melchisedech summi Dei sacerdos, panem & vinum offerens fecerat, ipse quoq; in vltima cœna, veritatem corporis

a Veritatis Eucharisticæ asserendæ capita, & ordo.

b Oblatio Abel & Caimi præsignatio Eucharistiæ. Supra ser: 8. cap. 6 Ambros. initio libri de Incarnationis sacramento. Augustinus cõtra Faustũ li: 7. ca. 10

c Abrahæ conuiuium imago Eucharistiæ. Genes: 18. ver. 1 Vide Christolog: partem primam, Serm: 14. Cap. 1 Et partem 2. Sermon: 8. Cap. 11

d Epiph: hęres. 55 Hier: in Matthæi Cap: 26.

corporis & sanguinis sui repræsentaret. a Agnus quoq; legalis, sicut figurabat Christũ quatenus offerebatur, vt ibidẽ prolixè ostẽdimus: ita eadẽ ratione eũdẽ Christum præsignabat, quatenus in Eucharistia participatur à fidelibus. Eodẽ nãq; pręcepto cõtinebatur eius oblatio, & paschalis per familias cum peculiari ritu manducatio: quæ omnia ibidem communioni Eucharisticæ applicuimus. Et certè magis proprio symbolo Christum exprimit agnus quàm panis, quem tamen seipsum esse verum, Dominus asseuerauit. Panis enim ex natura sua non viuit, non patitur, non moritur, non profundit sanguinem, non tollit peccata mundi: quæ tamen & his similia in operibus redemptionis nostræ Christo, tanquam agno, rectè attribuuntur. Quemadmodum ergo in immolatione, sic in fidelium participatione, agnus ille (vt loquitur Chrysostomus) erat in lege vmbra, hîc verò veritas. Postquam enim sol iustitiæ radiauit, vmbra soluitur luce. Sic ille.

a Agnus non solùm sacrificii, sed & Eucharistiæ figura. Exod: 12. vers. 7 Supra Ser: 8. c. 14 Chrysost: homel: de proditione Iudæ.

Cap. VI.

Porrò Apostolus cùm in genere asseueret, omnia quæ Israelitis terram promissionis repetentibus contigissent, typum eorum quæ in noua lege exhibenda forent extitisse, singulariter ad præsens institutum nostrum profert in exemplum, baptismum & escam, in qua nobis cum illo populo Dei spiritualiter conueniret, tanquam duo præcipua Sacramenta, quibus homines per fidem Christo, in petra tunc etiam exhibito, vniantur. b Primò igitur intelligit Apostolus, nubẽ quæ Israelitas in transitu maris rubri ab Aegiptijs protegebat, designasse nouæ legis baptismum per aquã: ipsum verò mare rubrum, in quo etiam baptizati esse dicuntur, referebat sanguinem Christi, in redemptionem nostrã profusum, qui in baptismo salutem operatur. Intendit igitur Apostolus, illis Israelitis ad venturam gratiam, fidem nobiscum fuisse communem, sed illis quidem in spe & promissione, nobis autem in re & exhibitione: quam differentiam sacramenta distinguebant, quæ illis quidem in vmbra, (vt alibi vocat c Apostolus) nobis autem in ipsa veritate exhiberentur. Adeò vt sicut nos re ipsa saluat baptismus nouæ legis, nisi obex aliquis ponatur: ita illos typus ille futuræ gratiæ baptismatis, in spe certæ salutis constituisset, nisi multi illorum obicem præuaricationis & inobedientiæ cõtra Deum opposuissent. Et sic baptismus ille legalium patrum erat (vt in d simili loco explicat Princeps Apostolorum) ἀντίτυπον, hoc est, exemplar baptismi nostri: vt sicut ille veram figuram, sic noster verum saluationis sacramentum exhiberet. e Similem prorsus ratiocinoationem Apostolus subinfert, de esca & potu spirituali eorundem patrum: quod quamuis eandem modo spirituali, hoc est, præsignatione & futuræ gratiæ effectu communicassent, tamen propter simi-

b Baptismus & refectio spiritualis Israelitarũ qualis 1 Cor. 10. ver. 1

c Hebr. 10. ver. 1

d 1 Petr. 3. ver. 21

e Esca Iudæorum spiritualis quæ.

lem præuaricationem subsequentem, eiusmodi fructu gratiæ excidis-
sent. Vbi profectò escam spiritualem Iudæorum, non aliud intelligit
quàm manna, vt ex ipsa sacra historia, & ex Christi declaratione Ioā-
nis Capite sexto, constat. Quamuis autem cibus ille a omne delecta-
mentum & nutrimentum continens, potum etiam supplere poterat:
tamen quia Apostolus distinctè ponit potum, b rectè intelligetur a-
qua illa miraculosa, quæ ex petra virga Moysis percussa profluens, san
guinem ex aperto Christi latere præsignasset. c Eandem ergo & in
baptismo facit analogiam Apostolus, vt Israelitis manna & aqua illa
communis cibus & potus nobiscum essent spiritualiter, hoc est, quo-
ad significationem spiritualis futuræ redemptionis, quæ in lege gra-
tiæ essent exhibenda: baptismum tamen & escam ipsam fuisse di-
uersa, sicut signis ipsis, sic rebus quæ sub signis continebantur. Illis
enim signum baptismi externū, in Moysis ministerio, erat nubes, no-
bis aqua, igne veluti charitatis ex nube in profluxum gratiæ resolu-
ta: illorum baptismum perficiebat aqua maris rubri, paulò ante in
sanguinem conuersa: nostrum baptismū perficit verus sanguis Chri-
sti, vnâ cum aqua in redemptionis nostræ precium simul & lauacrū,
ex latere Christi morientis profusus. Similiter patres illi nostri (vt
eos vocat Apostolus) non quidem genere, sed primitijs promissionū
per communem fidem, in quibus tamen (teste d eodem Apostolo)
sine nobis non fuerunt consummati, eandem vt nos escam mandu-
cauerunt spiritualiter, sed re ipsa & veritate alteram. e Manna enim
erat figura propria panis de cælo veri, qui est Christus in Euchari-
stia, quòd manna illis erat in cibum, qui eos ad adeundam terram pro
missionis deduceret, & sic in fide illorum ænigmatica præsignabat
panem de cælo verum, hoc est, Christum in Eucharistiæ sacramen-
to, qui reuera in typo Eliæ, est viaticum hominum fidelium ad exan-
tlandam grandem istius peregrinationis viam, ad promissam terram
viuentium perducentem. Diuersus tamen cibus iste erat patrum illo-
rum à nostro, in ipsa re, & veritate: quia ipsis sub signo certorū gra-
norum pluebat ex nubibus cibus, omnem saporem & omne delecta-
mentum in se continens: nobis sub specie panis, f cæli veluti disru-
pti vel inclinati (vt loquitur Psalmista) subinde ad verba Christi, de-
mittunt verum corpus Christi, ipsumq; adeò Christum, qui ad dexte-
ram Dei patris pro nobis sacerdos & hostia esse non desistit; idq; per
modum sacramenti in specie panis, qui naturæ humanæ ad vescen-
dū est maximè accomodatus. Eodē modo de potu spirituali intel- Cap. VII
ligendus erit Apostolus, quando subinfert: g Eundem potum spiri- "
tualem biberunt. Bibebant autem de spirituali consequente petra: "
Petra

a Sap. 16. ver. 20
b Potus spiritualis Iudæorum.
Exod: 17. ver. 6
c Baptismum & Eucharistiam participârunt Israelitæ in figura, non re.
d Hebr. 11. v. 40
e Manna quomodo typus Eucharistiæ.
Ioan. 6. ver. 32
Exod: 16. ver. 35
3 Reg: 19. ver. 7
f Isaiæ 64. ver. 1
Psalm. 143. ver. 5
g Petra cōsequēs & potās Iudæos quomodo Christus.
1 Cor. 10. ver. 4
1 Petr. 2. ver. 6

Petra autem erat Christus: vt per causalem particulam sit sensus, non
solùm spiritualem potum biberunt, sed etiam spirituali modo: quia
biberunt ex petra spirituali quæ Israelitas consequebatur, quæ petra
erat Christus, hoc est, Christum præsignabat, lapidem illum āgularē,
de quo Prophetæ vaticinabantur. Quemadmodum ergo olim in ty-
po, petra consequens vel potiùs deducens (vt verbum ἀκολουθούσης
sonat) Iudæos ad terram promissam, percussa à Moyse, reddidit aquas
Israëli salutares: ad eundem modum in veritate, Christus lapis an-
gularis, a qui fecit vtraq; vnum, consequens & consummans opera
nostræ redemptionis, à Deo patre per passionem percussus, emisit ex
latere suo non solùm aquam, sed aquam & sanguinem, per quæ suos
fideles ad adeundā æternam hæreditatē emūdaret ac reficeret. b Igi-
tur Israëlitæ eundem potum qualem nos biberunt, sed spiritualem:
quia futuræ per sanguinem Christi refectionis & salutis sacramentū
legi suæ competens acceperunt: sed potum omnino & signo & re
ipsa diuersum: illi enim de spirituali petra Christum signāte, & quidē
in aqua, vt pote quibus potus sanguinis inhibitus, nouæ legi reserua-
batur: nos de vero Christo qui in cruce pependit, & quidem sub vi-
ni specie, vt pote quòd cum sanguine & carne maiorem quàm aqua
cōuenientiam habeat. u Et sic intelligendus est Augustinus, quando
ab aduersarijs citatur, quasi ex hoc loco Apostoli, spiritualem tan-
tùm Eucharistiæ vsum intelligeret. Diuersum enim alia eius verba
declarant, quando dicit: Sacramenta illa fuerunt: in signis diuersa
sunt, in re quæ significatur paria sunt. Et alibi clariùs: Idem in mi-
nisterio cibus & potus illorum & noster, sed significatione idem, non
specie. Quia idem ipse Christus, illis in petra figuratus, nobis in car-
ne manifestatus. c Qualem sensum clariùs expressit Origenes, quan-
do ista antiquæ & nouæ legis sacramenta, ex doctrina eiusdem Apo-
stoli, declarat & distinxit, in ænigmata & speciem, vt ænigma quidē
legi, species fidei Euangelicæ, responderent, sic scribens: Nunc in spe-
cie petra Christus est: (sicut Iudæis in ænigmate) nunc enim d os
ad os per legem loquitur Deus. Antea in ænigmate fuit baptismus in
nube & in mari: nunc autē in specie, regeneratio est in aqua & spiri-
tu sancto. Tunc in ænigmate erat māna cibus: nūc autem in specie,
caro verbi Dei est verus cibus: sicut & ipse dicit: e Caro mea verè
" est cibus, & sanguis meus verè est potus. Vbi Origenes ex sensu Apo-
" stoli, Iudæorum baptismū, cibum, & potum, constituit in ænigmate,
hoc est, nuda figura, & spirituali per fidem vsu. Legis autē nouæ sa-
cramento attribuit speciē, hoc est, veritatem quidem rei quæ exhibe-
tur, sed in specie, hoc est, sub sacramētali velamine. Ipsa autē (vt ibi-
dem

a Eph: 2. v. 14, 20
Isaiæ 53. vers. 8
Ioan: 19. ver. 34
1 Ioan. 5. vers. 6
b Potus Iudęorū in deserto, typo cum Christianis idem.
u Aug: in Psal. 77
Et Tractat: 26. in Ioannem.
Cyprian9 in fine Serm. de Cœna Domini.
c Origen: hom: 7 in Num:
d Num: 12. ver. 7
Hebr. 1. vers. 1
e Ioan 6. ver. 55
1 Cor. 13. ver. 12
Ioan. 5. vers. 37

a Luc: 22. ver.15
Apoc: 2. ver. 17
Cap. 21. ver 6
Et Cap 22. ver.17

dem Apostolus prosequitur) talium mysteriorum fruitio propria vt in se est, futuræ vitæ reseruatur: a quando Dominus promisit se tale Pascha nobiscum manducare nouũ, quando implebitur in regno Dei: vt suo loco diximus. Et quando dicit in Apocalypsi: Vicenti dabo manna absconditum. Et iterum: Ego sum α & ω, initium & finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. Qui vicerit possidebit hæc, & ero illi Deus, & ille erit mihi filius. Hæc ibi.

b Panes propositionum figura Eucharistiæ.
Exod: 25. ver.30
Hebr. 9. vers. 2
1 Reg: 21. ver.4
Hieron: in cap. 1 Epist: ad Titum.
Cyprianus Serm: de cœna domini.

Cap. VIII.

b Panes quoq; illi propositionis veteris legis, qui ante arcam fœderis in mensa calidi perseuerabant, procul dubio præsignabãt Eucharistiam nouæ legis, quatenus post consecrationem in Ecclesiis asseruatur, non ad laicalem, hoc est, communem cibum, sed ad refectionem potiùs spiritualem eorum, qui conscientijs intus & foris emundati, charitatis suscepta incentiua, feruorẽ tanti cibi augeant atq; refoueant. Qua de re sic B. Hieronymus: Tantum (inquit) interest, inter panes propositionis & corpus Christi, quantum inter vmbram & corpora, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ea ipsa quæ per exemplaria figurabantur. Hæc ille.

c Samson figura Christi etiam in Eucharistia.
Iudicum 14. per totum.
Augus: Serm: 107 de Tempore. Et in Psalmum 80
d Ioan. 11. ver.50

c Samson ortu & exitu, pluribusq; gestis suis, cùm etiam Christum præsignauerit, vt B. Augustinus & Hieronymus exponunt: Si historiã Capitis decimi quarti Iudicum perlustraueris, non obscuram Eucharistiæ prænotionem deprehendes. Typum enim illius veluti adimplens Dominus, cùm iter instituisset ad nuptias consummandas in thalamo crucis cum Ecclesia ex latere sibi formanda, & (vt d Ioannes Euangelista ex prophetia Cayphæ attestatur) ex gentibus potissimùm colligenda: ipsemet existens de tribu Iuda, in via, hoc est, in cœna vltima à qua ad passionem progrederetur, seipsum iuxta ordinem Melchisedech offerendo (vt supra ostendimus) quasi occidit: & in ore suo per gratiarũ actionem & benedictionem panis & calicis, inuento melle dulcissimę Eucharistiæ, illam quidem cum domesticis suis, hoc est, cum discipulis, alijsq; in se credituris, communicauit: alienis autem, hoc est, infidelibus, hæreticis, & curiosis, frustra discutiendam reliquit, per illud problema:

e Ambr: in Prologo lib. 2. de Spiritu sancto.
Iudicũ 14. ver. 14

(quod etiam B. e Ambrosius ad hoc propositum accõmodat) De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo. Quod quidem nullum ingenium humanum assequi & dissoluere potuisset, nisi ipse spõsus nimio amore sponsæ suæ Ecclesiæ exposuisset: Adeò vt aduersarij, nisi sensu Ecclesiæ catholicæ, ex verbis institutionis Eucharistiæ, sese explicare non valeant.

f Iudicũ 14. v. 18

Et hoc intendit Samson, suo altero problemate: f Nisi vitula mea arassetis, nõ inueniretis propositionem meam. Solutio autem talis est: Quid dulciùs melle? & quid fortiùs leone? Sicut enim per comedentẽ intelligi potest Chri-

a Oseæ 13. ver. 14
1 Cor 15. ver. 54
Hebr 2. ver. 14
b Isai: 7. vers. 15

sti humanitas duplici ratione: Primò quòd ipse esset simul cibus & conuiua: deinde quòd in eadem humanitate a mortem & infernũ momordit & deglutiuit: sic mel denotat eius humanitatem, iuxta illam Prophetiam Isaiæ: b Butyrum & mel comedet. Et secundum quod ipse affirmat: caro mea verè est cibus: & sanguis meus verè est potus.

c Apoc: 5. ver. 5
Gen: 49. vers. 9
d Iudic: 14. v. 13, 19
1 Ioan. 4. vers. 16

Rursus leonis fortitudo designat diuinam naturam & virtutẽ, quæ in hoc sacramento operatur. c Ipse enim existens victor leo de tribu Iuda, effecit, vt ex pane & vino cõficiatur corpus Christi, & hoc in nobis operetur, vt nos in illo maneamus, & ipse in nobis. Correspõdet effectui istius sacramenti d & præmium illi quæstioni propositum: Qui enim dignè sumpserit corpus & sanguinem Domini, accipiet vestem simul & syndonem, hoc est, augmentum geminæ in Deũ & proximum charitatis: quæ secundum B. Ioãnem, Deus est, in qua qui manet in Deo manet, & Deus in illo.

e Dauid figura Christi in Eucharistia.
1 Regũ 21. v. 13

Concludat istas figuras Dauid e quando coram Rege Achis immutauit os suum, & collabebatur inter manus, præsignãdo quoq; Christũ, seipsum in vltima cœna gestãtem, vt suo loco exposuimus: & data occasione repetere alio loco non pigebit.

Cap. IX.

f Caput sextũ S. Ioannis Euangelistæ de Eucharistia intelligẽdum rationes.
g Christus mysterium sicut Baptismi, sic Eucharistiæ, ante eorum institutionẽ explicuit.
Matth 13. ver. 52
Ioan. 3. v. 3. &c.

f Sed iam instituto ordine ad secundam probationem ex verbis in sexto Capite S. Ioannis accedamus, quã apertissimam istius Sacramenti non solùm promissionem, sed etiam asseuerationẽ continere, istis inter cæteras rationibus comprobamus. Cùm enim baptismus & Eucharistia sint præcipua fidei & salutis nostræ sacramenta, quæ nos Christo capiti arctissimè vniant. g Prima ratio erit: Impossibile videri, Christum bonum magistrum & patrem familias cælestẽ, de thesauro suo non protulisse noua & vetera, hoc est, rationem istorum sacramentorum ex signo seu elemẽto, & re ipsa cõstituendorum, non explicasse. At hoc fecit in baptismo, quando in persona Nicodemi eos, qui credituri essent, sufficiẽtissimè catechizasset: ergo in doctrina Eucharistiæ magis ardua, idipsum non omisisse credendus est. Confirmatur assumptio: quòd progressus & modus eius doctrinæ persimilis est.

h Conuenientia doctrinæ Christi de Baptismo, cũ doctrina de Eucharistia.

h Nã sicut inquirẽti magistro Synagogæ viam æternę salutis, Christus mox baptismi necessitatẽ, & modũ proposuit, & contra eius incredulitatem explicuit: sic discipulis eiusdem synagogæ perquirentibus de cibo, qui se ab immortalitate præseruare possit, statim proponit panem seu cibum de cælo verum, quẽ carnem & corpus suum, adeò q; seipsum esse postmodum asseuerat, quo nisi vterentur, vitam eos habere non posse comminatur.

i Nicodemi cum Capharnaitis similis error.

i Quemadmodum etiam errorem Nicodemi carnalem de regressu in vterum matris confutat, ad regenerationem ex spiritu, veram tamen & realem, ipsum reuocando: simili modo Capharnaitas, qui se tanquam

filium fabri voraturos esse autumabant, retrahit ad capiendam sui manducationem, veram quidem & realem, at non secundùm carnē aggrauātem, sed secundùm spiritum vegetātem. Sicut enim in baptismo regeneratio est vera, sic in communione Eucharistiæ manducatio est vera & realis, quamuis nō fallacibus sensibus, sed certissimo fidei intellectu comprehendatur. Quinetiam sicut in eo loco Dominus principem synagogæ catechizauit, post doctrinam baptismi, in præcipuis fidei nostræ articulis, nimirum mysterio Trinitatis, incarnationis, per passionem redemptionis, in cælum ascensionis, & vltimæ in extremo iudicio retributionis, quæ omnia in persona illius aliquo modo cernebantur: sic articulum de Eucharistia videtur meliori eorum captui & profectui reseruasse in illis verbis: a Si terrena dixi vobis non creditis, quomodo si dixero vobis cælestia credetis? Tota enim in Eucharistiæ mysterio difficultas est, quomodo corpus Christi ad dexterā patris gloriosum, possit in terris hominibus mortalibus in cibum & potum communicari. Quod Capharnaitis exprobrabat dicens: b Hoc vos nunc scandalizat? Quid si videritis filium hominis ascendentem, vbi erat prius? Propterea ad difficultatē istam quasi diluendā, mox ad Nicodemum loquendo subijcit: c Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo. Nam filium hominis ascendere in cælum difficilè est: descēdere de cælo difficiliùs: esse simul in cælo & in terra, loqui hominibus, difficillimum: quod tamen Christus post ascensionem suam in Eucharistia sacramentaliter exhibet.

a Ioan. 3. ver. 12
b Ioan. 6. ver. 61
c Ioan. 3. ver. 13

II

d Christus ante institutionem Sacramentorum, 7. præmisit eorum doctrinā vel promissionem.

d Secunda ratio: Idem Christum Dominum de alijs Sacramētis fecisse, non est difficilè ostendere. Antequam enim sacramentum Pœnitentiæ institueret per insufflationem in Apostolos, cum illis verbis: Accipite Spiritum sanctū: Quorum remiseritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta sunt: præmisit multò ante promissionem eisdem Apostolis dicens: Quæcunq; alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: Et quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta in cælo. Similiter Petro principatum Ecclesiæ suæ, quem tradidisset illis verbis: Pasce oues meas &c. repromiserat multò ante inquiens: Tu es Petrus: & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &c. Et tibi dabo claues regni cælorum &c. Confirmationis sacramentum priusquam ab Apostolis promulgaretur, Dominus ipse e initiauit in paruulis illis, quos tanquam fideles excipiens, manus illis imponebat cum oratione, eosq; regno cælorum addicit. Sic sacramentum Extremæ vnctionis, per Apostolos in conuersione mundi perficiendum, præsignabat f olei inunctione per discipulos ante suam prædicationem præmissos.

Ioan: 20. ver. 22
Matth: 18. ver. 18
Ioan. 21. ver. 16
Matth. 16. ver 18
e Matth. 19. v. 13
Matt. 18. v. 6, 10
f Marci 6. ver. 13
Iacobi 5. ver. 14

missos. Sacramentum Ordinis antequam in vltima cæna institueret, satis intimauit, a eligendo ex omni populo alijsq; discipulis, duodecim Apostolos, quibus etiam solis summum officium & potestatem erga corpus suum, tum verum per consecrationem, tum mysticum per Ecclesiæ regimen, esset concrediturus. b Matrimonij tanquā indissolubilitatem sacramentalem, antequam supra Moysem lege sua firmasset, eius statum per primū miraculum in Chana Gallileæ cōmendauit.

a Lucæ 9. vers. 1
Cap. 10. ver. 1
b Matth. 19. ver. 3
Ioan. 2. vers. 1

III

c Fidei maiora mysteria ante traditionem explicare solebat Christus.

Cap. X

c Tertia ratio: Non solùm sacramenta, sed alia quoq; mysteria, quæ ad redemptionem nostram pertinerent, cōsueuisse Dominum & magistrum nostrum discipulis prædicere & explicare. Sic statim post baptismum d prædixit suam gloriosam transfigurationem: deinceps verò sæpiùs e suam per Iudam traditionem, ab inimicis comprehēsionem, varia probra, & passiones, cruci affixionem, mortem, resurrectionem: exinde verò ipsam in cælos ascensionem, & Spiritus sui missionem. Cuius prædictionis solebat Dominus causam assignare, dicens: A modo vel nunc, dixi vobis priusquam fiat, vt cùm factum fuerit credatis. Cùm ergo Dominus alia salutis nostræ mysteria prædocuisset, quomodo illud omittere potuit, sine quo vitā nos habere non posse asseuerasset?

d Ioan. 1. vers. 51
e Ioan. 2. ver. 19
Cap. 3. vers. 14
Cap. 8. vers. 28
Matth. 16. ver. 21
Cap. 20. ver. 17
Ioan: 2. vers. 19
Cap. 13. ver. 19
Cap. 14. ver. 29

IIII

f Ioannes Euangelista more suo, suppleuit doctrinam de Eucharistia, ab aliis omissam.

f Quarta ratio: S. Ioannes ea intentione scripsit longè post alios Euangelium suum, vt quædam à prioribus Euangelistis omissa vel non satis explicata, quæ errorum occasionem præberent, veluti suppleret. Quod ergo in alijs dictis & gestis Domini ferè obseruauit, hîc etiam præstitit, vt institutionem quidem Eucharistiæ sacræ â tribus Euangelistis concorditer & sufficienter enarratam omitteret, & alia potiùs à Christo eodem tempore gesta prosequeretur: Eucharistiæ autem apparatum, promissionem, eiusq; asseuerationem, à prioribus Euangelistis intermissam, studiosè describeret. Alioqui mirum & prorsus indignum fuisset, eum Euangelistam, qui summa Christi mysteria ex eius pectore exhausisset, & qui maxima Christi tanquam Dei gesta, contra Ebionitas enarranda proposuisset, tantum eius opus præterijsse, in quo Dominus, secundum Psalmistam, testamentum redemptionis suæ executurus, memoriam omnium mirabilium suorum constituisset, dando escam timentibus se. g Certè B. Dionysius attestatur: B. Ioannem Euangelium suum sacramentorum traditione radicasse & confirmasse. Sacramentorum autem quasi radicem, Baptismum & Eucharistiam rectè nominauerimus. Augustinus autem disertè scribit, Ioannem de corpore & sanguine Domini, circa vltimam Cœnam nihil dixisse: quòd alibi multò vberiùs de illis fuisset locutus.

g Dionys: Ecclesi: Hierarch: Cap. 3 parte 3.
August: de consensu Euang: li: 3 Cap. 1.

V.

h Sicut aliorū sacramētorum, sic

h Quinta ratio: Diximus supra, sicut Baptismum, sic Eucharistiam, ad salutem maximè

esse

Eucharistiæ præceptum necessario descriptum.

esse necessaria. Proptereaq; vtriusq; sacramenti non solùm institutio, sed etiam præceptum erat necessarium, quod in baptismo vtrūq; horum habemus, vt patet Ioannis Cap: 3. & circa finem Euangeliorū Matthæi, & Marci. Igitur & Eucharistiæ, sicut institutio à prioribus tribus Euangelistis enarratur: præceptum quoq; per posteriorem Euangelistam erat supplendum: quod quidem in isto a Cap: 6. disertissimè per propositiones non solùm affirmatiuas, sed etiam negatiuas, quæ imutabilem inducunt necessitatem, proponitur.

a Ioan. 6. ver. 27

VI. b A testimoniis S. Patrum.

b Sexto: Doctores sacri Græci & Latini etiam antiquissimi, quamuis aliqua verba ex illo Capite ad sensum mysticum, & spiritualem manducationem per fidem, deriuare soleant: propriè tamen & ex professo doctrinam illam Christi, de reali manducatione Christi in Eucharistia, intelligunt, & varia argumenta exinde ad assertionem Eucharisticam desumunt.

VII. c Eucharistia nō minùs quàm baptismus, olim infātib9 ministrata. August: de peccatorum meritis & remiss: li. 1 ca. 20

c Septimo: Ecclesia post Apostolos plusquam sexcentos annos, Eucharistiam infantibus mox baptizatis ministrauit, non alia ratione, quàm quòd maximo consensu credidisset, æqualitatem præcepti, tam illius: "Nisi quis renatus fuerit ex aqua, ex spiritu sancto, "non potest intrare in regnum cælorum: quàm alterius similis: Nisi "manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinē, nō "habebitis vitam in vobis. Donec tandem post experta tot pericula, sicut mersionis trinæ in baptismo, sic incapacitatis & indispositionis corporalis in retinenda Eucharistia, Ecclesia Spiritu sancto edocta, Eucharistiæ sumptionem in voto fidei per baptismum acquisitæ, talibus paruulis sufficere declararet.

VIII. d Sexti capitis S. Ioannis summaria expositio.

Cap. XI.

d Octaua ratio: Totū illud Caput Ioannis sextum, iuxta propriū literalem sensum, nō aliam quàm promittendæ, asseuerandæ, & fidelibus maximè commendandæ Eucharistiæ, intentionem continet. Quod vt palam fiat, ipsius summariam expositionem percurramus. Principiò narrat Euangelista, quomodo turbæ insignibus circa infirmos miraculis, quæ Dominus patrasset permotæ, illum etiam mare transmeantē secutæ fuissent. Cùm autem instaret Pascha, Dominum sine dubio voluisse turbam illam excipere, miraculo non ampliùs alicuius infirmitatis, sed potiùs vitę, & quod instanti Paschæ, præsertim verò futuræ nouæ legis solennitati corresponderet.

e Eucharistiæ doctrinæ apparatus, p typū baptismi. Ioan 6. ver. 1, 24

e Congruè enim tanta hominum multitudo, quam Iesus subleuatis oculis conspectasset, & quæ veluti abluendo legale fermentum per aquas Dominum inquirentes, typum baptismi suscepissent, potuit futuræ legis Ecclesiam designare. Domino ergo pro plebe sua in deserto alenda sollicito,

f Humana prouidentia in Eucharistia deficit. Ioan. 6. vers. 7

f humana industria & consultatio etiam in Philippo Apostolorum sagacissimo deficit: sed veluti forte puerili vel potiùs diuina, cōquiruntur quinq; panes hordeacei,

acei, & duo pisces: quæ tamen non ad satiationē, sed degustationē tantæ multitudini vix sufficiant. Quo vtroq; mysterio ante omnia humana curiositas, vel potiùs ad diuina opera imbecillitas proditur, quæ in hoc maximè mysterio locum non habet.

a Quinq; panum & duorum pisciū mysteria. Ioan. 6. vers. 9

a Per panes autem materia istius sacramenti, præsertim ad participationem plebis consignatur. Cuius genus vilioris & communioris grani hordeacei, signat materiam panis, succedente nobilissima corporis Christi substātia, in meras species sensibiles abeūdam. Numeri autem quinarij mysterium, potest referri ad veram corporis Christi tanquam hominis, veluti quinq; sensibus contestatam integritatem; quæ quinq; vulneribus in cruce mortificata, esset nobis in passionis eiusdem memoriam participanda. Porrò duo pisces pro obsonio (non enim inter reliquias fragmentorum numerantur) panibus additi, videntur insinuare Apostolicum (per quod conuiuium illud administraretur) piscationis officium, quod in geminata ex Iudæis & gentibus Ecclesia fuissent executuri.

b Reficiēdorum à Christo in fœno cōsessus, quid signat. Isaiæ 40. vers. 6 Ioan. 6. vers. 69

b Fœni autem accubitus infirmior, & resurrectio ex fœno post pastum vegetior, non obscurè indicat illius sacramenti effectum, per verbi Dei æterni viuificam virtutem, iuxta illud Isaiæ: "Verè omnis caro fœnum &c. verbum autem Domini Dei nostri ma-"net in æternum. Cui sensui correspondent verba versus finem huius "doctrinæ, vbi dicit Dominus: Caro non prodest quicquam, spiritus "est qui viuificat.

c Benedictio cū gratiarū actione quinq; panum qualis. Ioan. 6. ver. 11, 23

Cap. XII.

c Præmisso eiusmodi apparatu, dicitur Iesus accepisse panes illos, & gratias egisse seu benedixisse: hoc est diuinā (quæ corporaliter quoq; ei inesset) virtutem ad multiplicationem futuram aduocasse. Quod etiam videtur confirmare Euangelista, quando refert turbas recurrisse ad eum locum, in quo manducauerunt panem, gratias agente Domino: quæ adiectio, & ipsius populi ardor, mysticam vtiq; refectionem insinuant.

d Apostolorum ministerium Eucharistiæ præsignatum. Ioan: 6. ver. 12

d Illis autem sic satiatis, ad recolligendas demum superabundantes reliquias Apostolos adhibet: hoc mysterio, ministerium futuræ dispensationis Eucharistiæ eisdē quodā modo initiando, quod & ipse numerus Apostolico ordini congruens, confirmat.

e En miracula in panibus hordeaceis, quæ hæretici in Eucharistia exigunt. Matth. 14. ver. 21

e Appello hîc veritatis Eucharisticæ aduersarios, vt dicant nobis: qua ratione quinq; panes & quidem hordeacei, quamuis in atomos partiti, potuerunt quinq; millia virorum, exceptis mulieribus & paruulis, vt alij referunt Euangelistæ, non solùm satiare, sed etiam (vt textus loquitur) implere? Deinde quomodo quinq; illi panes etiam integri, non duodecim, sed vnum cophinum adæquassent? Rursus qualis substantia panum illorum erat, quæ ex vilissimo frumento tantam refectionem præstitisset? quæ qualitas cibi illius, dum sub specie panis hordeacei plusquam cibarij, tanta satietate & volupta-

voluptate edentes affecerat, vt regium conuiuium excipientes, Christum regem exinde deposcerent, secundùm illum morem, quem sacra memorat Scriptura. a Non est in domo mea panis &c, nolite me regem constituere. Deniq; vbi leges quantitatis extensiuæ, quam isti noui Capharnaitæ, in corpore Dominico exigũt? quando illi quinq; panes, postquam eos Dominus in manus accepisset, supra tales quantitatis cancellos, verè & realiter continebantur in manibus Christi, in visceribus comedentium, & in singulis recepraculis cophinorum: cùm tamen tota illa multitudo dicatur illis (non certè de nouo creatis) quinq; panibus fuisse repleta. b Si igitur isti miseri homines in ratione panis terreni, sic acie sanę rationis palpitãt, quid quæso rationes panis de cælo veri discutere præsumunt? Digni profecto illo scõmate, quod ab alio Euangelista discipulis impingitur. Cùm enim post illud ipsum miraculum satiatæ turbæ, & reliquiarum remanentium, Dominus per mare ambulans eos fluctuantes subleuasset, & illi phantasmata reputantes, extimuissent: sic ab Euangelista cum modernis Sacramentarijs redarguuntur: c Et plus magis interse stupebant: Non enim intellexerunt de panibus, erat enim cor eorum obcæcatum. Qualem etiam stuporem turbis saciatis accidisse, S. Ioannes memorat. d Christus igitur cùm defugiẽdo regnum terrenũ trãs mare sese subduxisset, turbæq; nauigijs illum conquisiuissent, redarguit illas sic dicens: Amen amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus & saturati estis. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternã, quem filius hominis dabit vobis. Ecce quomodo Dominus arripit occasionem, vt officium satiationis corporalis, inducat ad mysterium spiritualis & viuificæ per suiipsius participationem refectionis, quã ipse quidem tanquam verus homo seu filius hominis esset illis præstiturus: sed operante diuina & viuifica virtute, quam à Deo patre per generationem accepisset. e Et hoc sibi volunt verba quæ mox subijcit: Hunc enim (filium hominis) pater signauit Deus. Cùm enim prius sese vocasset filium hominis, nouam carnem ad manducandum aptam insinuauit: in reliquis verò verbis ostendit, vegetationem eius refectionis, quam præstare posit veluti Deus omnipotens. Quatuor siquidem sunt istius propositionis termini: primus (Hunc) qui refertur ad filium hominis: vt arguit non solùm contextus, sed articulus Græcus in masculino genere enuntiatus, cùm βρῶσιν cibus fœminino genere censeatur. In hoc autem consentiunt Marcus & Lucas, qui Græcè scripserunt, & Matthæi Græca translatio. Secundus terminus est, (Pater) qui indicat relationem diuinæ quoq; filiationis: quod

a Ioan. 6. ver. 15 Isaiæ 3. ver. 7

b Incredulitas veritatis Eucharisticæ præsignata.

c Marci 6. ver. 52 Ioan. 6. ver. 14

d Christus ex occasione cibi miraculosi, doctrinam de Eucharistia aggreditur. Ioan: 6. vers. 26

e Eucharistiæ sufficientissimus autor Christus, in trinitate verus Deus Et quomodo à Patre signatus. Ioan: 6. ver. 27

quod elucidat tertius articulus. (Deus) Si enim pater Deus, ergo filius Deus. a Quartus terminus (Signauit) explicat modum & proprietatem generationis, quæ adeò perfecta & sine vlla pasione est, vt secundùm Apostolum, filius sit Dei patris b verbum, imago, & character seu viua expresio: secundùm quod ipse Dominus contestatur: Ego sum in Patre, & Pater in me: & qui videt me, videt & patrem meum.

Cap. XIII. His auditis Iudæi, in verbis Christi rectè duo distincta considerant, & discutienda proponunt: Primùm quæ sit ipsa operatio cibi nunquam pereuntis, sed in æternũ saluantis. Ideo dicunt c Quid faciemus vt operemur opera Dei? Respõdit Iesus & dixit eis: Hoc est opus Dei, vt credatis in eũ, quẽ misit ille. Cùm enim, secundũ Apostolũ, fides sit substantia rerum sperandarũ, argumentũ nõ apparentium, (quod maximè fit in hoc sacramento) & sine fide imposibile est, placere Deo, ad quem accedentem oportet credere: propterea veluti quoddam fundamentum istius mysterij capiendi præsupponit fidem, vt in sese verum quidem filium hominis, sed non minus verũ filium Dei, tanquam istius sacramenti autorem atq; exhibitorem crederent: & sic ordine ab d Isaia præscripto credendo, hoc mysterium intelligerent. e Huic assertioni antequam Iudæi credant, signum exigunt, & quidem è cælo, quod diuinitatem assertam contestaretur. Simul etiam respondẽdo ad alteram partem propositionis Christi de cibo vero de cælo: opponunt manna quod per Moysen patres eorum accepissent, quem cibum Scriptura diuina panem de cælo fuisse contestetur: ideo explorabant, an quid simile Christus operaretur, propter quod in illum meritò crederent? Dixit ergo eis Iesus: f Amen amen dico vobis: Non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Panis enim Dei est, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo. Quibus verbis ostendit Christus, mãna quod erat cibus Iudæorũ in deserto, nõ fuisse à Moyse datũ, sed ministratu: nõ fuisse verè è cælo, sed ex superiori aëris parte quæ cælũ denominetur: nec vltro descẽdisse, sed ex aëre delapsũ in solitudine apparuisse. Se ergo esse illũ panẽ verũ, qui à Patre quidẽ secundũ suã exinanitionẽ daretur, sed & ipse vt patri ęqualis, ipse descẽderit, & daret vitã mũdo. Iudæis autẽ de pręparatione ad talẽ cibum per fidem nihil curantibus; sed cibum tantùm quasi per ironiam exigentibus, explicat denuo Iesus: g Se quidem esse eum panem vitæ, hoc est, sine cuius vsu resuscitatio ad immortalitatem contingere non posit: sed antequam per modum cibi & potus eo quis perfruatur, prærequiri accessum (vt supra diximus) per fidem. Quam ad rem quòd auditores illi corda sua tantopere aggrauarent, & præsentem in carne Messiam,

a Generationis æternę proprietas & perfectio. b Ioan. 1. ver. 1 Coloss: 1. ver. 15 Hebr. 1. vers. 3 Ioan: 14. vers. 9

c Fides salutis fũdamentum in Eucharistia, primò quoq; exigitur. Ioan: 6. ver. 29 Hebr. 11. ver. 1, 6

d Isai: 7. ver. 9

e Iudæi nouæ fidei nouum miraculum cælitus à Christo exigunt. Ioan. 6. vers. 30

f Cibus Christi perfectior quàm manna Moysis. Ioan, 6, ver, 32

g Eucharistia dat immortalitatem, sed integra fide præcedente, qua deficiente, signũ est reprobationis. Ioan: 6, ver, 35

siam, & in operibus Deum etiam non recognosceret: tantæ indurationis signum esse diuinam præscientiam ad futuram eorum damnationem: sicut è conuersò, aliorum ad verba vitalia Christi conuersionem, signum esse diuinæ ad æternam salutis prædestinationem. Et ad hunc sensum referenda sunt reliqua verba, quæ à Christo subijciuntur: quæ in textu habentur. Neq; tamen istis vecordia Iudaica permota, scandalum incredulitatis suæ causantur, sequentibus verbis [a] Murmurabant ergo Iudæi de illo quia dixisset: Ego sum panis qui de cælo descendi, & dicebant: Nonne hic est filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem & matrem? Quomodo ergo dicit hîc, quia de cælo descendi? Ex quibus verbis manifestè colligitur, Iudæos illos hac maximè ratione non credidisse Christum posse illis carnem suam in cibum daturum, quod experientia illorum esset filius Ioseph, & nō Dei, qui de cælo descendisset. Quorum posterius cùm moderni hæretici se credere affirment, tamen veritatem Eucharistiæ pernegant, profectò multò Iudæis illis censendi sunt infideliores & obstinatiores.

[a] Sacramentarii Capharnaitis infideliores.
Ioan. 6. ver. 41

Respondit [b] ergo Iesus, & dixit eis: Nolite murmurare inuicē. Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Est scriptum in prophetis: Et erūt omnes docibiles Dei. Omnis qui audit à patre & didicit, venit ad me. Non quia patrem vidit quisquam, nisi is qui est à Deo, hic vidit patrē. Ista verba apertiùs confirmant priorem assertionem Domini, quod sicut Eucharistiæ mysterium præsupponit fidem in promissum Messiam: sic eiusmodi fides dependet, nō tam ex curiositate & præsumptione humana, quæ erat causa illius murmurationis & blasphemiæ Iudæorum, sed magis ex occulta Dei vel prædestinatione ad salutē, vel reprobatione ad damnationem: iuxta illud Apostoli: [c] Nō currentis, neq; volētis: sed miserentis est Dei. Ideo hæc verba exponens Augustinus dicit: Vt doceret nos, etiam ipsum credere, doni esse, non meriti. Sicut (inquit) dixi vobis: Nemo venit ad me, nisi datum ei fuerit à Patre meo. Hæc ille. [d] Propterea sicut prædestinati etiam ex gentilibus, nullum in persona assumptæ infirmitatis Christi ponunt offendiculum: sic reprobi quamuis ex electo populo, dum in promisso sibi Messia scandalizantur, signum est eos non esse (vt [e] alibi & paulò post explicat) ex ouibus Dei patris, qui filij sui pastoralē vocē non recognoscant: & propterea clarissimis etiam doctrinis suis credere & adhærere sicut nolūt, sic iusto Dei iudicio nō possunt. Ideo suum propositum sic prosequitur Christus: [f] Amen amen dico vobis: Qui credit in me, habet vitam æternam. Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis

[b] Eucharistiæ veritatis obstinatio, signum reprobationis.
Ioan. 6. ver. 44
[c] Rom. 9. ver. 16
August. Serm. 2 de verbis Apost.
[d] Obstinationem Iudæorum, fides gentilium suppleuit.
[e] Matth. 11. v. 6
Ioan. 10. ver. 26
[f] Recapitulatio & asseueratio priorum propositionum Christi.
Ioan. 6. vers. 47
Cap. XIIII

est panis de cælo descēdens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita. In priori sententia concludit Dominus propositionem suam, nimirum absq; fide inseipsum, nemini immortalitatem (cuius panis ipse cælestis veluti pignus est) contingere posse. Atq; exinde transit ad alteram sententiam magis etiam iureiurando firmandam: videlicet, seipsum esse panem seu cibum, longè quā mānna præstantiorem, quod probat triplici ratione. [a] Primo origine: quia ipse sit panis à Patre de cælo descēdens, hoc est, ex cælis oriund9, & qui de cælo ipse quoq; sua voluntate descenderit per incarnationis exinanitionem: eoq; mysterio nasci voluit in Bethleem, quæ domus panis interpretatur, & reclinari in eius præsepi, ex quo postmodum, secundùm Psalmistam, homines tanquam iumenta saluarentur. Alioqui manna erat quoq; cibus seu panis de cælo, sed secundùm Chrysostomum, ex aëreo, vnde etiam aues cæli, & thronus de cælo Deus nominantur. vel secundùm Ambrosium, manna illud è cælo, corpus Christi supra cælum, illud cæli, hoc Domini cælorum. Secundò pręcellebat Eucharistia manna typicum, natura: quia Christus est panis de cælo verus, hoc est, natura & veritate, homines in corpore & anima nutriens & viuificans: manna autem istius cibi typus tantùm erat & præsignatio, vt superiùs dictum est. [b] Tertiò comprobat idipsum Dominus virtute & effectu. Manna siquidem continebat omne delectamentum, sed oris & ventris: corpus autem Christi confert omne delectamentum mentis. Manna supplebat omnes cibos, vt peregrinātes in deserto reficeret, in eorū corpora digestum: corpus Christi est sufficientissima esca, quæ animas simul & corpora spiritu deifico nutriat & vegetet, non in manducantes conuersa, sed potiùs mãducantes in se conuertens atq; vniens. Manna erat quidē Israelitis in illa demigratione alimentum simul, & à corporis defectibus medicamentum, quod tamen vitam & imortalitatē signabat tantùm, nō præstabat, quin eo saginati morerētur, & obserata cæli ianua in lymbi carcerem demergerentur: Corpus Christi, huius sæculi peregrinatoribus viua fide dispositis, fit non solùm hominis interioris alimētum, & contra omnia animæ & corporis aduersa præsidium, sed etiā homini incorporatū, [c] ingerit quandam veluti vim seminalem, vt somno mortis naturalis oppressum, ad extremam filij Dei tanquam capitis sui vocem, ad beatam imortalitatem sit excitandum. Ne autem Iudæi ampliùs vacillarēt in æquiuocatione panis, declarat expressè panem istum de quo loquitur, & ad manducandū promittit,

[a] Christus perfectior & verior panis cælestis quàm manna.
Matth. 3 ver. 5
Lucæ 2. ver. 7
Psalm. 35. ver. 8
Chrysostom9 homel. 44. in Ioan:
Ambros. de initiatis Cap. 9
[b] Eucharistiæ supra Manna præstantiores effect9
Cyprianus Serm. de cœna Domini.
[c] Rom. 8. ver. 10
Ioan. 5. vers. 27

a Panem de cælo declarat Christus esse carnẽ suam ad mortem tradẽdam et resuscitandam. Ioan. 6. ver. 51

fore carnem suam, dicens: a Panis quẽ ego dabo, caro mea est, pro mundi vita: hoc est: Cibus iste cælestis, quem in cæna vltima instituturus sum, erit quidem specie & apparentia panis, sed reuera etiam caro mea, quæ modò vobis præsens adest: verùm non quatenus est incarnata & mortalis vobiscum existens, sed quatenus tradetur ad passionem & mortem, ex quibus demum resurrectione viuificata, credentibus vicissim & sumentibus, per eiusdem mortis meæ memoriam, immortalitatem sit allatura.

b Iudæi magis offensi carnis Christi, quàm panis mãducatione, & qualis eorum litigatio. Ioan. 6. vers. 52

Cap. XV.

b Ecce autem aduersarijs maior offendiculi occasio, cùm iam non solùm panem de cælo seipsum vocabat, quod vtique figuram aliquam admittere potuisset, sed disertè eum panem carnem suam assereret, quæ comestione vitalis esset futura. Litigabant ergo (inquit Euangelista) Iudæi ad inuicem dicentes: Quomodo potest hic nobis carnẽ suam dare ad manducandum? Litigabant certè, non credentes cum non credentibus, (omnes siquidem, & vix non Apostolos hac doctrina offẽsos fuisse, inferiùs patebit) sed litigabant, sicut & modò hæretici, curiosi cum dubitantibus: dubitantes, cum non credentibus: non credentes, cum infidelibus: infideles, cum obstinatis: obstinati cum detrahentibus, etiam & blasphemantibus. Sequitur textus:

c Christi carnis manducandæ, & sanguinis bibẽdi, pceptũ & modus. Ioan. 6. vers. 53

Dixit c ergo eis Iesus: Amen amen dico vobis. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eũ in nouissimo die. Contra aduersariorum fallacem impossibilitatem prioris suæ assertionis, opponit Dominus indubitatam & ineuitabilem necessitatem, idque per edictum seu præceptum non solùm affirmatiuum promissionis vitæ æternæ, sed etiam per negatiuum interminationis damnationis sempiternæ: simúlque declarat carnem suam ad sumendum necessariam, non esse more mactatorum animalium mortuam, vel ad instar sacrificiorum legalium exanguem, sed eius conditionis, vt per passionem, sanguinem quidem in precium redemptionis profunderet, sed propter diuinitatis vegetationem, viua simul & viuificans dignè sumentibus maneret: atque sic fidelibus corporaliter commixta, sementinam quandam futuræ redemptionis in eis relinqueret. Deinde subinfert Dominus:

d Ioan. 6. ver. 55

d Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem: & qui manducat me, ipse viuet propter me. Hic est panis qui de cælo descendit: non sicut patres vestri mãducauerunt manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet

uet

uet in æternum. a In quibus verbis tria asserit Christus: primò cùm supra dixisset, panem quem esset daturus, esse carnem suam veram & viuam, quæ etiam sanguine viuifico constaret: iam ostendit eam nõ minùs verè esse cibum, & sanguinem non minùs verè esse potum: sic vt ab hominibus verè manducetur & bibatur. Sicut enim Apostolus veram viduam dixit, quæ viro fuisset orbata: verè autem viduam distinxit, quæ statum piæ viduitatis rectè seruaret: Sic superius satis Dominus asseruit carnem suam esse verum cibum: nunc declarat verè esse cibum, hoc est, non solùm spiritualiter, sed etiã corporaliter verè manducari.

a Verè manducare corpus Christi, & sanguinem bibere, quid. 1 Cor. 7. vers. 8 1 Timot. 5. v. 3. 5

b Lucæ 24. v. 34

b Quemadmodũ Apostoli, explicata sensibiliter resurrectione Dominica, asseuerabant surrexisse Dominum, non solùm verum qui passus fuisset, sed verè, hoc est, in carne visibili & palpabili. c Secundò subinfert eius virtutem seu effectum, communi cibo seu pani specie quidem similem, sed virtute longè præstãtiorem. Panis enim communis hominem nutrit, per corporis naturalis calorem in eius alimentum digestus, & in carnem humanã commutatus: cibus autem iste quem commendat Christus, quatenus quidem panis est, verè ab hominibus sumitur, & in speciebus alimento competentibus, in corpus humanum transmittitur, & degeritur: secundùm verò propriam sui substantiam quæ caro Christi & ipse Christus est, sumentẽ potiùs in seipsum transmutat.

c Christus manducatus, sumentem in seipsum commutat.

u Aug: lib. 7. Cõfess. Cap. 10. Vide Alanũ Copum Dialogo 2. Cap 26.

u Quod etiam B. Augustino, & Vgoni, reuelatum esse traditur ab ipso Domino in hostia apparẽte, ac dicẽte: Cibus grandiũ sum: cresce, & mãducabis me: non enim ego mutabor in te, sed tu mutaberis in me. Hoc indicat ordo verborum Christi, quando dicit: d In me manet, & ego in illo. Quæ sola verba ad euincendam Eucharistiæ veritatem sufficiunt, B. Hilario sic scribenti: Quæ scripta sunt legamus, & quæ legimus intelligamus, tunc perfectæ fidei officio fungemur. De naturali Christi in nobis virtute quæ dicimus, nisi ab illo discimus, stultè & iniustè dicimus. Ipse enim ait: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus vere est potus. Qui comederit meam carnem, & biberit meũ sanguinem, in me manet & ego in eo. De veritate carnis & sanguinis non est relictus ambiendi locus. Nam & ipsius Domini professione, & fide nostra, verè caro est, & verè sanguis est. Et hæc accepta atque hausta, hæc efficiunt, vt nos in Christo, & Christus in nobis sit. Hæc ille.

d Eucharistiæ veritas indubitata. Ioan: 6. ver. 56 Hilarius lib 8. de Trinitate.

Cap XVI.

e Tertiò Dominus benignissimus vltra fidei limites, humanæ curiositati reuelat etiam modum veritatis suæ carnis ad manducandum, & tam arctæ per illam cum Deo vnionis: docens vtrumque istud, inter duo summè extrema Deum & hominem, creatorẽ & creaturam, spiritum diuinum & limum terræ, contingere per medium

e Mãducationis veræ carnis Christi ratio, ab ipso explicata, Sicut me misit viuens pater, &c. Ioan. 6. vers. 57

suijpsius,

suscepsius, qui in vnitate personæ, seruata integra vtraq; natura, Deus factus esset & homo. Cùm ergo dicit: Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem: & qui manducat me, ipse viuet propter me: sensus est, ac si clariùs diceret: Cùm ego in vna eâdemq; persona sim, & Deo patri ab æterno, & naturæ humanæ intempore, per incarnationem consubstantialis: fit vt per medium diuinæ vegetationis, & istius vnionis, homines mihi tanquam capiti, viua fide incorporati, sicut in baptismo nouam regenerationem, & vitã ex me acceperunt: sic per verum corporis & sanguinis mei alimentum, eandem vitæ conseruationem, & arhabonem beatificæ in cælo fruitionis, non minùs verè identidem percipiant. a Talem sensum clarissimè comprobat inter alios Patres, B. Hilarius sic scribens: Si verè verbum caro factum est, & nos verè verbum carnem cibo Dominico sumimus: quomodo non naturaliter manere in nobis existimãdus est, qui & naturam carnis nostræ iam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ, ad naturam ęternitatis sub sacramẽto nobis communicandæ carnis admiscuit? Ita enim omnes vnum sumus: quia & in Christo pater est, & Christus in nobis est. b Quisquis ergo naturaliter patrem in Christo negabit, neget priùs non naturaliter, vel se in Christo, vel Christum sibi inesse, quia in Christo pater, & Christus in nobis, vnum, in his esse nos faciunt. Si verè igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, & verè homo ille, qui ex Maria natus fuit, Christus est, nosq; verè sub mysterio carnem corporis sui sumimus, & per hoc vnum erimus, quia pater in eo est, & ille in nobis: quomodo volũtatis vnitas asseritur, cùm naturalis per sacramentum proprietas, perfectæ sacramentum sit vnitatis? Non est humano aut seculi sensu in Dei rebus loquendum, neq; per violentam atq; impudentem prædicationem, cælestium dictorum, sanitati alienæ, atq; impiæ intelligentiæ, extorquenda peruersitas est. Hæc ille. c Ad eundem modum Cyrillus: Corporaliter (inquit) filius per benedictionẽ mysticã nobis vt homo vnitur, spiritualiter autẽ vt Deus, sui spiritus gratia, nostrum ad nouam vitam, & diuinæ naturæ participationem, spiritum redintegrans. Nexus igitur vnionis nostræ ad Deum Patrem, Christus est: nobis quidem vt homo, Deo autem patri vt Deus naturaliter vnitus. Non erat enim possibile, corruptioni subiectam hominis naturam ad immortalitatem conscendere, nisi natura immortalis atq; incommutabilis ad eam descendisset, ac communione participationeq; sui à mortalitatis nostræ terminis ad suum bonum reformatos eleuaret. Consummati ergo sumus, reductiq; ad vnionem Dei patris mediatione saluatoris, id est, Christi. Filium enim

a Nexus per Eucharistiam cum Christo, nexui eiusdem cum Patre iunctus. Hilarius lib: 8 de Trinitate.

b Sacramentarii Arianæ perfidiæ obnoxii.

c Cyrill: Alexãd. lib. 11. in Ioãnẽ. Capit. 27.

um enim Dei natura patri vnitum, corporaliter substantialiterq; (vt dictum est) accipientes, clarificamur glorificamurq; supremæ facti naturæ participes. Hactenus ille. a Superiori doctrinæ Christi cùm subiicit Euangelista hæc verba: Hoc dixit in Synagoga, docens in Capharnaum: commendat istius doctrinæ autoritatem: quòd non populari & parabolico modo eam traderet, sed ex professo docendo, & quidem in synagoga, per modum solennis disputationis: insuper etiam in Capharnaum, b quam ciuitatem suam reputaret, & in qua ab initio maxima miracula, quibus ciues sui inuiderent, exhiberet: deniq; vt in ciuitate sua carnali, post stupenda miracula in aliorũ corporibus patrata, memoriam mirabilium suorum, in proprio corpore faceret promissionem, quam postmodum in ciuitate Sion, vnde lex proditura esset, ipso facto exhiberet. Prosequitur vltra Euangelista: Multi ergo ex discipulis eius audiẽtes, dixerunt: c Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? Ex Apostolis quidem vnus dicitur fuisse Iudas qui scandalizabatur: reliquos ex septuaginta discipulis fuisse credendum est: cùm infrâ pro se & aliis Apostolis Petrus dixerit: Domine ad quem ibimus: verba vitæ æternæ habes? Quod cõfirmat d Augustinus dicens. Durus sermo; sed duris: hoc est, incredibilis; sed incredulis. Sic ille. Iudæis ergo cùm synagoga & discipulis, durum non solùm pastu, sed etiam auditu, manducationem carnis suæ reputãtibus, habebat Domin⁹ nõ solùm occasionẽ, sed arduã necessitatem, ne propositione sua tot animæ perirent, eandẽ doctrinam suam ad aliquam si fieri posset figuram, vel locutionis improprietatem (vt aliâs facere solebat) reflectere. Sed horum nihil minùs facit. e Quinimo assertionem suam ab absurdo, & ad hominem (vt Logici dicunt) confirmat, dicens: Hoc vos nunc scãdalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem, vbi erat prius? Verba ista quãuis subobscura sunt, potentissimè tamen veritatem Eucharistiæ comprobant. Quæ trifariam exponi possunt. Primò ab exemplo, quod Apostoli postmodum ex manifestiori facto fuissent experturi. Quemadmodum Ioanis Capite primo, Nathanaël Christum confessus est filium Dei, quòd sese ante ipsam vocationem absentem sub ficu præuidisset: Respondit ei Iesus: f Maius his videbis: Amen amen dico vobis: Videbitis cælum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes super filium hominis. Quod propriè euenit circa ascensionem Domini, quando videntibus Apostolis eleuatus in cælũ, vtiq; cum præsentia & triumpho Angelorum, (vt g Psalmista describit) ab Angelis rursus descendentibus corripiebantur, vt filium Dei ascẽdentem in cælum non mirarentur, sed potiùs redeuntem ad iudicium expectarent.

a Christus in Synagoga, & ex professo doctrinã Eucharistiæ asseruit Ioan. 6. ver. 59

b Matt. 4. ver. 13 Et cap. 9. vers. 1 Lucæ 4. ver. 21 Psalm. 110 ver 4 Isaiæ 2. vers. 3

Cap. XVII.

c Doctrina Christi quibus dura, & quomodo veritate cõfirmata. Ioan. 6. ver. 60

d August. Serm. 2 de verbis Apost.

e Si videritis filiũ hominis ascẽdentem, vbi erat prius? quomodo intelligendum? Ioan: 6. ver. 61

f Prima expositio Ioan: 1. v. 49, 51 Actor. 1. v. 9, 11

g Psalm 23. v. 7

expectarent. Bifariam ergo ista expositio sensum præpositum confirmat: primò quòd sicut Christus visionem Nathanaëlis miraculosam quidem, sed adhuc in mortali corpore non adeò solennem, confirmauit suipsius glorificatione, & ad dexteram Dei Patris ascensione: ad eundem modum discipulis de veritate sumendæ carnis suæ dubitantibus, primò quidem ostenderit euidentissimis argumentis: sed idipsum maximè cõfirmaturus esset, quando corpus, quod manducandum promittebat, longè maiori potentia cælis ipsis inferebat. Aliud argumentum est ex sensu verborum Angelicorum. Si enim discipuli videbant quidem corpus Christi, sub specie mortali & sensibili: tamen illud ipsum corpus talis erat substantiæ, vt leues aëris regiones, & pugnantes elementorum qualitates, ipsos etiam sphærarũ cælestium omni adamente duriores orbes, penetrans, supra cælũ empyreum dexteram ipsam Dei Patris resumeret: & in eodem ipso corpore (quod declarat particula, Sic,) per easdem vias Dominus ad iudicandum sit rediturus: quid quæso impedit, vt in eodem corpore, quoties verba eius quæ vita & spiritus sunt, decernunt, in panis & vini speciebus consecratis præsentem se exhibeat? [a] Secundus sensus dari potest per argumentum à maiori ad minus, qui est B. Chrysostomi, Cyrilli Alexandrini, & quorundam aliorum. Quasi dicat Dominus: Si videritis filium hominis diuina sua virtute ascendentem vbi erat prius, hoc est, ad patris dexteram: tunc intelligetis eum, qui habuit potestatem carnem suam ad cælos inferendi, posse etiam eandem carnem suam dare ad manducandum. Vel vt B. [b] Augustinus, exponit, veluti diceret Dominus: Certè qui integer ascendere potuit, in partes distrahi & consumi minimè potuit. [c] Tertia expositio textui quoq; accommodatissima dari potest: Verbis istis Christum non tam docere, quàm reprehendere discipulorum incredulitatẽ. Si enim scandalum patiebantur, quòd illis carnem suam præsentem ac visibilem in cibum commendaret: magis scandalizandos esse, quando visuri essent eum in carne immortali & glorificata, ad dexteram Dei patris sese subtracturum. [d] Vbi profectò Capharnaismum præmonebat Christus, degeneraturum aliquando in præsentem Zuinglianismum seu Caluinismum: cùm ista secta præsentiam realem in Eucharistia, perneget ea potissimum ratione, quòd in symbolo profiteamur, Christum ad dexteram Dei consedisse, non nisi ad extremum iudicium rediturum. [e] Cæterùm cùm tota incredulitatis discipulorum illorum ratio, huic fundamento niteretur, quòd caro Christi vt apparebat homo, siue viua, siue mactata, impossibilis erat ad veram manducationem, multò minus sanguis ad bibitionem; & quidem

a Secunda expositio. Chryso: & Cyrill: super hunc locum.

b Augus: Ser: 2 de verbis Apostoli.

c Tertia expositio, modernis hæresibus accomodatissima.

d Capharnaismus in Zuinglianismũ degenerans.

e Caro Christi possibilis ad manducandum, quia spiritu diuino vegetata. Ioan. 6. vers. 63

Cap. xviii.

talem, quæ integro & illæso Christo, vitã æternã sumẽtibus attribu-
eret. Ideo Dominus ex sua doctrina exterminat eiusmodi (vt B. vo-
,, cat [a] Augustinus) flagitium, quãdo subijcit: Caro non prodest quic-
,, quã, spiritus est qui viuificat. [b] Quod non sic accipiẽdum est, (quod
tamen aliqui in controuersiam trahunt) quasi caro Christi diuinitati
hypostaticè vnita, quoquo modo nil prodesse possit: Sed Dominus
infirmitati errantium condescendens, assumit aptam similitudinem
ad corpus humanum, quod nisi spiritu vegetetur, cadauer à cadendo,
& ab inutili putredine, denominatur. E conuerso autem, quantò in
corpore vegetior est spiritus, tãtò etiã corpus, alioqui natura [u] graue,
& animam aggrauans, redditur magis agile, & spiritui magis quàm
corpori simile. Et sic secundùm [c] Augustinũ: Caro nõ prodest quic-
quam, sed sola caro. Accedat spiritus ad carnem, quomodo accedit
charitas, ad scientiã: & prodest plurimùm. Nam si caro nihil prodes-
set, verbum caro non fieret, vt inhabitaret in nobis. Hæc ille. Et vide-
tur esse allusio ad illud, quod Deus per Prophetam proclamari iu-
bet: [d] Omnis caro fœnum, & omnis gloria quasi flos agri: cecidit
,, flos, quia spiritus Domini sufflauit in eo. Verè fœnum est populus:
,, exsiccatum est fœnum, & cecidit flos: verbum autem Domini no-
,, stri manet in æternum. Cui correspondent verba illa Apostoli: Fa-
,, ctus est primus homo terrenus, (Adam) in animam viuentem: fa-
,, ctus est secũdus homo cælestis Christus, in animã viuificantẽ. Quem-
,, admodum enim nisi Verbum ęternum filius Dei, qui spiritus est, per
incarnationem suam, naturam humanam vegetasset ad nouam rege-
nerationem, & vitam spiritualem, natura humana ex decreto post
culpam lato, terra & cinis permansisset: Sic postea idem homo sic re-
natus, nisi in ardua vitæ istius peregrinatione, laboribus, & dæmonis
impetitionibus, alimento sibi secundum interiorem hominem con-
gruenti, hoc est, eodem viuifico Christi corpore & sanguine sustẽta-
retur, & simul isto cibo semẽtinam immortalitatis in se reciperet, ne-
quaquam cursum immortalitatis emetiri potuisset. Et hoc sensu ad
certitudinem istius mysterij, verè caro (si ipsius naturalem infirmita-
tem respicias) non prodest quicquã, sed spiritus vtiq; diuinus: qui si ex
nihilo omnia produxit, potuit sic producta immutare: qui hominem
culpa emortuum regenerauit, potuit proportionato regenerationi
alimẽto, opposito ei per quod concidisset, eum ad statũ imortalitatis
,, deducere. [e] Ideo Augustinus verba ista (verba vitæ æternæ habes)
sic commentatur: Vitam enim æternam habes in administratione
corporis & sanguinis tui. Et istam declarationem Domini, secundùm
Chrysostomum, intellixit & suscepit Petrus in persona aliorũ Apo-

a August: de doctrina Christiana lib. 3. Cap. 16

b Caro quomodo non prodest quicquam.

u Sap. 9. ver. 15

c August: Tract: 27. in Ioannem,

d Isaiæ 40. ver. 6

e Aug: Tract: 27 in Ioannem.

stolorum, excepto Iuda. Cùm enim Iesus illis dixisset: Nunquid & vos vultis abire? nomine omnium (vt solebat) respondit Petrus: Ad [a] quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Quæ responsio approbat sententiam Christi, quando dicebat: Verba quæ ego loquor vobis, spiritus & vita sunt. Quod sic exponit S. Basilius: perinde acsi diceret Dominus: Corpus meum quod ostenditur, & datur pro mundo in cibum dabitur, vt spiritualiter (intellige sacramentaliter) cuiq; tribuatur: & fiat singulis tutamen perseueratioq; ad resurrectionem vitæ æternæ. Hæc ille. Iste sensus potest etiam latiùs expendi in hunc modum, quasi diceret Dominus: In tota doctrina mea, & miraculis, satis ostendi, quòd apud me qui Deus sum, non est impossibile omne verbum. Idipsum magis in ista memoria mirabiliū meorum præstare intendo. [b] Quod autem tanta potentia mea & bonitas in aliquibus euacuatur, facit obstinata infidelitas: quia (subinfert Euangelista) sunt aliqui qui non credunt. Super quæ verba appositè S. Augustinus: Non dixit: Sunt aliqui ex vobis, qui non intelligūt. Sed causam dixit: quare non intelligant, quia non credunt. Ideo enim non intelligunt, quia non credunt. Propheta enim dixit: Nisi credideritis, non intelligetis. Per fidem copulamur, per intellectum viuificamur. Prius hæreamus per fidem, vt sit quod viuificetur per intellectum. Nam qui non hæret, resistit: qui resistit, non credit. Nam qui resistit: quomodo viuificatur? Sic ille. Quam resistentiam seu obstinationem, sicut superiùs in Iudæis, sic modò in exemplo singulari Iudæ, refert ad occultam reprobationem, qui sicut Christum pecunia prodebat, sic in voluntate sua peruersa, voluntatem quoq; diuinæ reprobationis immutabilis, in se ipso manifestabat. [c] Propterea in cæna, in eius reprobationis quasi contestationē, dicitur post acceptā buccellam, Sathanas in illum introiuisse: & mox dicente Domino, Quod facis, fac citiùs, ad consummandam traditionem exiuisse: ita hoc loco de illo sic demum Dominus pronuntiat: [d] Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est? [e] Ex quibus verbis etiā colligere licet, fidem istius sacramenti, sicut illam de diuinitate Christi à Petro prolatam, nō fuisse ex reuelatione carnis & sanguinis, hoc est, non ex humanæ sensualitatis ratiunculis: sed ex reuelatione cælesti ipsius Dei patris, qui sicut superbis resistit eosq; indurat, sic humiles illuminando, per synceram fidem, trahit ad filij sui non solùm sequelam, sed arctissimam quoq; per istud Sacramentum vnionem. E conuerso autem sensualis curiositas & infidelitas ex diabolo est. [f] Et quidem, si in Petro dignitatem magistri in scandalo passionis præcauere, cui dictum esset: Abi post me Sathana: obstaculo enim mihi es, nec

[a] Verba Christi spiritus & vita, quomodo sunt. Ioan. 6. ver. 63. Chrysost: homel: 46. in Ioannem. Basilius Regula 21. Cap. 2

[b] Incredulitas & obstinatio reprobationis diuinæ signum, & in homine causa, exēplo Iudæ. Ioan. 6. ver. 69. August. Tract. 27 in Ioannem.

[c] Ioan. 13. ver. 27

[d] Ioan. 6. ver. 70

[e] Fides Eucharistia à Deo, incredulitas à diabolo ad ruinam. Matth. 16. ver. 18

Cap. XIX.

[f] Iudas cur appellatus diabolus, nō sathanas, vt Petrus. Ioan. 6 vers. 70. Matth. 16. ver. 23

nec sapis quæ Dei sunt: magis in Iuda auaritiam & proditionem suam hæresi aggrauante: qui propterea non Sathanas ex causa tentationis, sed diabolus ex causa reprobationis, appellatus fuerit. Quod etiam in nostri temporis hæreticis cernere est, qui maximo isto de Eucharistia articulo, adeò scandalizantur & peruertuntur: vt sicut Capharnaitæ, & aliqui discipuli ab ipso Domino, sic illi ab Ecclesia eius Sponsa discedendi, maximam occasionem accipere soleant. Quod B. [a] Augustinus ex hac ipsa Christi doctrina egregiè monet, sic scribens: Spiritus est qui viuificat, caro autem non prodest quicquam. Sicut illi intellexerunt carnem, non sic ego do ad manducandū carnem meam. Proinde, Verba, inquit, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Diximus enim fratres, hoc Dominum commendasse in manducatione carnis suæ, & potatione sanguinis sui: vt in illo maneamus, & ipse in nobis. Manemus autem in illo, cùm sumus membra eius: manet autem ipse in nobis, cùm sumus templum eius. Vt autem simus membra eius, vnitas nos compaginat. Vt cōpaginet vnitas, quid facit nisi charitas? Et charitas Dei vnde? Apostolum interroga. [b] Charitas, inquit, Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Ergo spiritus est qui viuificat: spiritus enim facit viua membra. Nec viua membra spiritus facit, nisi quæ in corpore quod vegetat ipse spiritus, inuenerit. Nam spiritus qui est in te, ô homo, quo constas vt homo sis, nunquid viuificat membrum quod separatum inuenerit à carne tua? Spiritum tuum dico animam tuam. Anima tua non viuificat, nisi membra quæ sunt in carne tua: vnum si tollas, iam non viuificatur ex anima tua, quia vnitati corporis tui non copulatur. Hæc dicuntur vt amemus vnitatem, & timeamus separationem. Nihil enim sic debet formidare Christianus, quàm separari à corpore Christi. Si enim separatur à corpore Christi, non est membrum eius: Si non est membrum eius, non vegetatur spiritu eius. Quisquis autem, [c] inquit Apostolus, spiritum Christi non habet, hic non est eius. Hactenus Augustinus. Nos verò, charissimi, adhæreamus illi, qui verba vitæ in tantum habet, vt ipse & verbum, & vita æterna cum sit, quæcunq; loquitur & promittit, præstare & possit & velit, in hoc præcipuè opere, sine quo vita, & salus nostra subsistere non potest. [d] Hæc habuimus quæ post largissimas sacrorum Patrum, & doctissimorum Theologorum messes, cum paupercula & solitaria Ruth, ex reliquis agri istius Dominici alioqui vberrimi, spicis recolligeremus. Quæ si minùs literalia cuipiam videbuntur, arguat potiùs hæreticorum, & aliquorum Catholicorū nimis spiritualia tam clarorum Domini verborum

[a] August: Tract. 27. in Ioannem.

[b] Roman: 5. v. 5

[c] Roman: 8. v. 9

[d] Epilogus istius expositionis cū excusatione Autoris. Ruth. 2. v. 8, 16

a Sensus spiritualis nimii sectatores arguuntur. Tertulliã. lib. de carne Christi, Cap. 1. & 13.

borum commenta. a Quibus accommodari potest illud Tertulliani
contra Marcionem : Carnis veritas quæritur, & eius qualitas retra-
ctatur. Et rursus : Peruersissimum (inquit ille) est, vt carnem nomi-
nantes, animam intelligamus, & animam significantes, carnem in-
terpretemur. Omnia periclitabũtur aliter accipi quàm sunt, & amit-
tere quod sunt, dum aliter accipiuntur, si aliter quàm sunt cognomi-
nantur. b Fides nominum, salus est proprietatum. Hæc ille. Quibus,
si adhuc institerint, sic cum c S. Basilio, alioqui spiritu flagrantissimo,
responsum esto. Noui leges Allegoriarum : & si non â me inuentas,
ab alijs tamen elaboratas teneo. Nam qui non acceptant Sententias
scripturæ communes, ij non aquam vt aquam (sic ad propositũ, car-
nẽ nõ carnẽ) accipiunt, sed etiam quandam naturã inquiunt esse: pi-
scem ad id quod ipsis videtur, sua permutant interpretatione. Repti-
lium quoq; ortum atq; ferarum, ad suas sententias deflectentes, inter-
pretantur, perinde vt somniorum interpretes, qui ad id respicientes
quod sibi proposuerunt, eorum quæ secundũ quietem visa sunt, in-
terpretationes afferre solent. Ego verò cùm fœnum audio, fœnũ in-
telligo, & stirpem, & piscem, & feram, & iumentum: omnia vti dicta
sunt, ita accipio. Non enim me pudet Euangelij. Vbi in vltimis ver-
bis Basilius allegorias legi vmbraticæ parciùs, luci Euangelicæ par-
cissimè, (nisi aliter fieri possit) conuenire censet. Atq; istæ antiquissi-
morum Doctorum regulæ, sint nobis veluti parasceues quædam ad
sequentem tractatum ipsius institutionis huius Sacramenti. Quem
quia in doctrina de Sacrificio ex tota Euangelicæ historiæ serie expli-
cuimus, breuiùs hoc loco nobis erit expediendus.

b Fides nominũ, salus est proprietatum.

c Basil. homel. 9 Exameron.

d Institutionis Eucharistiæ cum promissione cõuenientia.

e Prima ratio, ex obseruatione tẽporis Paschalis. Ioan. 6. vers. 4 Capit. 13. ver. 1

f Secunda ratio, ex apparatu purificatorio. Ioan. 6. v. 1, 17. &c. Matth. 14. ver. 25

d Principium autem istius argumenti, sit superioris Christi pro- Cap. XX.
missionis cum ipsa institutione conuenientia, quæ ex sequentibus se-
se prodit rationibus. e Prima desumitur ex circumstantia temporis:
quando idem sacer Euangelista, vtriusq; actus notat diligenter tem-
pus instititisse Paschale : quod tamen Dominus ad istud mysterium in-
stituendum, se desiderio desiderasse protestatur. f Secunda ratio : si-
cut cœnæ Dominicæ, in qua sacramentum hoc erat institutum, præ-
missum erat Symbolum, vas aquæ plenum, ad denotandam vtiq;
munditiem baptismi vel pœnitentiæ, quæ communionem huius sa-
cramenti præcedere debet : sic nescio an aliquo alio respectu sacer E-
uangelista, adeò exactè & prolixè enarrat aliquot trãsitus maris, quos
primò quidem ipse Dominus ante miraculum satiationis quinq; pa-
nibus, deinde post factum miraculum, ipse quidem aquas inambu-
lans, discipuli verò sequentes magistrum, postremò ipsæ turbæ requi-
rentes Dominum, ante istam de cibo cælesti disceptationem, fecisse
memo-

memorantur. Dici enim potest, quòd illa tam sedula & aliâs insoli-
ta traiectionis vndarum inculcatio, incredulis quidem baptismi, cre-
dentibus autem pœnitentiæ, apparatum, ad illam escam cælestem
præsignabat. a Tertiò : cùm satiatio illa in panibus simul & piscibus
facta fuisset, tamen pisces non recensentur in miraculo, sed tantùm
panes, ex quibus duodecim cophini recollecti, miraculum confir-
mant & concludunt. Quod non obscuram cum cæna Domini re-
fert conformitatem : in qua cùm varia fercula apponerentur, in solo
pane, & (quod cibum consequi solet) poculo, mysterium cibi cæle-
stis Dominus cõsecrasset. b Quartò : in cæna illa cùm cælestis magi-
ster pro sua exinanitione, quam in passione esset completurus, propo-
suisset doctrinam, & exemplum proprium humilitatis in pedum di-
scipulorum ablutione : doctrina illa Apostolis adhuc carnalibus mo-
uit contentionem de seculari præcedentia. Ad eũdem modum, dum
Christus tradidisset doctrinam de futuro cibo proprij corporis sui, &
exemplum adduxisset suiipsius, qui veriùs quàm Moyses panem de
cælo sese exhiberet : tanta doctrinæ istius euidentia, cessit auditoribus
illis in quæstionem, & inuicem litigationem, immò aliquorum etiã
à fide Christi apostasiam. c Quinto : sicut circa istam Eucharistiæ
promissionem, incredulitatis auditorum, sic circa eiusdem institutio-
nem, obstinationis Iudæ, prodit Dominus altissimam causam, ex vo-
luntaria malitia, diuinam ineuitabilem reprobationem : quæ effecit,
vt, secundùm Apostolum, sicut discipulis electis doctrina illa de Eu-
charistia quamuis dura, & contentio de primatu quamuis periculo-
sa, in bonum, & ad fidei erga magistrum confirmationem, coopera-
rentur : sic è conuerso, simili doctrina, Capharnaitæ & Iudas cũ qui-
busdam condiscipulis, tanquam reprobi in peius proficerent ad pro-
priam damnationem. Quamdiu enim (inquit d B. Cyprianus) cibi
illi qui ad diem festum erant parati, â conuescentibus Apostolis sume-
bantur, veteris Paschæ agebatur memoria, nec dum Iudas ad veterẽ
vitam pertinens, diabolo inuadente & occupante animum eius egre-
di cogebatur : sed vbi sacrum cibum mens perfida tetigit, & scelera-
tum os panis sanctificatus intrauit, parricidialis animus vim tanti sa-
cramenti non sustinens, quasi palea de area exsufflatus est, & præceps
cucurrit ad proditionem & precium, ad desperationem & laqueum.
Hæc ille. e Sextò : eiusmodi reprobationis, Iudas in his priorib9 verbis
â Domino recipit iudicium : circa cœnam autem eiusdem sentẽtiæ re-
portat non solùm iudicium, sed exinde proprium quoq; in corpore
exitium. Hîc exhibetur veritatis & fidelis ac salutaris doctrinæ ca-
lumniator ; ibi etiam magistri ipsius proditor & venditor. Hîc exi-
stit

a Teria ratio, ex cibi ipsius substantia.

b Quarta ratio, ex similitudine contentionis discipulorum. Lucæ 22. ver. 24 Ioan. 6. v. 52, 61

c Quinta ratio, ex electorũ indoctrina Christi cõfirmatione, & reproborum condemnatione. Rom. 8. ver, 28 2 Timot, 3, v, 13

d Cypr. Serm: de cœna Domini.

e Sexta ratio : ex perfidiæ Iudę cõparatione.

stit dux à Christo eiusq; fide recedentium: ibi abiens, efficitur dux Christũ cõprehendẽtium & crucifigentium. [a] Septimò: circa vltimam cœnam prædicit Dominus scandalum, ex imminente comprehensione sua, propter quod omnes per fugam eum essent de relicturi; Petro pro se plusquàm pro aliјs promittente. Hîc explorat Dominus, an & ipsi, sicut Iudas & Capharnaitæ, doctrina sua scandalizati, velint ab eo abire? Petro pro se & omnibus, fidei stabilitatem, & perseuerandi cum Christo constantiam promittente.

a Septima ratio: ex Apostolorum erga Magistrum affectione.

[b] Istis pro apparatu quodam futuræ explanationis sic prælibatis: iam ipsa institutionis verba, adiuuante eorum autore, aggrediamur. Pro fundamento ponendum est, Christum absoluta cæna tam legali quàm communi, soleniter ante futurum actum, præmonuisse discipulos; quòd per totum conuersationis cum illis tempus, desiderio desiderabat, id est, summa & præcipua intentione & affectu, manducare hoc Pascha cum illis: non ordinarium, quod singulis annis & tunc iam exegisset: sed hoc quod mox inchoare & instituere incipiebat. Cùm autem Pascha nouæ legis, [c] secundùm Apostolum, propriè sit Christus; sequitur in cœna quàm apparabat, non quid aliud se propositurum, quàm seipsum, qui & veluti innocens agnus pro nobis postridie sanguinem profunderet, & seipsum nobis absq; sui confractione (vt Euangelista probat) in cibum & potum traderet. Quicquid ergo illud futurum est, quod nobis Dominus in talem cibũ & potum commendabit, ille ipse sine vlla dubitatione existet. [d] Ad præstandam igitur Dominus istam vtramq; promissionem suam, adhibuit duplex, quod non typo, sed re ipsa gerebat, sacerdotium. Cùm enim à vespera inchoando, diem totum currẽtem, Paschati suo indixisset: (vt suo loco ostendimus) postridie quidem obeundo & consumando sacerdotium iuxta ordinem Aaron, seipsum in proprio, non in animalium sanguine, Deo Patri obtulit holocaustũ in redemptionem nostram: vt supra quoq; fusè ex doctrina Apostoli docuimus. Et sic sacrificia illa cruenta, ab initio mundi typica, sicut & sacerdotium ipsum, vero proprio corpore & sanguine suo compleuit & cõsumauit, illa dulcissima vltima voce sua: [e] Cõsumatum est. [f] Cæterùm restabat alterum, Paschæ illius solennis, atq; in æternum consecrati, mysterium ac præceptum, & quidem duplex: vnum, vt memoria & gratiarum actio illius transitus seu liberationis per sanguinem in perpetuum conseruaretur, mactatione & oblatione agni, cuius sanguis, eam sanguinis profusionem quæ ex Aegypto liberabat, repræsentaret: alterum, vt agnus ipse infractus quidem ac integer, ab iјs qui sic liberati essent, in certum & sempiternum fœdus comederetur.

Cap. XXI.

b Pascha, hoc est, seipsum desiderabat Christus mãducare cum suis discipulis ante mortem suam. Lucæ 22. ver. 15

c 1 Cor. 5. ver. 8

d Pascha suũ perfecit Christ9 duplici sacrificio cruento & incruento. Vide supra Serm: 8. Cap. 16.

e Ioan 19. ver. 30

f Sacerdotii Christi æterni secũdũ ordinem Melchisedech vsus duplex. Exodi 6. ver. 6. 46 Gen: 14. ver. 18 Psalm. 109. ver. 5 Hebr. 7. vers. 1

tur. Vtrumq; istud præstitit Dominus per alterum sacerdotium, & quidem æternum, & nouæ legi proprium, secundùm ordinem Melchisedech, quod in pane & vino fuisse institutum, ipsa historia sacra, prophetia Dauidis, & expositio ex professo B. Pauli, conuincunt: vt superiùs suo loco satis disseruimus. Videamus ergo, quomodo Dominus Iesus in vltima cœna vtrumq; istud, & exegit ipse, & suis ministris perpetuò exequi mandauerit. [a] Consentiunt enim Euangelistæ, & S. Paulus: quòd Dominus postquam cœnæ accubuisset, manducantibus Apostolis, accepit panem, & gratias egit, & benedicens fregit, deditq; discipulis suis, & ait: Accipite, comedite: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem accipiens, postquam cœnauit dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic enim est sanguis (vel calix) noui testamenti in meo sanguine, qui pro vobis & pro multis effundetur, in remissionẽ peccatorum. Ista verba sunt vltimi testamenti Christi, vt ipsa per se sonant: sunt etiam simul institutoria sacramenti, & quidem maximi, quod saniores aduersariј non diffitentur. [b] Iam verò prouidẽtia non solùm diuina quę omnia prospicit, sed etiam humana quæ incerta & fallax est, id vnicè studet, vt testamenta seu vltimæ voluntates, maximè autem quæ pacta & fœdera constituunt, quam proprijssimis & clarissimis verbis consignentur. Eadem prorsus eoq; maior sacramentorum instituendorũ ratio est, vt tam signum sensibile, quàm res interior signata, proprijs terminis, explicetur. Quod etiam maximè congruit rationi temporis: Homines enim testamenta conficientes, aut languidi sunt, aut validi. Si languidi, plerunq; titubante ratione, & distracta voluntate, res relictas perfectè disponere non possunt. In Christum autem nil tale cadere potuit, qui dixisset: Habeo [c] potestatem animam ponendi, & rursum sumendi eam: nemo tollit eam à me. Oblatus enim est (inquit Propheta) quia ipse voluit. Rursus si homines sunt ætate vel sanitate firmiori, res suas testamentis ita disponunt, vt aliqua meliùs sibi ordinanda relinquãt: Ad eundem modum Christus, sicut cœnæ suæ, sic aliorum sacramẽtorum ordinem, Apostolis suis per Spiritum suum edocendis, tanquã æternus sacerdos reliquit: cæterùm ipsam eorum institutionem & formam, clarè atq; plenissimè ipse perfecit & reliquit. Propterea certum & breue mortis suæ voluntariæ tempus discipulis prædixit: pręmonens, [d] quòd iam non multa propterea cum illis loqui posset, sed instare tempus, quando iam non in prouerbiјs cum illis fuisset locuturus. Quod tempus inchoare se professus est, quando iam non esset cum illis, sed iter ad patrem per suam oblationem institueret, quàm in

a Verba institutionis & consecrationis Eucharistiæ, eorúmq; expositionis apparatus. Matth. 26. ver. 20 Marci 14. ver. 22 Lucæ 22. ver. 19 1 Cor. 11. ver. 24

b Testamenti, pacti, fœderis, & sacramenti, clara et firma à Christo institutio.

c Ioan. 10. ver. 18 Isaiæ 53. ver. 7

d Ioan. 16. v. 4. 25 Matth. 26. ver. 38

in vltima cœna tristis existens vsq; ad mortem inchoasset. Propterea discipuli in consequentibus cœnam illam doctrinis, dicebant illi: Ecce [a] nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis: nunc scimus quia scis omnia, & nõ opus est tibi, vt quis te interrogaret. In hoc credim⁹ quia à Deo existi. Hæc ibi. [b] Igitur & nos inuertẽdo argumentum, scientes & confitentes Christum à Deo tanquam verum Deum, de Deo verò exisse, non interrogando illum tanquam omnia scientẽ, audiam⁹ nobis sine vllo prouerbio loquentẽ. Recedat (inquit Eusebi⁹ Emessen⁹) omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui autor est muneris, etiam est testis veritatis. Hæc ille. [c] Primò igitur audiamus, & vt sonat intelligamus. Mãducãtibus Apostolis accepisse Iesum panẽ: panẽ intelligimus quidẽ naturalẽ & elemẽtarẽ, probabili⁹ tamẽ iuxta sensũ Ecclesiæ Occidẽtalis, panẽ azimũ, eò quod Iudęis per illos dies à fermẽtato lex interdiceret, & Apostolus, Pascha nouæ legis in azimis cõmẽdet. Nõ negat tamẽ Ecclesia cõfici posse Sacramẽtũ in fermẽtato pane, cùm nõ substantia, sed tantùm qualitate ab azimo differat. Intelligim⁹ etiã panẽ illũ accepisse Dominũ, nõ ad cõmunẽ vsum: cùm cœna & legalis & cõmunis refectionẽ corporalẽ præstitisset: accepisse igitur ad aliquod mysteriũ peragendũ. [d] Propterea sequitur, Dominum accepto, pane gratias egisse: non gratiarum actione, quam Dominum in præterita cœna omisisse credendum non est: intelligimus potiùs fuisse apparatum quendam aduocationis cælestis, seu diuinæ virtutis, ad futurum miraculum exhibendũ; quam virtutem quamuis Dominus in seipso per plenitudinem diuinitatis inhabitantis contineret: seruata tamen lege propriæ exinanitionis, eam veluti cælitus à Deo aduocaret. Ecclesiæ autem traditio in Canone Missæ habet, eam gratiarum actionem Dominum fecisse oculis in cælum eleuatis: quandoquidem paulò post, idipsum fecisse memoratur [e] in illa multiplicatione quinq; panum, quos præsignationem quandam Eucharistiæ fuisse diximus. [f] Similiter & ante miraculum suscitati Lazari: vbi hæc leguntur verba: Iesus eleuatis oculis in cælum, dixit: Pater, Gratias tibi ago, quoniam audisti me. Ego autem sciebam, quia semper me audis: sed propter populũ circumstantem dixi, vt credat quia tu me misisti. Hæc ibi. Dicimus ergo: Quemadmodum filius Dei potuisset sine ista oculorum eleuatione, gratiarum actione, & aliqua cærimonia externa, Lazarum iam fœtentem viuificare: sed eam adhibuit propter fidem & necessitatem discipulorum, & aliorum miraculi illius spectatorum: Eodem modo potuisset panem acceptum, solo verbo vel intentione, corpus suum efficere; sed voluit præmittere gratiarum actionem, benedictionem,

&c certam

a Ioan. 16. ver. 29

b Christi verba maximè testamẽti & sacramenti simpliciter intelligenda.

Cap. XXII

Euseb: Emessen⁹ hom: 5. de Pascha

c Materia corporis Christi panis, & quidem asymus.

Exodi 12. v. 8, 15

1 Cor. 5. ver. 7, 9

d Eleuatio oculorum ante consecrationem, & gratiarum actio, quid signat.

e Lucæ 9. ver. 16

f Ioan. 11. ver. 41

& certam verborum formam, propter discipulos, & eorũ in fide successores: Primò vt fidentiùs crederent, Christum, non humano quidẽ actu, sed diuina cum Patre communi virtute, ista sacramenta fuisse operatum: deinde vt tanquam homines sensibiles, per externa signa res diuinas latentes, faciliùs comprehenderent. [a] Eo proposito addunt aliqui Euangelistæ, Dominum supra illum panem gratias egisse, & eum benedixisse. Quæ quamuis idem significare videãtur, cùm Euangelistæ illis indifferenter vtantur: vt etiam obseruauit [b] Cyrillus: Quia tamen gratiarum actio, circa simplicem cibum solet esse scripturæ vsitata & familiaris: benedictionem autem Apostolus, cõsecrationem vocet, dicens: [c] Calix benedixionis cui benedicimus, nõne comunicatio corporis Christi est? possumus hoc loco, gratiarũ actionem Christi, referre ad illam, de qua diximus, quatenus homo erat, supernam inuocationem: benedictionem autem, ad ipsam propriẽ diuinitatis virtutem & operationem, quam benedictionem panis in carnem suam immutatio mox fuerit subsecuta. [d] Vnde Clemẽs Romanus in Liturgia Apostolica, quam supra suo loco recensuimus, loco gratiarum actionis vel benedictionis, dicit: quòd Dominus calicẽ ex vino & aqua mixtum, sanctificauit, deditq; discipulis suis. Sic etiã mos est antiquis Doctoribus, præsertim B. Cypriano, Eucharistiam panem sanctificatum appellare. Et verba quæ modò in Canone nabentur, sic citat: Vsq; hodie (Christus) hoc veracissimum & sanctissimum corpus suum, creat, sanctificat, benedicit, & piè summentibus diuidit. Sic ille. Quod enim Theologi dicunt, consecrationem fieri verbis Christi subsequentibus: [e] Hoc est enim corpus meum: verissimum est, quando sacerdotes non propria, sed Christi virtute consecrãt, quam vtiq; virtutem ex eius verbis, promanere necesse est. Sed Christus adimplens typum sacerdotij Melchisedech, postquã protulisset panẽ & vinũ, præcedenti gratiarũ actione & benedictione, mysterium consummauit. Alioqui corrueret tota institutionis & ipsius consecrationis ratio, atq; proprietas. [f] Primò enim sequitur, Christum mox illud cui benedixerat, fregisse: quod nullo modo de pane intelligendum est, sed de corpore Christi: cuius sub specie panis fractio, designabat passionem Christi & mortem, secundùm quam, licet non in corpore, sed in anima, qua à corpore diuidebatur, fractionem præseferebat. Deinde quòd fractio illa denotabat fidelibus distributionem & comunionem, veri quidem agni, & per passionem & mortem fracti, vel (vt [g] Apocalypsis habet) quasi occisi, secundum substantiam tamen suam nequaquam diuisi. Eoq; mysterio, sicut in vulgato textu habetur: Qui (calix) pro vobis effunditur in remissionẽ

Ppp 2 peccatorum:

Cap. xxiii.

a Gratiarũ actionis & benedictionis Eucharistiæ mysterium

b Cyrill Alexãdr. in Ioã. lib. 3. C. 13

Cypr: Serm: de Cœna Domini.

c 1 Cor. 10. ver. 16

d Clemẽs in Liturgia. Supra sermon: 10. Cap. 2

e Formam consecrandi Christus instituit & pronũciauit, sed nõ ipse adhibuit.

f Fractio Eucharistiæ, & ipsius Chisti, qualis?

g Apoc. 5. ver. 6

peccatorum : ad eundem modum Ecclesia Græca supplet : Hoc est
corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorū:
quod ipsum etiam habet Liturgia B. Iacobi, ex Apostolica sine dubio

a Verborum consecrationis sensꝰ expenditur.

traditione. a Et omnino si quemadmodum tropos, sic etiam hyper-
bata, & confusas recapitulationes, in verbis clarissimis deuitare vo-
lumus, ipsa verborum series eam intelligentiam necessariò exigit.
Quod etiam ex verbis de calice apud Marcum apertissimè conuinci-

b Marci 14. ve. 16

tur, quādo ante verba quæ modò sunt consecrationis, dicitur : b Ac-
cepto calice, gratias agens, dedit eis : Et biberunt ex eo omnes. Id-
ipsum per singulos terminos verborum de pane euincitur. Statim
enim post fractionem, præcipitur Apostolis, vt accipiant & mandu-
cent. Quis autem dubitabit eos corpus Christi accepisse, & māducas-
se ? Deinde prima particula consecrationis verborum, (Hoc) siue ac-
cipiatur relatiuè, siue demonstratiuè : ad quid quæso erit referenda ?
Nequaquam ad panem cum hæreticis : cùm non dicat Dominus,
(Hic Panis) nec articulus Græcus pani, sed corpori Christi correspō-
det. Necessariò igitur iste primus conuersionis terminus, siue relati-
one, siue demonstratione, referri debet ad corpus. Atqui nōdum Do-
minus verba illa protulerat : Hoc est corpus meum: Ergo secundùm
illam opinionem nondum consecrato corpore, istud pronomen vel
ad panem, vel ad signum mox consecrandi corporis Christi, ad men-
tem Sacramentariorum esset referendum. Secundus istius propositi-
onis terminus, ad quem, est (corpus meum) Qui etiam nequaquam
erit verus, nisi dicamus, in priori actu, gratiarum actionis vel benedi-
ctionis consecrationem, præcessisse. Tertia particula (est) cōiungens
subiectum suo prædicato, non potest esse nisi eiusdem naturæ, propri-
etatis, & temporis : si figuratam locutionem prorsus (quod omninò
studemus) euadere conamur.

c Forma cōsecrationis Eucharistię accōmodatissima sacerdotibꝰ.

c Porrò quando sacerdotes eisdem verbis Eucharistiam confici-
unt, non potest ea esse difficultas : quia non suis verbis consecrant, Cap. xxiiii.
sed Christi, quæ cùm ab illo enuntiabantur, iam continebant non so-
lùm corpus Christi, sed ipsam virtutem deificam, toties quoties cum
intentione recta dicerentur super debita materia, conficiendi corpus
Christi : idq; per potestatem mox eidem formæ annexam : Hoc faci-
te in meam commemorationem. Quæ cùm sufficienter in Tractatu

d Particula, enim eur addita consecrationi.

sacrificij exposuerimus, non est, quòd modò ijs remoremur. d Isto
etiam, quem modò diximus, respectu, videtur Ecclesia huic formæ
de pane, exemplo posterioris de calice apud Matthæum, addidisse par-
ticulam rationalem, (enim) quasi asseuerando, præcedēte actu & vir-
tute Christi, ista verba per hominem quantumuis prolata, conuersio-
nis

nis tam stupendæ vigorem accepisse. a Porrò in hac consecrandi for-

a Institutionis Eucharistiæ & pœnitētiæ similitudo.

mula, vsus est Dominus eodem ferè modo & ordine, quo postmodū
sacramentum Pœnitentiæ instituisset, his verbis : Accipite Spiritum
sanctum : Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Nam & hoc

Ioan. 20. ver. 22

loco dicendo : Accipite, & manducate : Hoc est corpus meum : ex-
primit spiritus sui diuini virtutem, quæ ex pane corpus suum efficit.
b Omninò enim (inquit S. Cyrillus) quod attigerit Spiritus sanctus,

b Verborū Christi ad immutādas res virtus diuina. Cyrillus Ierosol: Catech. 5. Mistag:

hoc sanctificatur, & transmutatur : Deinde sequentibus verbis : Hoc
facite, &c. eandem vicissim potestatem per sua verba, Apostolis com-
municat. Alioqui enim simplicioris enuntiationis ordo postulabat,
sic dicere : Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur : hoc acci-
pite & manducate, facientes in mei cōmemorationem : Sed alio or-
dine vsus est, tum propter quod iam diximus mysterium : tum ne A-
postoli ex Capharnaitarum scandalo, horrerent vel dubitarent, si mā-
ducationis præcepto corpus suum præponeret, & non potiùs specie
panis manducationi apta, quasi per declarationem, veritatem corpo-
ris ingereret. c Quinetiam propter eandem causam, ipse prior Sacra-

c Christus in vltima cœna seipsum in sacramēto prægustauit. Hieron: quæst: 2 ad Hedibiam. Chrys: homel: 83 in Matthæum. Greg: Niss: Ora: 1 in diē 3. Paschæ. Cypr. lib. 2. Epist: 3. ad Cœcllium.

menta ista prægustauit : vt Hieronymus, Chrysostomus, Gregorius
Nyssenus, & Cyprianus asseuerant. Vt autem magis explicet modū
faciendi, hoc est, offerendi, sicut & ipse seipsum offerebat : idipsum ex
primere voluit, non solùm in forma per verbum, (Facite) quod obla-
tionem sonat, sed etiam ipsa rei oblatæ materia : quando subijcit se
exhibere corpus, quod pro illis tunc dabatur, frangebatur : qui ter-
mini passionem eius & mortem exprimunt. Quę cùm varietate tem-
poris præsentis, præteriti, & futuri enuntientur, ad mysterium sacer-
dotij æterni Christi id pertinere, suo loco docuimus. Ista igitur deter-
minatione, quod & quale corpus Dominus in Eucharistia daret, duo
intimantur : Primū veritas identica eius corporis, quod discipulis as-
sidebat : alterū, quia Dominꝰ ipse voluntariè seipsum dabat in obla-
tionē Patri, & quòd ipsum corpus & nō aliud erat tradendū ab Iuda,
& à tortoribꝰ affigēdū cruci, & veluti granum frumenti ad panē Eu-

d Isaiæ 53. vers. 5

charistiæ (vt d Isaias loquitur) atterendū. Cui institutioni apprimè cō-
uenit, quam supra explicuimus, promissio, quādo Dominus dicebat:

e Ioan: 6. vers. 51

Panis e quē ego dabo, caro mea est, pro mundi vita. Ita hìc quod e-
rat panis, & specie panem referebat, caro seu corpus Christi est, qui
pro nobis & multis (quod mūdum designare potest) traditur, ad re-
demptionem, nimirum morte Christi acquirendam. f Nescio igitur

f Tropus in verbis Eucharistiæ, ineptus & impiꝰ. Ioan: 1. vers. 6 2 Cor. 1. vers. 19

quid aduersarijs in mentem venerit, vt tanquam nodum (quod aiūt)
in scirpo, sic tropum, in certo, adeò malignè & contentiosè inquirāt :
quando Dominus veritas ipsa cùm sit, & secundùm Apostolum, cùm
sit

sit fidelis, nō est in ipso, nec fuit, est, & nō, adeò vt ad exprimēdā istā
veritatem, verba magis propria habere non potuerit. a Aut certè
(inquit B. Hilarius) qui verbum est, verbi significationem ignorauit,
& veritas loqui vera nesciuit: & qui sapientia est, in stultiloquio er-
rauit: & qui virtus est, ea fuit infirmitate, ne quæ loqui vellet, in-
telligi posset, (possumus nos addere) vel quæ stultis videntur impos-
sibilia, exequi. Hæc ille. b Propterea etiam tales (vt eos rectè quidā
vocauit) vmbratici, tanquam cœci Sodomitæ in meridie exitum
palpantes, tropos suos tanquam paruuli fluctuātes omni vento, scru-
tantur, nunc in subiecto, (Hoc) nunc in prædicato, (corpus meum)
nunc in copula (est:) sed verè defecerunt scrutantes scrutinio. Pro-
nomen enim (Hoc) siue demonstratiuè, siue relatiuè intelligatur,
non potest referri ad panem, vt tropum vmbraticum constituat.
Nam c & articulus Græcus nō genere fœminino ad panē, sed gene-
re neutrali, ad corpus illam referre cogit: deinde præcedentia & con
sequentia idipsum arguunt. Intentio enim Christi non erat, Apo-
stolos suos cibare pane cibario, qui satis in duplici cœna corporaliter
pasti fuissent. (vt Beatus attestatur Cyprianus) Sed desideriò deside-
rabat manducare cum illis Pascha illud, hoc est, seipsum, antequam
pateretur: Pascha enim nostrum (inquit Apostolus) immolatus est
Christus. Quod ipsa præcedentia verba cōuincunt: Pane enim ac-
cepto post benedictionem, non ampliùs Dominus dicit: Hic est pa-
nis meus: vel hic panis, est, vel significat, corpus meum: sed expres-
sè & realiter dicit: Hoc est corpus meum. Tertiò subiectum debet
vtiq; correspondere suo prædicato: quòd non figuram aliquam con
testatur Dominus, sed corpus suum, & quidem idipsum, quod pro
Apostolis tunc à Iuda tradebatur: & sic neque iste tertius terminus
istius propositionis, tropum admittere potest. Iam verò insensati
prorsus erunt aduersarij, si subiectum & suum prædicatum, quæ duo
realia & essentialia sunt, mystica & vmbratica copulatione coniūgere
velint: maximè quòd copula illa, non solùm sit cōiunctiua, sed sub-
stantiæ & essentiæ diuinæ ex pane mutatæ expressiua. d Dei enim
filio, non solùm vt verbum æternum est, conuenit illud: Ego sum
qui sum: sed etiam in assumpta humanitate de seipso testatur: Ego
sum α & ω, principium & finis: Dicit Dominus Deus qui est, & qui
erat, & qui venturus est omnipotens. Quemadmodum igitur B. Am
brosius, Arianis obijcientibus filio Dei, quòd erat, (hoc est, tempus)
quando non erat, sic respondet: Ioannem Euangelistā asserere, quòd
verbum in principio apud Deum, & Deus erat, erat, erat, erat, quater
repetendo; vbi ergo impius inuenit, quod non erat? Eodem modo

nos

a Ironia contra impietatem sacramentariorum.
Hilarius lib. 8. de Trinitate.
b Sacramentariorum vmbraticorū in tropo inquirēdo vacillatio.
Gitmundus lib. 3 de Eucharistia.
Genes. 19. ver. 11
Ephes. 4. ver. 14
Psalm. 63. vers. 7
c Forma Eucharistiæ à deprauatione hæreticorum vindicatur.
Lucæ 22. ver. 15
1 Cor. 5. vers 8
Cypriā: Serm. de Cœna Domin.
Cap. XXV.
d Christo, vt Deo est, cōuenit esse, vel essentia.
Exodi 3 vers. 14
Apocal. 1. ver. 8
Et cap. 4. vers. 8
Ambros: lib. 1. de fide. Cap. 5.
Ioan. 1. vers. 1

nos Sacramentarijs, veritatem Christi in sacramento negantibus,
respondere possumus: ipsum Dominum apud Euangelistas, & Pau-
lum, quater asserere: est, est, est, est. Vbi ergò impij inueniunt, quòd
non est? Si igitur schola ista parum sobria, non capit toties repetita
verba Christi: remittenda est illa discussione sua digna, quæ ad simi-
lem modum, in quodam monumento in finibus Italiæ reperiuntur
sic exculpta: Propter est, est, & est, dominus meus hîc est. a Si enim
ante omnem creaturam cùm nihil extitisset, ipse dixit, & omnia fa-
cta sunt: ita (ait B. Ambrosius) multò faciliùs ex eo, quod panis fuit,
quando ille dixit & mandauit, corpus eius factum & creatum est.
Alioqui videant aduersarij, quomodo sine resuscitatione antiquarum
hæresum, saluas reddent similes scripturæ propositiones, quando di-
cebat Adam de Eua vxore sua: b Hoc nūc caro est ex carne mea, &
os ex ossibus meis. Talis & illa est, à celesti aquila Ioane denuntiata:
Verbum caro factum est: & habitauit in nobis &c. Et quando Deus
Pater de cælo attestabatur: Hic est filius meus, in quo mihi benè com-
placui, ipsum audite. Similiter quando Petrus nomine omnium cre-
dentium profitebatur: Tu es Christus filius Dei viui. Nec dissimilia
sunt & illa: Ego & pater vnum sumus. Tres sunt qui testimoniū
dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum
sunt. Si, inquam, in verbis Eucharistiæ clarissimis, tropos admitte-
mus, quomodo vel vnus fidei nostræ articulus à calumnijs infideliū
& hæreticorum erit immunis? Quod sapienter præuidens B. Hila-
rius, ait: c Contingat planè verum non esse (corpus Christi in Eu-
charistia) ijs qui Christum verum Deum esse negant. Hæc ille. Quod
autem aduersarij adducunt aliquas Scripturæ sententias, quas tropicè
accipiendas, ipsa etiam catholica docet Ecclesia: Dico, si quæ ita in-
telligendæ sunt, nō continuò ad illarum sensum & exemplum aliæ,
quæ vero sensu nituntur, trahendæ sunt. d Vt autem vnum atq; al-
terum adducam: Primò ineptissimè obijciunt ex Exodo, quando di-
citur, e Agnus Phase, id est, transitus Domini est: cùm ista connexio
in textu nusquam habeatur: sed cur agnus ille festinanter esset co-
medendus, datur ratio, quia Phase Domini est, hoc est, transitus An-
geli ad primogenitorum Aegypti occisionem, à qua comedentes a-
gnum, præseruabantur. Eodem sensu inferiùs Phase, dicitur religio:
hoc est, solennitatem paschalem, esse memoriam transitus illius, qui
fiebat in Aegypto ad Israelitarum liberationem. Simili leuitate ad-
ducunt illud 1. Cor: 10. f Petra autem erat Christus. Nam Apostolus
ter ibidem inculcat, se loqui sensu mystico: Immò ipsa constructio
Græca aduersarios confutat, sic enim habet: ἔπινον γὰρ ἐκ πνευμα-
τικῆς

a Est, est, & est: panis & vini amatoribus quo mysterio excutiēdū.
Ambr: lib. 4. de Sacramētis Ca. 4
b Sententiæ fidei nostræ formæ Eucharisticæ similes
Gen: 2. ver. 23.
Ephes. 5. ver. 31
Ioan. 1. vers. 14
Matth. 3. ver. 17
Capit. 17. ver. 5
Et Cap. 16. ver. 16
Ioan. 10. ver. 30
1 Ioan. 5. ver. 7
c Hilarius lib. 8 de Trinitate.
d Tropi hæreticorum falsa scripturæ exempla.
e Phase Domini est: quomodo intelligendum.
Exodi 12. v. 11. 43
f Petra erat Christus, qd significatè
1 Cor. 10. ver. 4

τικῆς ἀκολουθούσης πέτρας: hoc est, Bibebant enim de spiritali sequente petra: Petra autem erat Christus. Ecce Christus petra, sed spiritualis: sicut ipsa bibitio, manducatio, & baptismus, erant spiritualia: quamuis propter res, quas praesignabant in communi fide, idem similis baptismus, & eadem esca & potus esse dicatur: quo vtiq; sacramentorum nouae legis proprietas insinuatur. Adducunt & alia, non solùm eodem sensu spiritualia, sed merè parabolica: quae cùm à Catholicis sufficientissimè fuerint confutata, aduersarios a exemplo ipsius Magistri nostri, cum plebecula vili, in suis parabolis relinquentes, ad nostra seria progrediamur. b Ex institutione verborū corporis Christi, dependet intelligentia verborum de calice, breuiter nobis expedienda, quae ex tribus Euangelistis, & Paulo sic habet: Postquam coenauit Iesus, accepit calicē, & gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: & biberunt ex illo omnes. Hic est enim sanguis meus noui testamenti: hic est calix noui testamenti, nouum testamentum, in meo sanguine, qui pro vobis effundetur, funditur, in remissionem peccatorum. Quae verba antequam expendamus, notandum est. c Primò: quando Dominus praemittit doctrinam & promissionem de hoc sacramento, quam supra explicuimus, illud quod promittebat, vocare carnem suā & sanguinē suū, panē, & escā seu cibum caelestem: isti enim termini conuenientes sunt ad humanam manducationem & bibitionem, exindeq; ad Eucharistiae vsum, quem ibi promittebat & commendabat: declarando tamen in ijs, seipsum verè mādùcari & bibi. Iam verò in verbis institutionis, nulla vtitur ex superioribus denominatione: Sed sacramentum istud vocat corpus suum: quòd nimirum ex carne, sanguine, & vita constans, aptum sit, primò immolari, deinde in cibum & potum cōmunicari. d Similiter etiam alterum sacramenti subiectum, vocat quidē sanguinē, sicut in promissione illa nominabat: sed sanguinē testamēti noui, vt describūt Matthaeus & Marcus: & calicē nouū testamētū in suo sanguine, vt habēt S. Lucas & Paulus Apostolus: eūq; sanguinem seu calicē, esse effundēdum pro multis in remissionē peccatorū. Quo genere loquendi Saluator, reducendo typum in veritatem, expressit & perfecit formulam testamenti seu pacti per sanguinem veteris legis. Quod Apostolus idem nouum testamētum comprobans, sic describit: e Ideo (Christus) noui testamēti mediator est: vt morte intercedente, in redemptionem earum praeuaricationum, quae erāt sub priori testamento, repromissionem accipiāt, qui vocati sunt, aeternae haereditatis. Vbi enim testamentum est, mors necesse est vt intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est.

a Marci 4. v. 11, 33

b Verba institutionis vel consecrationis calicis. Matth. 26. ver 27 Marci 14. ver. 23 Lucae 22. vers. 20 1 Cor. 11. ver. 25

Cap. xxvi.

c Christus cur hic vocet corpus suū non carnem, panem, vel cibū, vt in promissione?

d Sanguinem suū simpliciter Christus promittit, in institutione ad testamētū reuocat.

e Testamentum veteris legis, in noua perfecit Christus. Hebr. 9. vers. 15

Alioqui nondum valet, cùm viuit qui testatus est. Vnde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est. Lecto enim omni mandato legis à Moyse vniuerso populo: accipiens sanguinem vitulorum & hircorum, ipsum quoq; librum, & omnem populum aspersit, dicens: Hic a sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Deus. Secundò notandum est. b Calicem in scriptura, materialiter quidem sumi pro vase ipso bibitioni destinato: metonymicè autem accipi, pro liquore intus contento ad exhauriendum; metaphoricè autem dici passionē seu mortē. Prima duo optimè distinxit ipse Saluator dicens: c Vos Pharisaei mandatis, quae intus sunt calicis &c. tertium autem, quando in agonia exorabat Patrem: Si possibile est, transeat à me calix iste, vt nō bibam illum. His praemissis, faciliùs verba supra citata intelligemus. Cùm enim Dominus coenasset, dicitur accepisse calicem, iuxta primum, & secundum modum: d In vase enim potioni destinato, intelligendus est accepisse vinum vitis, aqua distemperatū, more populorum, maximè verò Palaestinorum: & secundùm illam Salomonis praedictionem: Sapientia aedificauit sibi domum, miscuit vinum, posuit mensam suam. Deinde subiecit gratiarum actionem, illam vtiq;, quam ante miraculosas suas operationes adhibere consueuisset. S. Paulus autem alibi vocat, calicem benedictionis, & calicem cui benedicimus: vt intelligamus, gratiarum actionem & benedictionem per eodem accipi: qua de re superiùs egimus. e Qua benedictione calicem, sicut superiùs & panem, ex rationibus ibidem à nobis positis, intelligimus, in sanguinem Domini fuisse cōmutatum. Statim enim sequitur: Dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. Addit S. Marcus: Et biberunt ex illo omnes. Quod eo sensu accipimus, quem S. Lucas veluti exponendo scribit: Diuidite inter vos: vt calix à Domino consecratus, & quidem vnitatis & charitatis symbolum, ab omnibus ex aequo participaretur. Quid verò bibendū acciperint, declarat Dominus dicens: Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur. Quod in suo genere aequipollet superiori propositioni: Hic est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc est, ad passionem & mortem: quam sicut corpus traditione & fractione, sic sanguis effusione, consignaret. Quòd autem in verbis promissionis asseuerat Dominus, f carnem suam se daturum pro mundi vita: hoc ipsum modò dicit: se corpus suum tradere, & sanguinem effundere pro multis, in remissionem peccatorū. g Porrò quid sibi velit ista sanguinis sui profusio, ampliùs declarat, quādo apud Matthaeum quidem & Marcum, vocauit sanguinem suum noui testamenti: apud Lucam verò & Paulum, calicem nouum testamentum in suo sanguine.

a Testamenti per sanguinem vetus forma nouae respondens.

b Calix in scriptura quid notet.

c Matth. 23. v. 26 Et Ca. 26. v. 39, 42

d Vino Christus aquam admiscuit Prouer. 9. ver. 2, 5 Liturgia Iacobi & Clementis. Cypr. li: 2. Epist: 3

e Expositio verborum de calice. Matth. 26. ver. 27 Marci 14. ver. 23 Lucae 22. ver. 17

f Ioan: 6. ver. 51

Cap. xxvii.

g Testamentum, pactum, seu foedus Christi quale, & quomodo in sanguine vel calice.

guine. Vbi per testamentum intelligitur pactum seu fœdus nouæ le-
gis antitypum, verũ, & perpetuum, quod (vt supra ex a Apostolo ad
duximus) confirmatum esset sanguine, non ampliùs animalium, vt
in figuris præcesserat, sed ipsius filij Dei, qui peracto in cruce sacrifi-
cio cruento Aaronico, illud ipsum, sed incruento modo, secundùm
perpetuum sacerdotium ordinis Melchisedech, pro recrudescentibus
subinde culpis nostris, apud Deum Patrem, sacerdos ipse & hostia exi
stens, continuat merito passionis & mortis suæ, in cælo quidem per
seipsum inuisibiliter, hîc verò per ministros suos sacerdotes, sub spe-
ciebus panis & vini visibiliter repræsentando, nobisque applicando.
b Ad cuius passionis, mortis, per sanguinis profusionem peractæ, ma
gis propriam expressionem, dicitur non simpliciter sanguis noui te-
stamenti, sed calix nouum testamentum in Christi sanguine: Vbi ter-
tio modo quem supra proposuimus, c calix pro passione & morte ac-
cipitur: primò quidem phrasi Hebræa, quandam similitudinem ex-
primente. Quemadmodum enim pharmaci alicuius amara & breuis
potio, solet sanitatem recuperare, & vitam producere: ad eundem
modum Christus velut caput nostrum, degustatione breui amarissi-
mæ mortis, sanitatem & vitam nobis recuperauit: siquidẽ primeuæ
culpæ lethalis cibus, non potuit nisi tam salutari poculo releuari.
Deinde quòd liquor seu potus in calice constitutus, aptus est non so-
lùm ad effundendum, (quod passionem Domini exprimit) & ad bi-
bendum, sed etiam ad alijs propinandum. Quod certè fecit Domi-
nus, quando calicem suum fidelibus suis propinauit, non solùm ad
bibendum, sed etiam ad per mortificationes sibi commoriendum:
quo etiam modo d duobus illis Apostolis secum regnare expetẽtibus,
per bibitionem calicis sui, aditum ad eiusmodi gloriam commonstra-
bat. e Queamadmodum igitur Deus in lege veteri, (vt supra ex A-
postolo citauimus) præmisit pactum seu fœdus suum cum populo
suo, in mandatis quæ illis proposuerat, & quæ illi vicissim se custodi-
turos voto obstrinxerant: cuius pacti vtrinque initi confirmationem
veluti testamentalem oblatione animalium, & postmodum sangui-
nis oblati aspersione, super librum legis, ipsumq́; populum consigna-
uit: Sic typum in veritatem ipsam reducendo, f Dominus noster
postquam per tres cum dimidio annos, legem & mandata sua cæle-
stia, ore suo Apostolos edocuisset, ab eisq́; & aliorum fidelium nomine
vicissim fidem illorum seruandorum per baptismum recepisset: te-
stamentum quidem veluti diploma quodam in traditione doctrinæ
illorum reliquit, ex qua postmodum doctrina Euangelica fuit con-
scripta: sed redemptionis, hæreditatis, & promissionum, veluti con-
signatio-

a Hebr. 9. ver. 15

b Sanguis vel calix noui testamẽti, quomodo ad effundendum & bibẽdũ institut9.

c Calix, passio seu mors à Christo prægustatus. cur.

d Matth. 20. v. 22

e Testamentum seu fœd9. vt in veteri, sic in noua lege, mandato, & sanguine consignatum. Exodi 24. v. 7. &c. Hebr. 9. vers. 19

f Matt. 28. ver. 19

signationem, in proprio sanguine perfecit, in cruce quidem per illius
profusionem semel: sed in anticipante cœna, per eiusdem profusio-
nis memoriam & repræsentationem, toties quoties fragilis culparũ
nostrarum relapsus postularet. Id autem non per solam sanguinis
aspersionem, vt fiebat in lege, quæ nunc, secundùm doctrinam a Apo
stolicam, verè in baptismo, per symbolum aquæ simul cum sanguine
ex latere morientis Christi promanantis, perficitur: sed (quod lex illa
vetabat) per sanguinis ipsius sub competenti specie vini bibitionem:
b vt sanguis Christi, qui credentibus in baptismo impensus fuisset ad
redemptionem & regenerationem, eisdem cederet in vitæ eiusmodi
refectionem & conseruationem, in beatitudine perficiendam. Quod
S. Cyprianus sic quoq́; attestatur: Nobis itaque pro quibus sanguis
Christi oblatus est in cruce, & quos reconciliauit Deo, omnes exce-
dens victimas hoc sacrificium singulare, ipse Christus pincerna por-
rexit hoc poculum, & docuit, vt non tantùm exterius hoc sanguine
liniremur, sed & interius aspersione omnipotenti, anima muniremur,
& penetrans omnia tanti medicamenti virtus, quicquid esset intus
ibi durum effugaret, & renouaret sanaretq́; quicquid morbi carni, vel
spiritui veteris vitæ adlinierat corruptela. Sic ille. c Et hæc ratio est,
cur S. Lucas, & eius socius B. Paulus, sanguinẽ per calicem vel pocu-
lum, a Græcè τὸ ποτήριον, expresserunt, non propter tropum in re
ipsa, hoc est, in sanguine, eiusq́; vera bibitione: sed potiùs vt nomen
ipsum calicis tropicè positum, vsum sanguinis exprimeret, non
solùm ad profusionem, sed etiam ad veram, & mortis Christi expres-
siorem bibitionem, & fidelibus communicationem. d Cùm enim
tam diligenter & ipse Dominus, verba ista tradidisset, & Euangelistæ
descripsissent, impossibile est, si quid figuræ vel impropriæ locutio-
nis eis inesset, eos more alioqui solito non fuisse præmonituros. Ec-
clesia etiam iam inde ab Apostolis, nunquam docuit, sed nec admisit,
Eucharistiam vocari figuram, sed verum corpus & sanguinem Chri
sti. e Grauissimè Epiphanius cum tota Synodo secunda Nicæna ge-
nerali, reprehendit quendam Gregorium Iconoclastam hæreticum,
asserentem in Ecclesia non habendas esse alias imagines, quàm Eu-
charistiam, illiq́; soli adorationem tribuendam. Ibi enim omnes vno
ore contestati sunt, blasphemiam esse, Eucharistiam vocari imaginẽ
seu figuram: cùm verè ac realiter sit corpus & sanguis Christi.
f Quando igitur apud Irenæum, Tertullianum, Augustinum, semel
atq́; iterum contingit, Eucharistiam vocari figuram: in alijs autem
locis etiam ex professo asserant, non esse figuram, sed verè & realiter
esse, & sumi à fidelibus, corpus Christi: facilè in illis locis ratio sese
prodit,

a 1 Petr: 1. ver. 2 Hebr: 12. ver. 24 Et Cap. 10. v. 22

b Sanguinis Christi verus potus, & animæ antidot9. Cypr: Serm: de Cœna Domini.

c Sanguis Christi cur ποτήριον. seu poculum denominatus. Lucæ 22. ver. 20 1 Cor. 11. ver. 25

d In Eucharistiæ institutione tropus cur impossibilis.

e Eucharistia nõ figura: aliâs quo sensu. Synodus 2. Nicæna Actione 6.

f Quomodo intelligendi Doctores, Eucharistiam figuram aliquando dicentes.

prodit, eos vel ad hominem disputare contra hæreticos, veram carnem in Christo negantes: vt vel ex figura, in Eucharistia, veritatem carnis humanæ in Christo capere potuissent: vel figuram sensu catholico intellexerunt, proprietatem sacramentalem: quando species sensibiles gerunt quodammodo figuram, & signum interioris substantiæ, quæ est verè corpus & sanguis Christi. [a] Neq; nouum est, in vna eadem re, figuram simul & rem ipsam inueniri: Quod ad præsens propositum cernitur: primò in agno Paschali, quando Ioannes Euangelista, præceptum non cominuendi os illius, in oblatione & comestione datum, tam ad typicum, quàm ad prototypum agnum accommodauit. Alterum exemplum occurit non absimile: quando Apostolus: verba illa Genesis secundo: Erunt duo in carnem vnã, « applicat secundo Adæ cælesti Christo, eiusq; per incarnationis mysterium, Ecclesiæ: non tamen per hoc tollit sensum proprium, qui ad Adamum & Euam refertur. [b] Porrò quomodo post istã Christi institutionem Apostoli hoc Sacramento, & ipsi vsi fuerint, & alijs administrauerint, cùm supra Sermone nono dixerimus, non est, quòd hîc repetamus.

a Figura & veritas potest esse vna eadem res.
Exodi 12. ver. 46
Ioan: 19. ver. 36
Ephes: 5. ver. 31
Genes 2. vers. 24

b Ecclesiæ & Apostolorum praxis in Sacramẽto Eucharistiæ, Supra serm: 9. C. 11

Postremò istam veritatem, si vellemus Doctorum quoq; sacrorum testimonijs cõfirmare, tẽpus & oratio ipsa nos deficeret. Adeò enim copiosè & apertè eandem veritatem pertractant, omnes antiquissimi tam Græci, quàm Latini Ecclesiæ Doctores, vt miranda vel potiùs deploranda sit aduersariorum temeritas & peruersitas, qui relicto succo veritatis & sanitatis, ex eorum verbis alioqui claris, peruersè, & more fucorum, vel araneorum, venena exugant, quibus seipsos & alios inficiant. [c] Ne tamen authoritatem eorũ, in quibus Dominus, secundùm Apostolũ, Ecclesiæ suæ exædificationem instituisset, prætereamus: eorum testimonia ad istam confirmationem per aliquot capita adducamus. [d] Principiò igitur recurrendum erit, ad antiquissimas Apostolorum & antiquissimarum Ecclesiarum Liturgias, superiùs à nobis positas: in quibus verba institutionis Eucharistiæ, quę modò explicuimus, pro germana & vniformi formula, veri corporis & sanguinis Christi vsurpantur. Eadem verba eodem sensu, & maximo consensu, passim adducunt antiquissimi Doctores. [e] Iustinus quidẽ Martyr, verba ista: Hoc est corpus meũ, &c. vocat preces verbi, per quas corpus & sanguis Domini conficiatur. Idem asserit Origenes, per eiusmodi precationem, panẽ effici corpus Christi, idemq; offerri & postea manducari. Idipsum Irenæus his attestatur verbis: Quando ergo & mixtus calix, & fractus, (alia exẽplaria meliùs habent, factus, id est ad hoc præparatus) percipit verbũ Dei, fit Eucharistia corporis & sanguinis Christi. Quomodo quæso clariùs exprimi potuit cõsecratio per verba Dei, non vtiq; alia, quàm: Hoc est corpus meũ? Quibus quia historicê tãtum inter alia vtuntur hæretici, nulla etiam consecratio subsequatur necesse est. Et alibi contra antiquos (quod etiam modernis rectè accõmodatur) hæreticos, sic concludit: Ergo aut sententiam mutent, aut abstineant ab offerẽdo, (multò magis nostri tantum ab asserendo) quæ prædicta sunt. Nostra autem consonans est sententia, & Eucharistiæ, & Eucharistia rursus confirmat sententiam nostram. Vbi Irenæus eadem veritate & proprietate asserit Eucharistiam, qua & ipsam resurrectionẽ. Tertullianus ijsdem verbis, Hoc est corpus meum &c. disertè dicit, Christum acceptum panem effecisse corpus suum. Cyrillus Ierosolymitanus, verba Christi Eucharistiam conficientia, asserit tam esse certa, vt nullatenus de eis liceat dubitare. Cyprianus docet, ante verba consecrationis, Apostolos manducasse simplicem panem, & vinum bibisse: Sed post verba quæ Christus dixerat, facta esse corpus & sanguinẽ Christi. Chrysostomus. Non solùm præ oculis posita respiciamus, sed ipsius verba contineamus. Ipsius enim sermo infallibilis, sensus autem noster seduci facilis: ille nunquam decidit, hic autem vt plurimum errat. Quoniam igitur verbum (hoc est, filius Dei) dicit:
» Hoc est corpus meum: & pareamus, & credamus, & intellectualibus oculis ipsum intueamur. Idem alibi scribit: [a] Quemadmodum ver-
» ba illa, Crescite & multiplicamini, semel à Deo prolata, in propagatione animantium effectum retinent: sic verba à Christo prolata, vsq; ad hodiernum diem præstant sacrificio huic firmitatem. Cyrillus Alexandrinus, post multa argumenta & testimonia, quibus veritatem Eucharistiæ asseruisset, sic concludit: Non credis mihi? saltem hæc
» dicenti Christo fidem præbe. Ipse enim dixit: Hoc est corpus meum. Gregorius Nyssænus: Panis (inquit) statim post verbum Dei, in cor-
» pus mutatur: vt dictum est à Verbo: Hoc est corpus meum. Ambrosius autem cùm multis argumentis veritatem Eucharistiæ adstruxisset, sic etiam inquit: Consecratio cuius verbis est & sermonibus? Domini Iesu &c. Hieronymus: Nos (inquit) audiamus (vtiq; ex verbis Christi) panem, quem fregit Dominus, deditq; discipulis, esse corpus Domini Saluatoris. Augustinus: Nec linguam quippe eius, nec membranas, nec atramentum, nec significantes sonos lingua æditos, nec signa literarum conscripta pelliculis, corpus Christi & sanguinẽ dicimus: Sed illud tantùm quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mystica consecratum, ritè sumimus ad salutem spiritualem, in memoriam pro nobis dominicæ passi onis. Quod enim per manus hominum,

Cap. xxviii

c Doctorum sacrorum testimonia, corúmq; autoritas.
Ephes: 4. vers. 11
d Eucharistiæ veritas patet ex antiquissimis Liturgiis.
Vide supra Ser: 10
e Iustinus martyr Apologia 2. ad Antoninum.
Orig: lib. 8. contra Celsum.
Iren: lib. 5. Cap: 2
Et lib. 4. Cap. 34
Tertull: lib: 4. cõtra Marcionem.

Cyrill: Ieros: Catech 4. Myst:
Cypriã: Serm: de cœna Domini.
Chrysos: hom. 60 ad populum Antioch: Et Serm: de proditione Iudæ.

a Verborum cõsecrationis efficacia quanta.
Genes: 1. ver 28
Cyrill: in Cap. 13 Ioan: Et Epist. ad Colosyrium
Greg. Nyssenus Orat. Cathechit: apud Euthym.
Ambr. de sacram. lib. 4. Capit. 4
Hieron. Epist. ad Hedibiam qst. 2
August. lib 3. de Trinitate cap. 4

minum, ad illam visibilem speciem perducitur, non sanctificatur vt
sit tam magnum sacramentum, nisi operante visibiliter spiritu Dei:
cùm hæc omnia quæ per corporales motus in illo opere fiunt, Deus
operetur. a Ioannes Damascenus, Euthymius, Theophilactus, cùm
probant Eucharistiam verè & realiter esse corpus Christi, & nō figu-
ram, hoc fortissimo argumento vtūtur, quod non dixerit Dominus:
Hæc est figura corporis mei. Sed: Hoc est corpus meum, quod pro
vobis tradetnr. b Secundi generis testimonia Sacrorum Doctorū
desumi possunt, ex eorum verborum tanta firmitate, vt nullam am-
biguitatem vel dubitationem admittere possint. Hilarius: De natu-
rali (inquit) Christi in nobis virtute, quæ dicimus nisi ab illo disci-
mus, stultè & impiè dicimus. Ipse enim ait: Caro mea vere est esca:
& sanguis meus verè est potus. Qui comederit meam carnem, & bi-
berit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. De veritate cor-
poris & sanguinis, non est relictus ambigendi locus. c Cyrillus Ie-
rosolymitanus, postquam fusiùs istam veritatem asseruisset, sic ait:
Cùm igitur Dominus corpus suum esse affirmat, atq; de pane dicat,
Hoc est corpus meum: Quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem
quoquæ affirmante & dicente: Hic est sanguis meus: quis inquam
dubitet & dicat, non esse sanguinem illius? Ad eundem modum
prorsus Ambrosius: d Ipse (inquit) Dominus Iesus testificatur no-
bis, quòd corpus suum accipiamus & sanguinem: Nunquid debe-
mus de eius fide & testificatione dubitare? Epiphanius postquā ma-
ximis argumentis refutasset varias hæreses, quæ Christum verè Deū
& verè hominem diffitebantur: talium errorum causam maximam
statuit, quòd natura & potentia Dei, sensibus & ratiunculis humanis
subijceretur, quæ respectu diuinæ operationis sunt fallacissima. Idem
subinfert euenire in Eucharistia: quæ secundùm captum humanum,
nec diuinitatem, nec humanitatem præsefert, cùm forma rotūda po-
tentiæ diuinæ sensum non exhibeat. Quod tamen natura tale & illud
non est, (Hoc est corpus meum) tamen gratia & diuina virtute tan-
ta veritate efficitur, vt (verba eius sunt) qui non credat esse ipsum ve-
rum, sicut dixit is, excidit à gratia & salute. Quod autem audiuimus,
hoc & credimus quod est ipsius. Hæc ille. e Eusebius Emessenus Eu-
charisticam veritatem alijs argumentis assertam, sic tandem conclu-
dit: Recedat igitur omne infidelitatis ambiguum: quandoquidem
qui autor est muneris, ipse etiam est testis veritatis. S. Basilius cùm
proposuisset quæstionem, quo timore, qua persuasione animi, qua af-
fectione, corpus & sanguinem Domini accipere debeamus. Respon-
dit: De timore (inquit) habemus Apostolum dicentem: Qui man-
ducat.

a Corpus Christi non figura. Damasc. de fide lib. 4. Capit. 4 Eutym. in Cap. 9 Ioannis. Theophil. in cap. 26. Matth. In caput 14. Marci, & Caput 6. Ioann.

Cap. xxix.

b Veritatis Eucharisticæ fides indubia antiquis. Hilarius lib. 8. de Trinitate.

c Cyrillus Ierosol. Catechesi 4. Mistagogica.

d Ambr. lib. 4. de Sacram: Cap. 5. Epiph: in Ancorato.

e Eusebius hom: 5 de Pascha. Idem habet Bern: Ser. 2 de cœna domini. Basilius in regulis breuior. interrogat: 172.

ducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. De persuasi-
one autem fidem faciunt verba Christi, qui dixit: Hoc est corpus me-
um. a Gregorius Nazianzenus exponens, quòd baculus in manibus
comedentium agnum typicum, designat fidem & firmitatem, ne di-
uina humanis metientes scandalizemur: Sic ait: Quin potiùs sine
pudore, dubitatione, corpus ede, sanguinem bibe: Si modò vitæ de-
siderio teneris: nec sermonibus de carne fidem abrogent, nec ad eos
qui de passione habentur, impingens. Innixus b sta firmus & stabi-
lis, atq; ita comparatus, vt nulla in re quatiaris ab aduersarijs, nec ver-
borum lepore atq; illecebris abripiaris. Quæ verba ad amussim pro-
fectò quadrant modernis humanæ sapientæ persuasionibus, quibus
Sacramentarij potissimùm nituntur. Siquidem tempore illo nullam
de veritate Eucharistica contradictionem comperimus: nisi fortè
antiquam Capharnaitarum, qui se crudam Domini carnem voratu-
ros putabant: & Iudæorum, qui secundum legem suam, sanguinis
potum abominarentur: Lex autem noua (secundùm B. Cy-
prianum c) eum bibere præcipit: vel etiam Gentilium, qui (vt
ex loco B. Cypriani nunc citato colligitur) antiquis Christianis im-
properabant, quasi Deum suum bestiali feritate deuorare in lege ha-
beant. d Cyrillus Alexandrinus copiosissimus veritatis Eucharistiæ
assertor, ea etiam verba habet: Ne dubites an hoc verum sit, eo mani
festè dicente: Hoc est corpus meum: sed suscipe potiùs verba Salua-
toris in fide, nec dubites. Concludat tandem B. e Augustinus hanc
asseuerationem, sic dicens: Audiuimus veracem magistrum, diuinū
redemptorem, humanum Saluatorem, commendantem nobis præci-
um nostrum, sanguinem suum. Locutus est enim nobis de corpore
& sanguine suo: corpus dixit escam: Sanguinem potum. Sacramē-
tum fidelium agnoscunt fideles. f Audientes autem (notent hoc Sa-
cramentarij) quid aliud quâm audiunt? Cûm ergo commendans ta-
lem escam & talem potum diceret: Nisi manducaueritis carnem fi-
lij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vo-
bis: & hoc diceret de vita quis alius quàm ipsa vita? erit autem illi
homini mors non vita, qui mendacem putauerit vitam. Hæc ille.

Cap. XXX

g Tertium caput ex testimonijs sacrorum Doctorum est, quando
asseuerant, corpus non aliud Dominum dedisse in Cœna, & in Eucha
ristia constituisse, quàm illud ipsum, quod fuisset incarnatum, & exa-
cta humana redemptione, ad dexterā patris resedisset. Primò autem
reuocamus vobis (Auditores deuoti) in memoriam, professionem B.
Andreæ Apostoli, in tractatu de Sacrificio vobis recitatam. Ille enim
cruci mox & ipse affingendus, quasi testamento veritatem istam con-
signauit:

a Greg. Naz: homel. 2. in Pascha. Exodi 12. ver. 11

b Sacramentarii gentilisant vel Iudaisant, horrentes corpus & sanguinem Christi.

c Cyprianus serm: de cœna domini.

d Cyrill. Alexād. Epist: ad Callosyrium.

e Aug. Serm. 2. de verbis Apostoli.

f Verba Christi sic accipienda vt audiuntur.

g Corpus Christi in Eucharistia idē quod incarnatū, & cœlos ascēdēs, asserūt Doctores. In vita S. Andreæ Apostoli, Supra Serm. 9. Cap. 12

signauit: quòd omni die immolaret in altari agnum, cuius caro & sanguis cùm à populo verè sumatur, ipse tamē semper integer perseueret ac viuus. Concilij Nicæni Canon, quem aduersarij pro germano agnoscunt, dicit similiter, in mēsa agnum Dei sitũ esse. [a] Ambrosius postquam multis scripturæ tum argumentis, tum exemplis, veritatem corporis Christi in Eucharistia ostendisset: sic subijcit: Liquet ergo, quòd præter naturæ ordinem Virgo generauit: & quod conficimus corpus, ex virgine est. Quid hîc quæris naturæ ordinem in Christi corpore? cùm præter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex virgine. Vera vtiq; caro Christi quæ crucifixa est, quæ sepulta est: veræ ergo carnis illius sacramentum est. Sicut verus est Dei filius Dominus noster Iesus Christus, nō quemadmodum homines per gratiam, sed quasi filius ex substantia patris: ita vera caro: Sicut ipse dicit quam accepimus, & verus eius sanguis est potus. Hæc ille. [b] S. Chrysostomus præparando sese ad dignam Eucharistiæ perceptionē, tali fide & meditatione seipsum, & auditores præparat: Propter hoc corpus, non ampliùs terra & cinis ego sum: non ampliùs captiuus & liber. Propter hoc cælum, & quæ in eo bona sunt, me accepturum spero; propterea immortalem vitam, angelorum sedem, Christi consuetudinem. Hoc corpus affixum, verberatum, morte victũ non est. Hoc corpus sol crucifixum videns, radios auertit. Propter hoc & velum templi scissum est, & petræ, & terra vniuersa tremuit. Hoc idem corpus cruentatum, lancea vulneratum, fontes sanguinis & aquę vniuerso orbi salutares scaturiuit. Ibidem paulò post: Christus medio draconis ventre rupto atq; discerpto, ex adytis clarissimis euasit, & radios, non ad hoc vsq; cælum, sed ad ipsum supernum thronum, dimisit: [c] Illud namq; ipsum extulit, quod etiam nobis exhibuit: & vt teneremus, & vt manducaremus: quod maximum dilectionis signum est. Quos enim amamus, nonnunquam etiam morsu petimus. Quare Iob vt seruorum in se amorem ostenderet, dicebat illos sæpenumerò nimio in se amore dixisse: Quis det de carnibus eius, vt saturemur? Ita & Christus suam carnem dedit nobis, vt ea saturaremur, « quo nos in plurimum sui amorem allexit. Hoc corpus in præsepi venerati sunt Magi: & viri impij & barbari longo itinere confecto, cũ timore & tremore plurimùm adorauerunt: Tu verò non in præsepi id, sed in altari: non mulierem quæ in vlnis teneat, sed sacerdotē præsentem & spiritum abundè super proposito diffusum sacrificio vides. Et post pauca consequenter: Neq; (inquit) angelos, neq; archangelos, non cælos cælorum, sed ipsum horum Dominum tibi ostendo. Animaduertis quonam pacto, quod omniũ maximum est atq; præcipuum

[a] Veritas corporis Christi veritati incarnationis collata. Ambros: de initiatis Cap. 9.

[b] In corpore Christi, sicut in persona cōmunicatio idiomatum, naturæ cœlestis & terrenæ. Chrysost. homel. 24. in Epist. 1. ad Corinth:

[c] Proprio corpore alere alium, summi amoris signum. Iob. 31. vers. 31

cipuum in terra, non conspicaris tantùm sed tangis: neq; solùm tangis, sed eo accepto domum redis. Hactenus Chrysostomus. [a] Gregorius Nissænus. Huius (inquit) corporis panem, non aratio, non satio, non agriculturæ opus perfecit: sed terra ipsa intacta permansit & tamen plena fuit, quo famescentes mysterium virginis edocti facilè saturantur. Vbi Gregorius, mysterium intelligit Prophetiam Danidis, quando Psalmo 84. Mariam præsignat terram benedictam, ex qua postquam iustitia & pax inuicem exosculatæ fuissent, Dominus dedit benignitatem, & terra nostra dedit fructum suum: hoc est, Mariæ ventris benedictum, [b] vt S. Elizabeth eodem prophetico spiritu exposuit. [c] Similis sententia est S. Augustini, sic dicentis: Suscepit (Christus) de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hîc ambulauit, & ipsam carnē nobis manducandã ad salutē dedit. Nemo autē illam carnem mãducat, nisi ante adorauerit. Idem asserit Christũ (vt alibi diximus) implēdo figuram Dauidis, in vltima cœna seipsum manibus proprijs (vtiq; in Eucharistia) gestasse. Quod ipsum ex eodem Augustino attestatur Prosper Episcopus Regiensis. S. Hieronymus necessitatem tum administrandæ per sacerdotes, tum à populo sumendæ Eucharistiæ cō-
» probat ex illa germana vnione ab Apostolo descripta: Vos estis cor-
» pus Christi, & membra de membro. S. Cyrillus Alexandrinus affirmat, eodem corpore & carne Christi nos tangi, nutriri, viuificari, quo Christus consueuerat ægrotos tangendo sanare. Optatus Mileuitanus copiosè inuehitur contra Donatistas, quòd demolirentur altaria, quæ sint sedes corporis Dominici, ipsiusq; Christi: & confringerent calices, qui sint sanguinis Christi portatores.

Cap. XXXI. [d] In quartam classem referamus antiquorum Ecclesiæ Doctorũ testimonia: vbi corporis & sanguinis Christi in Eucharistia certitudine & firmitate, alios etiam primos fidei Christianæ articulos confirmant. Primò autem Dei eiusq; filij verbi æterni omnipotentiam, ex isto Eucharistiæ articulo tanquam indubitato, adstruunt. S. Ephrem, quem in secunda parte citabimus. [e] Deinde Epiphanius, Dei omnipotentiam in alijs operibus demonstrat, ex mira & subita panis & vini, in corpus & sanguinem Christi conuersione: quæ tamen aliud externè præseferat, aliud intus contineat, idq; virtute verborum: Hoc est corpus meum: vt proximè citauimus. [f] S. Hilarius contra Arianos, asserens personas tres diuinas esse sibi inuicem cōsubstantiales & ęquales, idipsum comprobat, quòd scriptura eas asserat esse vnum, non solùm voluntate & concordia, sed natura & essentia. Quod nisi verum esset, nec illud certum (alioqui hæreticis indubita-

[a] Eucharistia panis ex terra, hoc est, Maria cælitus fœcundata. Psal. 81. v. 1, 10, &c.

[b] Lucæ 1. ver. 42

[c] August. in Psal. 98. & 33.

1 Reg: 21. ver. 13 Prosper Aquitanicus Parte 2. cap. 25. de prædictionibus. Vide supra Serm. 9. Cap. 17 Hieron. de ordinibus Ecclesiæ gradu 6.

1 Cor. 12. v. 27 Cyrillus in Ioan. lib. 4: Cap. 14 Optatus lib. 6. cōtra Parmen.

[d] Certitudine Eucharistiæ alii fidei nostræ articuli à veteribus cōfirmati.

[e] Omnipotentia Dei in Eucharistia relucet. Epiphanius in Ancorato.

[f] Consubstantialitas filii cum Patre, Eucharistia comprobata. Hilarius lib. 8. de Trinitate.

bitatum) maneret, nos per Eucharistiam vniri, non solùm vnitate &
amore, sed etiam re ipsa & virtute. a Irenæus filij cum Deo patre
potentiam in creando æqualem, eodem quoq; argumento sic confir-
mat: Quomodo autem constabit eis, eum panem, in quo gratiæ actæ
sunt, corpus esse Domini sui, & calicem sanguinis eius: si non ipsum
fabricatoris mundi filium dicant, id est, verbum eius, per quod lignū
fructificat, & effluunt fontes: & terra dat primum quidem fœnum,
post deinde spicam, deinde plenum triticum in spica. Quibus exem-
plis videtur Irenæus insinuare, eiusdem filij Dei in Eucharistia poten-
tiā: b quæ quod in pane ex germinibus & vino ex aqua naturaliter,
succesiuè, & per motus ordinarios efficiat, idipsum miraculosè & in
instanti, in conuersione panis & vini in corpus & sanguinem suum
operari posit, vt alio loco luculentiùs declarat. c Subijcit adhuc ex-
inde Irenæus, probationem resurrectionis ad vitam, sic inquiens:
Quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem deuenire,
& non percipere vitam, quæ à corpore Domini & sanguine alitur?
Et alibi: Quomodo (inquit) carnem negant capacem esse donatio-
nis Dei quæ est vita æterna; quæ sanguine & corpore Christi nutri-
tur? Vbi explicat eiusmodi, sicut per Eucharistiam mutationem, sic
per resurrectionem beatitudinem, fieri non tropicè, (vt somniant ad-
uersarij) sed verè ac realiter: sicut Apostolus affirmat, nos esse mem-
bra de membris, & os ex osibus Christi, per suam nimirum incarna-
tionem, & nostram regenerationem: quæ postmodū non minùs ve-
rè & propriè, corpore & sanguine Christi nutriantur & augeantur.
Hæc ibi. Quod & de ipsa resurrectione Christi eodem quoq; argumē-
to ostendit Synodus Ephæsina, & Cyrillus Alexandrinus, vbi etiam
addit eo modo nos verè palpare corpus Christi in Eucharistia, quo-
modo Thomas vulnera sua contrectasset. d Theodoritus adducit
antiquos Doctores sacros, qui Incarnationis Dominicæ fidem, my-
sterio Eucharistiæ adstruerent: & quòd sicut Eucharistia constat ex
duabus rebus terrena & cælesti, hoc est, ex pane, signi speciem reti-
nente, & vero corpore Christi: similiter suo modo persona Christi
diuina esset, ex duabus naturis hypostaticè vnitis cōstituta. e S. Chri-
sostomus, Marcionem, Valentinum, & Manichæum, Christi verā hu-
manitatem, & exinde pasionem & mortem negantes, simili argu-
mento perstringit in hæc verba: Quando dicunt, vnde patet immo-
latum Christum fuisse? præter alia multa, hæc etiam mysteria (ve-
ritatis Eucharisticæ) asserentes, ora ipsorum cōsuimus. Si enim mor-
tuus Iesus non est, cuius symbolum ac signum hoc sacrificium est?
vides quantum ei studium fuerit, vt semper memoria teneamus, pro
nobis

a Filii Dei æternitas ex Eucharistia comprobata.
Iren: li. 4. cap. 34 Et lib. 5. Capit. 2

b Transubstantiationis ratio.

c Resurrectionis ex veritate Eucharistiæ assertio.
Iren: li. 4. Cap. 34 Et lib. 5. Cap. 2

d Theodoritus Dialog: 2. & 3. etc. Apud eundē Synodus Ephesina. Ignatius, Irenæus. Athanasius.

e Incarnationis veræ ex veritate Eucharistiæ assertio.
Chrysost. homel. 83. in Matthæū.

nobis ipsum mortuum fuisse. Hæc ille. Porrò verba illa à nobis ex-
plicata: (Hoc vos nunc scandalizat? Quid si videritis filium homi-
nis ascendentem vbi erat prius?) quibus (vt supra exposuimus)
Dominus veritatem suæ carnis cōfirmat, conuerso argumento a Sy-
nodus Ephesina, adhibet veræ ascensioni Dominicæ, quòd nimirū
eam veritatem carnis suæ, quam nobis Christus in Eucharistia reli-
quisset, in cælos quoq; ad Patris dexteram intulisset. Ista testimonia
sole alioqui clariora, confirmet & concludat pia & fidelis adhorta-
tio B. Ephrem, sic dicentis: b Quid scrutaris inscrutabilia? si ista cu-
riosa rimaris, non iam fidelis vocaberis, sed curiosus. Esto fidelis atq;
innocens, participa imaculato corpori Domini Dei tui, fide plenis-
sima certus, quòd agnum ipsum ipse integrè comedis. Ignis immor-
talis sunt mysteria Christi, noli ea temerè scrutari: in ipsorum partici-
patione combureris. c Abraham Patriarcha cælestibus angelis, ter-
renos apposuit cibos, illiq; comederunt. Grādè profectò miraculum,
aspicere incorporeos d Spiritus in terra carnium cibos edentes. Sed
omnem hanc admirationem, omnem mentem, omnemq; sermonem
excedit hoc, quod fecit nobis vnigenitus filius Christus Saluator no-
ster, ignem & spiritum manducandum præstitit nobis in carne ve-
stitis, corpus scilicet & sanguinem suum: & quidem fratres cùm
Christi Sacramenta non capiam, vlterius progredi non audeo, neq;
arcana illa, sacratissimaq; mysteria rursus attingere, neq; si voluero
de his procaciter loqui, Dei sacramenta comprehendere posim. Illa
namq; sacramenta, & veneranda mysteria ingenij mei vires excedūt.
Potiùs e ergo glorifico Deum & Patrem, qui per vnigenitum ac di-
lectum filium suum, me peccatorem indignum corde supplici in se
credentem, saluare dignatus est, fugiens huiusmodi curiositates illi-
citas, omnemq; præsumptionem displicentem Deo. Mortalis ego
sum, terrenus ex terra effectus per gratiam, & humanam agnosco
humilitatem conditionis meæ, creatoremque meum scrutali nolo.
Terribilis enim est, namq; incomprehensibis, benedico & adoro il-
lius excellentissimam potestatem in secula seculorum. Amen.

a Ascensio Dominica ex veritate Eucharistiæ probata.
Ioan. 6. vers. 61
Synodus Ephesina

b Epilogus testimoniorū curiositatem excludēs.
S. Ephrem de natura Dei nō scrutanda. Cap. 5.

c Genes. 18. ver. 1

d Cibus Eucharistiæ quantus, ad eumq; fide præparatio.

e Humilitas & gratiarū actio Eucharistiæ condimentum.

Pars secunda: De Sacratißimæ Eucharistiæ existentiæ modo.

Cap. xxxii

PRoposuerat Deus primo homini in paradiso voluptatis, duplicis
arboris fructum: vnum ligni vitæ, quo corruptionem, quæ
sibi naturaliter inesset, ad immortalitatem in cælo consumandam,
corrigeret: alterum ligni scientiæ boni & mali, cuius abstinentia,
con-

Fructus duplicis in paradyso, ad Eucharistiam applicatio.
Gen: 2. vers. 8.

conditorem & Dominum suum recognosceret, atq; hoc modo ad fruitionem ligni vitæ, ipsiusq; immortalitatis sese exerceret. Cùm autem fraudibus Sathanæ, de fructu scientiæ boni & mali, per præuaricationem degustasset, factum est, vt priuilegio quoq; ligni vitæ, ac secuturæ exinde immortalitatis, ipsoq; paradisi incolatu, excideret. Hinc [a] est, quòd secundùm B. Cyprianum, corrupta & infirma corporis & animæ natura, reformari non poteramus, neq; ad similitudinem reuerti, nisi morbo inueterato imponeretur malagma conueniens: & in curatione desperatæ infirmitatis, contraria remouerentur contrarijs, & similia similibus cōuenirent. Hæc ille. Propterea Dominus ac redēptor noster, vt eiusmodi lapsum in homine repararet, quodam non absimili modo, in Ecclesia sua constituit fructum veluti duplicis arboris: vnum sacratissimi corporis & sanguinis sui, sub panis & vini speciebus: quo homo sibi per fidem & baptismū incorporatus, animæ simul & corporis alimentum haberet, quo demum immortalitatem perhennem, in futura vita consequeretur: Alterum fructum, proposuit ipsam synceram ac humilem de hoc Sacramento fidem, charitate informatam: quam qui haberet, vitale ad immortalitatem futuram alimentum perciperet: qui verò ea destitueretur, propter scientiam mali, hoc est, per incredulitatem vel curiositatem, scientia quoq; boni priuatus, pro vita mortem & damnationem perhennem acquireret. [b] De priori arbore eiusq; fructu in beatitudine consumando, attestatur S. Ioannes Apostolus sic scribens: In medio plateæ eius (cælestis Ierusalem) & ex vtraq; parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos (quod perhennitatem designat) reddens fructum suum: & folia ligni ad sanitatem gentium. Cuius quidem fructus pignus exhibuit seipsum verbum incarnatum, propter hoc mysterium fructus ventris [c] à Beata Elizabet appellatus, & in Bethleem, hoc est, domo panis, in præsepi primò exceptus: & qui sese postmodum panem de cælo descendentem asseuerasset: vt paulò superiùs diximus. [d] Arborem autem seu fructum probandæ & stabiliendæ fidei, de isto præsertim Sacramento, in quo Dominus memoriam mirabilium suorum reliquisset, insinuauit Christus in doctrina de hoc mysterio, quando dicebat: Operamini cibum qui non perit, sed qui permanet ad vitā æternam. Requirentibus autem Iudæis, quid facerent, vt operentur opus Dei? respondit Dominus: Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille. Et in fine illius doctrinæ, potissimam obstinationis & reprobationis Capharnaitarum causam istam assignat: [e] Verba quæ ego loquor vobis, spiritus & vita sunt; sed sunt quidam qui non credūt.

[a] Eucharistia antidotus mortis ad vitam.
Cyprian: Serm. de Cœna Domini.

[b] Fructus fruitionis cælestis, eiusq; pignus.
Apocal: 22. ver. 2
Apoc. 2. vers. 7

[c] Lucæ 1. ver. 42
Lucæ 2. vers. 47

[d] Curiositas in Eucharistia, ligno scientiæ boni & mali comparata.
Ioan: 6. ver. 27

[e] Ioan: 6. vers. 63

Hoc

Hoc ipsum ostendit Apostolus, quando in Corinthijs ex præsumptuoso abusu cœnæ Domini, reprehendit exorta fuisse schismata, ex quibus postmodum apertæ hæreses consequerentur. Quod corrigere studet duplici ad nostrum propositum regula: Primò enim ad exēplum arboris scientiæ boni & mali: iubet homini ante [b] Dominici corporis sumptionem, probare seipsum, hoc est, in seipso, fidē integrā de hoc sacramēto, & vitā rectam explorare. Qui enim indignè sumit, iudicium sibi manducat & bibit. Deinde docet, diiudicandum esse corpus Domini: hoc est, de illo nil tale apprehendere vel admittere, quod secundùm sensum & experientiam, eius veritati & proprietati naturali fide firmatæ repugnet. [c] Quod quidem fecerunt gentiles, Christianis improperantes, quasi Deum suum quem venerari debuissent, impiè deuorarent: & Capharnaitæ, atq; his similes hæretici: qui veriti ne carnaliter comedendo Christum tandem consumerent, varijs quas initio huius Sermonis exposuimus carnalibus vel potiùs bestialibus figmentis, Christi corporis veritatem ab isto sacramento explodunt. [d] Non deest scholarum etiam Catholicarum nimia interdum curiositas, quando sicut alia fidei nostræ, sic & hoc diuinissimæ Eucharistiæ abstrusissimum mysterium, ipsis etiam angelis non satis perspectum, in ordinem humanarum scientiarum, vel potiùs opinionum reuocant: adeò vt quod arbor Phorphyriana in suo caudice, vel Cathegoriarum rami Peripathetici, non comprehendant, credere vel asserere in hoc sacramento dedignentur. Ad quarum leges dum ipsa etiam sacra testimonia coactè trahunt, nouæ illis subinde exoriuntur difficultates, ex quibus non solùm cum fidei aduersarijs, sed etiam opinionum quisq; suarum æmulatoribus, sese expedire non possint, quin nouas atq; alias quæstiones atq; dubia, in certitudine fidei comminiscantur. [e] Hoc certè est, secundùm Apostolum, non acquiescere sanis sermonibus Christi, & quæ secundùm pietatē est, doctrinæ: sed ex superbia, nouas contentiones adinueniēdo, languere circa quæstiones & pugnas verborum: ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspitiones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate priuati sunt, existimātium questum esse pietatem. [f] Qui vltimus gradus hæreticorū proprius est: qui eiusmodi prophanas (vt inquit Apostolus, & quas Ecclesia non admiserit) vocum nouitates arripientes, suos postmodum errores & blasphemias illis stabiliunt: vt meritò Tertullianus, Philosophos, hæreticorum patriarchas vocare non dubitauerit. Quod vel in isto sacramento Eucharistiæ accidisse, deplorandū est: In quo quidem piæ Christianæ mentes, simplicissimè verbis Christi credentes,

[a] 1 Cor. 11. v. 17. etc.

[b] 1 Cor. 11. v. 28. 29

[c] Philosophorum & Capharnaitarum error similis Deum in Eucharistia comedi sensibiliter.
Cypriā: Serm: de Cœna Domini.

[d] Theologastrorum quorundam Philosophica Theologia.

Cap. XXXIII.

[e] 1 Tim. 6. ver. 3

[f] Philosophi hæreticorum Patriarchæ.
2 Tim. 2. ver. 16
Tertull: lib. cōtra Hermogenem.

tes,

tes, seipsos potiùs quomodo digni accederent, explorare, Deum autẽ non discutere sed glorificare, pro tam immenso benficio & dignatione debuissent. [a] Alioqui si quæ inesset quæstio de corpore filij Dei manducando, satis videtur fuisse soluta in corpore filij Dei nascendo. Cùm enim Maria virgo necessariò exquisiuisset ab Angelo, quomodo denuntiata Dei maternitas, cum priori virginitatis voto conuenire potuisset? edocet Angelus, cùm apud Deum nihil sit impossibile, id etiam euenturum, quòd Spiritus Sanctus super illam superuenturus esset, vtiq; ad ipsam sine viro fœcundandam, [b] & virtus altissimi esset sibi obumbratura: hoc est, cùm Deus lucem inhabitet ineccessibilem, quasi per obumbrationem, captui humano se accommodando, desponsatione matrimoniali, & cohabitatione pudica maritali cũ Iosepho, effectum iri, vt quamuis virgo, mater tamen Christi, etiam à Iudæis ipsis crederetur, & verè esset. [c] Similem etiam declarationẽ fecit Dominus dubitantibus discipulis suis: primò istud opus, vt eos carne propria cibaret, referendo ad diuinam Spiritus Sancti virtutẽ & operationem, quando dicebat: Verba quæ ego vobis loquor, spiritus & vita sunt: hoc est, non tantùm significatiua vt humana, sed etiam operatiua & viuificatiua: quæ ex pane & vino corpus & sanguinem meum subitò efficere possint. Tantam autem incomprehensibilem diuinam virtutem captui humano, velut quadam obumbratione accommodando, magis idipsum explicat, dicens: Caro non prodest quicquam, spiritus est qui viuificat. Si enim caro hominis de limo assumpta, anima rationali informata, spirituales habet operationes: magis [d] caro Christi ex sanguine à Deo prælectæ virginis, operatione Spiritus S. formata, verbo autẽ æterno in vnã diuinã personã vnita, ita vt in illa (teste Apostolo) omnis plenitudo diuinitatis inhabitet corporaliter, nõ humanas sed diuinas prorsus operationes exhibet. Quemadmodum ergo in filij Dei incarnatione, sic in alijs eius redemptionis nostræ operibus, non est exigendus naturæ ordo, sed supra naturalis diuina secundùm singulorum eius gestorum exigentiam operatio. Quod efficacissime arguit Ambrosius: [e] Postquam enim varijs scripturæ sacræ sententijs & exemplis, corporis & sanguinis Christi mutationem substantialem comprobasset, hæc verba subijcit: Suis vtamur exemplis, incarnationisq; exemplo adstruamus mysterij veritatem. Nunquid naturæ vsus præcessit, cùm Iesus Dominus ex Maria nasceretur? Si ordinem quærimus, viro mixta fœmina generare consueuit. Liquet igitur quòd propter naturæ ordinem virgo generauit: Et hoc quod conficimus corpus, ex virgine est. Quid hîc quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cùm præter naturam sit ipse

[a] Quæstio de corpore Christi satis Mariæ per Angelum explicata. Lucæ 12. ver. 35

[b] Obumbratio Mariæ qualis. 1 Timot. 6. v. 16

[c] Eucharistiæ veritatis ratio, ex verbis Christi. Ioan. 6. vers. 63

[d] Incarnationis fides, comprobat Eucharistiæ veritatem. Coloss. 1. ver. 19

[e] Ambros. de his qui mysteriis initiantur. Cap. 9

ipse Dominus Iesus partus ex virgine? [a] Vera vtiq; caro Christi, quæ crucifixa est, quæ sepulta est: verè ergo carnis illius Sacramentũ est. Ipse clamat Dominus Iesus: Hoc est corpus meum. Ante benedictionem verborum cælestium alia species nominatur, post consecrationẽ corpus Christi significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud discitur esse, post consecrationem sanguis nuncupatur. [b] Et tu dicis, Amen: hoc est, verum est. Quod os loquitur, mens interna fateatur: quod sermo sonat, affectus sentiat. Hæc ille. [c] Si

Cap. XXXIII.

ergo eandem fidei nostræ rationẽ in isto Eucharistiæ sacramento seruaremus, quam in Dominica incarnatione, humanitate, vitæ cõuersatione, passione, morte, & ipsa resurrectione sine cõtrouersia retinemus, profectò non tot tãtisq; quæstionibus in ea re laboraremus. Certè humano captui longè est difficilius, verbum carnem fieri, hoc est, carnem quæ cinis & puluis est, cum diuina natura in vnitate personæ conuenire, Deum fieri hominem, creatorem effici creaturam. Exinde verò in veritate carnis susceptæ, quo quæso ordine, vel humana disquisitione inuenitur, virginis sine commixtione viri vera conceptio, prolis conceptæ in ipso embrione subita animatio, & in quãtitate illa vix cõprehensibili perfecti viri habitudo? iuxta illud Propheticum: [d] Nouum faciet Dominus super terram: fœmina circũdabit virum. Quomodo inquam perfectus non solùm vir, sed etiam Deus, quem cæli non capiunt, angustissimo virginali vtero comprehenditur? quomodo qui immensus est, nouem mensium vterinas humanæ parturitionis leges conseruat? quomodo demum integritate virginali seruata, verè filius non solùm Dei, sed etiam hominis, hoc est, Mariæ, ex vtero nascitur & egreditur? Quomodo, secundùm Isaiam, [e] simul & nobis secundùm humanitatẽ paruulus, & Deo Patri secundum æternitatis generationem filius: & quidem sicut Patri ab æterno secundùm spiritum, sic matri in tempore, secundùm carnẽ consubstantialis, primogenitus, atq; vnigenitus? Quomdo creuit in vtero virginis, qui Ioãnẽ viuificauit in vtero sterilis? Quomodo dicitur profecisse in ætate, sapientia, & gratia: qui est ipsa sapientia & virtus, in [f] quo complacuisset omnem diuinitatis plenitudinem inhabitare corporaliter? idq; tanta efficacia, [g] vt deifica virtus nõ solùm corporis ipsius, sed vestitus quoq; contactu, etiam in eius ministris ad patranda miracula sese effunderet? Percurre si placet Domini nostri in terris exortum, vitam, conuersationem, opera: ipsum denique mortis exitum, ad supremam vsq; glorificationem: vbiq; non minùs mysteriorum reperies, quam requiris in sola Eucharistia, in qua ille memoriam mirabilium suorum reliquisset. [h] Requirebat Dominus

[a] Caro quæ crucifixa est, exhibetur in Eucharistia Matth. 26. ver 26

[b] Amen à sumẽtibus eucharistiam olim dicebatur.

[c] Tota Christi in carne œconomia non minus mira quã eucharistia.

[d] Ierem. 31. v. 22

[e] Isaiæ 9. ver. 6

[f] Coloss. 1. v. 19

[g] Lucæ 6. ver. 19 Lucæ 8. ver. 46 Actor. 19. ver. 12

[h] Psalm. 110. v. 4

a Signũ maximũ incarnationis, etiam Euchariſtiæ correſpondet.
Iſaiæ 7. v. 11, 14

nus apud Prophetam, [a] ſignũ futuræ noſtræ liberationis, quod maximum ab hominibus ſiue in cælo, ſiue in terra, ſiue in profunditate inferni excogitari potuiſſet. In quo exigendo, deficiente humano animo, ipſe quod omnem naturæ capacitatem ſuperaret, hoc dedit & præſtitit, vt virgo conciperet, & pareret filium, tam ſtupenda vt modò attigimus diuinitatis cum humanitate vnione. Addidit autẽ Deus, eum filium vocandum eſſe Emmanuelem: [b] hoc eſt, veluti familiarem humanitati Deum, qui diuinas quidem operationes, ſed humano modo, ad hominis redemptionẽ exequeretur. Cùm autem totus hominũ ſtatus cum actibus ſuis per primæuam præuaricationẽ corruiſſet, vt ſecundùm prophetam, [c] à planta pedis ad verticem non eſſet in eo ſanitas: ex omnibus etiam partibus erat per Verbum æternum incarnatum reficiendus, maximè autem in quatuor quibus hominum ſtatus maximè perficitur. Quod Eccleſia in ipſa de qua agimus Euchariſtiæ annua celebratione, pulcherrimè complectitur ad eum canens modum: [d] Se naſcens dedit ſocium: Conueſcens in edulium: Se moriens in precium: Se regnans dat in premium. Hoc profectò opus eſt ſeminis mullieris ab initio mundi promiſsi, quod contriuit caput ſerpentis, vt per incarnationem nos regeneraret & adoptaret: per propriam carnem aleret, & ad portum vitæ deduceret: per ſanguinem redimeret: & per glorificationem ſuam beatificaret. Quemadmodum igitur incarnationem, paſsionem, & mortem, glorificationem, in vero & proprio corpore perfecit: quomodo ſolam vitæ eiuſmodi ſuſtentationem, non in eodem proprio corpore inſtitueret? cùm ipſe manifeſtè fuiſſet conteſtatus: Panis quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita. Et rurſus: Accipite, & mãducate: hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur, datur, vel frangitur: vt ſæpiùs ante meminimus. [e] Eximiè hoc ipſum B. Cyprianus ſic expreſsit: Dedit (inquit) Dominus noſter in menſa, in qua vltimum cum Apoſtolis participauit cõuiuium, proprijs manibus panem & vinum: in cruce verò manibus militum, corpus tradidit vulnerandum: vt Apoſtolis ſecretiùs impreſſa ſyncera veritas, & vera ſynceritas, exprimeret gentibus, quomodo vinum & panis eſſet caro & ſanguis: & quibus rationibus cauſæ effectibus conuenirent: & diuerſa nomina & ſpecies, ad vnam reducerentur eſſentiam: & ſignificata & ſignificãtia eiſdẽ vocabulis cenſerentur. Quibus verbis S. Cyprianus, diſtinguit captum corporis Chriſti, quem habeant fideles, & infideles. [f] Iſti enim ſenſu tantùm carnali illud apprehendunt, quomodo violentis carnificum manibus dilaniabatur: fideles autem apprehendunt quidem hoc ipſum, quod manibus carnificum priùs

b Emmanuelem exhibet ſeſe Chriſtus in Euchariſt.

c Iſaiæ 1. verſ. 6

d Saluatio hominis quatruplex. S. Thomas Aquinas, in hymno de corpore Chriſti, Geneſ. 3. verſ. 15

e Myſterii Euchariſtiæ ſtipẽda delineatio. Cypriã, Serm. de Cœna Domini. Cap. xxxv.

f Corpus Chriſti fideles, & infideles aliter æſtimãt.

prius eſſet ad immolationem deſtinatum: ſed quod manibus ipſius Domini diſtribuebatur ad comedendum & bibendum tanquam viuum, proptereaq; alienis ſpeciebus panis & vini obuelatum. [a] Atq; iſto facto & inſtituto Chriſti eruditi Apoſtoli, gentibus quoq; quæ ignorantes, Dominum gloriæ crucifixiſſent, poſtea conuertendis prædicarent, & ſynceram veritatem, quòd eſſet idem ipſum corpus in re ſignificata: & verã ſynceritatem, quòd externæ ſpecies veræ & ſenſibiles, veram quoq; eiuſdem corporis & ſanguinis Chriſti refectionẽ adſtruerent. Contra quam ſynceram veritatem, & veram ſynceritatẽ, faciunt profectò aduerſarij, quando clariſsima Chriſti verba ad ſuas non ſynceras, ſed obſcuras, neq; veras, ſed fallaciſsimas allegorias ſeu figuras, contra apertiſsimum eorum ſenſum, detorquent. Alioqui enim quatuor illa ſequentia, quæ Chriſtiani debeant edocere gentes de hoc Sacramento, non tropis Sacramentariorum, ſed veritati Catholicorum conueniunt. [b] Primò enim modus, quo panis & vinum, fit corpus & ſanguis Chriſti, eſt volũtas & potentia Dei, accipientis panem, & porrigendo Apoſtolis in cibum, dicentis: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. Secundò: quibus rationibus cauſæ effectibus conuenirent? Cauſa alia eſſe non poteſt, niſi iam aſſerta à Domino, vera manducatio corporis & ſanguinis Chriſti: ſecundũ quod ipſe ait: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Altera (in plurali enim Cyprianus loquitur) cauſa eſt: quòd Dominus accepto pane & calice dixerit: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur &c. Hic eſt calix ſanguinis mei, qui pro vobis effundetur; hoc facite in meam commemorationem. Iſtis igitur cauſis, nimirum veri corporis & ſanguinis Chriſti imperatæ à Domino manducationi & bibitioni, reſpondent mox ſui effectus, quando addit Dominus, fieri iſta in mortis ſuæ commemorationẽ, & exinde in remiſsionem peccatorum: inſuper etiam intimam cum ſeipſo vnionem, quando conteſtatur: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinẽ, in me manet, & ego in illo. Et rurſus. Qui manducat panem hunc, viuet in æternum. [c] Tertiò, Catholici in hoc Sacramento diuerſa nomina, & ſpecies, ad vnam reducunt eſſentiam. Quia terminos illos Sacramenti, panem, vinum, calicem, carnem & ſanguinem, corpus Chriſti, ad hunc ſcopum nominant, vt vnam eſſentiam Euchariſtiæ, quæ corpus & ſanguis Chriſti eſt, adſtruant. Quod atteſtatur B. Gregorius dicens: Speties & ſimilitudo earum rerũ vocabula ſunt, quæ antea fuerunt, ſcilicet panis & vini. [d] Poſtremũ, quod requirit, & ad docendum gentes proponit Cyprianus, eſt: quòd Catholici ſignificantia & ſignificata, eiſdem vocabulis cenſeant. Nam panem & calicem

a In Euchariſtia quomodo ſincera veritas, & vera ſynceritas.
1 Cor. 2. ver. 8

b Modus, cauſa, & effectus ſacramenti euchariſtiȩ credituris explicandus.
Vide D. Thomam contra Gentiles lib: 4. Cap. 68

c Nomina & ſpecies euchariſtiæ ad vnam reducũtur eſſentiam.
Gregor: Papa homelia Paſchal: Habetur de conſecrat: diſtinct: 2

d Ratio ſacramentalis in euchariſtia.

calicem propriè accipiunt pro speciebus rem significantibus : tamen
panem etiam confitentur esse Christum ipsum, qui de cælo descendit:
& calicem agnoscunt eius passionis & mortis annuntiationem , no-
a Filij Dei in carne assumpta, in eadē, variè seip sū homini exhibet & communicat.
bis propitiatoriam atq; viuificam. a Recolligant sese quæso aduersa-
rij, si tale quid in sua Cœna imaginaria & vmbratica deprehendent.
Et sic insipiētes in populo, tandē intelligant, filium Dei æternum, ex
quo in vtero Mariæ Virginis verè caro factum est, eundem ipsum, nō
in Protheicas formas mutatum, sed in eodem ipso corpore, opera re-
demptionis nostræ exegisse : modo tamen qui singulis necessitatibus
b Christus in vera carne quā mira & vera præstiterit.
talis redemptionis conueniret. b Apparuit enim homo secundùm
humanæ ætatis & qualitatis gradus : Opera quantumuis diuina, hu-
manitatis veluti quodam instrumento visibili administrabat: vt ho-
mo aquas inambulabat: quando vellet ex oculis hominum euanesce-
bat: in vera carne passionem & mortem, alioqui Deo indignissimam
perferebat : in vera carne sepulchrum, exinde etiam fores clausas, &
spacia terrarum, in momento permeabat : in eadem carne & cicatri-
ces mortis, & manducationem quæ est vitæ argumentum, simul ex-
c Actor. 1. ver. 3
hibuit. In eadem ipsa carne, variè prout opportunitas ferebat, c per
quadraginta dies Apostolis apparens , & conuescens , tandem cælos
non solùm aëreos, æthereos, empyreos , sed etiam æternos ad super-
cælestem Dei Patris sedem penetrauit : in eodem extremus omnium
iudex appariturus. Si igitur in singulis istis, corporis eius fidem inte-
gram conseruamus, quid in sola Eucharistia illam denegabimus ? &
non potiùs firmiter tenemus, quod (verba sunt Cypriani) sicut in per-
sona Christi humanitas videbatur , & latebat diuinitas : ita (modo
intellige sacramentali non hypostatico) in sacramento visibili, diuina
d Mutatio panis & vini in corpus & sanguinē Christi qualis.
se infudit essentia. Sic ille. d Et hæc quidem nobis, qui fide non ra- Cap.
tione nitimur , sufficere ad firmissimā persuasionem istius veritatis , XXX
debuissent. Sed quoniam Ecclesia, ex vlterioribus disputationum di- VI.
squisitionibus, ad magis etiam hoc mysterium declarandum progres-
sa est : breuissimè id quoq; expediamus. Primum omnium Catholi-
ci omnes conueniunt, ex pane & vino, corpus & sanguinem Christi
fieri per mutationem. Hoc enim ipse Christus satis declarauit , quādo
accepto pane, post benedictionem seu consecrationem , eum corpus
e Mutationis rerum in alias miraculosa sacra exēpla.
suum denominauit, & Apostolis ad manducandū exhibuit. Eiusmo-
di mutationum exempla, ad cōfirmationem istius veritatis, plurima
ex sacris literis congerunt antiqui Doctores. Inter alios sufficiat B.
Ambros: de initiatis, Cap. 9.
Ambrosius sic scribens : e Quantis igitur vtimur exemplis, vt probe-
mus, non hoc esse quod natura formauit, sed quod benedictio conse-
Exodi 4. vers. 3
crauit : maioremq; vim esse benedictionis, quàm naturæ, quia bene-
dictione

dictione etiam natura ipsa mutatur ? Virgam tenebat Moyses, proie-
cit eam, & facta est serpens: Rursus apprehendit caudam serpentis, &
in virgæ naturam reuertitur. Vides igitur prophetica gratia, bis mu-
tatam esse naturam, & serpentis, & virgæ. Currebant Aegypti flumi- a Exodi 7. v. 20
na puro aquarum meatu, a subitò de fontium venis sanguis cæpit
erumpere. Non erat potus in fluuijs : rursus ad prophetæ preces cru-
or cessauit fluminum, aquarum natura remeauit. b Circūclusus vn- b Exodi 14. v. 21.
diq; erat populus Hebræorū, hinc Aegyptijs vallatus, inde mari clau-
sus. Virgam leuauit Moyses, separauit se aqua , & in murorum speciē
congelauit, atq; inter vndas via pedestris apparuit. c Iordanis retror- c Iosue 3. v. 16.
sum conuersus, contra naturam, in sui fontis conuertitur exordium.
Nonne claret, naturam vel maritimorum fluctuum, vel fluuialis flu-
ctus esse mutatam ? d Sitiebat populus patrū, tetigit Moyses petram, d Num: 20. v. 11. Exodi 15. ver. 25
& aqua de petra fluxit. Nūquid nō præter naturā operata est gratia, vt
aquā vomeret petra, quàm nō habebat natura? Marath fluuius amaris-
simus erat, vt sitiens populus bibere non posset : Misit Moyses lignū
in aquam, & amaritudinem suam aquarum natura deposuit , quam e 4 Reg. 6. ver. 6
infusa subitò gratia temperauit. e Sub Helisæo propheta vni ex filijs
prophetarum excussum est ferrum de securi , & statim mersum est.
Rogauit Helisæum qui amiserat ferrum , misit etiam Helisæus lignū
in aquam, & ferrum natauit : vtiq; & hoc præter naturam factū esse
cognoscimus. Grauior est enim ferri species , quàm aquarum liquor. f Gratiæ quā naturæ maior vis: & ex aliquo quid fieri, quam ex nihilo.
Aduertimus f igitur maioris esse virtutis gratiam , quàm naturam ,
& adhuc tamen propheticæ benedictionis numeramus gratiā. Quòd
si tantum valuit humana benedictio, vt naturam conuerteret, quid di-
cimus de ipsa consecratione diuina, vbi verba ipsa Domini Saluatoris
operantur ? Nam sacramentum istud quod accipis , Christi sermone g 4 Reg: 1. ver. 10
conficitur. g Quod si tantum valuit sermo Heliæ, vt ignem de cælo Psalm. 148. vers. 5
deponeret : non valebit Christi sermo, vt species mutet elementorū ?
» De totius mundi operibus legisti : Quia ipse dixit & facta sunt : ipse
» mandauit, & creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo fa-
cere quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare , quod non
erant? Non enim minus est nouas rebus dare, quam mutare, naturas. h Incarnationis & Eucharistiæ veritas se inuicem confirmant.
Sed quoad argumentis vtimur ? h Suis vtamur exemplis, incarnati-
onisq; exemplo adstruamus mysterij veritatem. Nūquid naturæ vsus
præcessit, cùm Iesus Dominus ex Maria nasceretur ? Si ordinē quæ-
rimus, viro mixta fœmina generare consueuit. In vlterioribus ver-
bis prosequitur Ambrosius ostendere, idem corpus Christi esse in Eu- i In eucharistia mutatio excellētissima ipsarum substantiarum.
charistia , quod ex Maria sumptum est , & postea crucifixum : quæ
Cap: XXXVII verba paulò superius integra retulimus. i Porrò cùm in istis & si-
milibus

milibus exemplis, mutationes rei vnius in alterā diuersæ sint, & aliæ alijs perfectiores: in Eucharistia admittitur mutatio omnium excellētissima, substantiæ vnius propriæ, in alteram propriam substantiam. Quam [a] ad rem sicut in Concilio Nicæno ad exprimendam vnā filij cum Deo Patre essentiam, adhibita est vox ὁμοούσιον, hoc est, consubstantialis: ad eundem modum in Concilio Lateranensi sub Innocentio Tertio, quando quæstio de Eucharistia agitari cæpta est, conuersionis Eucharistiæ modus explicatus est hoc nomine, Transubstantiatio: quod sonat actionem, qua tota & integra vnius rei substantia transfunditur, in totam & integram substantiam alterius rei. Talem siquidem mutationem supra alias naturales, ratio sacramentalis in Eucharistia requirebat. [b] Neq; difficile esset, non solùm in scriptura, sed etiam in natura, & quæ naturam æmulantur arte, clarissima inuenire exempla. Experimur per artem, substantiam ligni, in substantiam maximè dissimilē vitri conuerti. Deinde natura, durissima quādoq; metalla, etiam fontium quorundam virtute, in alia genera seu substantias commutat. Sed et natura ipsa hominis, per innatum corporis calorem, panem & vinum, in sanguinem & corpus humanum virtute digestiua conuertit. Si autem in istis exemplis, moram, & motum naturæ & artis successiuum, quem Eucharistia excludit, opponas: damus alia exempla: [c] quando corpus vxoris Loth in corpus seu substantiam salis, & in Cana Gallileæ, aquæ substantia, in veram immò excellentissimam vini substantiam, illico fuerunt commutata. [d] Et profectò si ab aduersarijs penitius expendatur illud miraculum, inuenient autorem illius, qui se panem de cælo descendentem contestatus esset, in alio quoq; Sacramenti subiecto, mutationem fecisse mysterio Eucharistiæ conuenientissimā. Appositè ad hoc propositum B. Cyrillus: [e] Aquam (inquit) aliquando mutauit in vinum, quod est sanguinis propinquum in Chana Gallileæ, sola voluntate: & non erit dignus cui credamus, quòd vinum in sanguinem transmutasset? Si enim ad nuptias corporeas inuitatus, stupendum miraculum operatus est: & non multò magis corpus & sanguinē filijs spōsi dedisse illū confitebimur? Sic ille. Primò enim, miraculum illud cōtigit primum, per quod Apostoli in filiū Dei credidissent, vt magis propriè referret miraculum Eucharistiæ, quæ esset maximum fidei & charitatis Christianæ symbolum. Secunda ratio est, miraculi istius, cum multiplicatione panum, conuenientia ad Eucharistiæ mysterium. De quo sic Chrysologus: [f] Qui (inquit) elementa commutat, & naturam fecit ipse, qui contra naturam facere non laborat, aquam transfert in vinum: vt diuinitatis in vigore,

[a] Transubstantiationis quid eius origo & ratio. Concilium 2. Lateranense Cap. 1 de fide catholica.

[b] Transubstātiationis naturalia, & artificialia exempla.

[c] Gen: 19. ver. 26 Ioan. 2. ver. 9

[d] Mutationis vini in aquam cū mutatione panis & vini in eucharistiam conuenientia

[e] Cyrill: Ierosolymit: Catechesi: 4 Mystagogica.

[f] Chrysologus Serm: 160.

naturæ nostræ proficiat habitudo. [a] Nam qui panes quinq; fragmēto profluo, & furtiuo incremento, ad quinq; milia hominum tetēdit, & dilatauit saginam, potuit augmentis succrescentibus ad nuptiarum festa, vini ampliare & perpetuare mensuras. Sed aqua in sanguinis erat conuertenda mysterium, vt vera pocula de vase corporis sui Christus bibentibus propinaret. Hæc Chrysologus. Tertio: conuersionem illam, sicut & ipsius Eucharistiæ, nulla humana prouidentia, intercessio, sollicitudo, nec ipsa importunitas, sed sola creatoris liberalitas, & beneficij opportunitas, exigit. Quartò, liquor cōmutandus excipitur vasis lapideis purificationi destinatis: vt insinuetur, Sacramentum istud stabilitatem fidei, & puritatem vtriusq; humanæ substantiæ, ante omnia requirere. Quintò: Curator conuiuij seu architriclinus cēset homines, primò bonum vinum ponere, inebriatis autem reliquam fœcem propinare, (quod vtiq; in fallacijs istius sæculi cernere est:) Pincernam autem cœlestem, ad finem sæculi, legi suæ, vltimo incolatus sui termino, seruasse vinū optimū, in calice nimirū redēptionis simul & refectionis nostræ constitutū. Sexto: Aqua illa, sola voluntate Christi, in instanti conuersa est in vinum omniū perfectissimum, per substantiaram subitam commutationem: vt fides nostra firmaretur, quòd sicut in virtute à creatore indita per naturales digestiones, successiuè ex pane communiter fit corpus humanum, ex vino sanguis humanus, ex aqua in vite digesta vinum, ex aqua in nuptijs illis per dominicam benedictionem, vinum omnium præstantissimum: magis & longè perfectiùs idipsum posse ipsum totius creaturæ plasmatorem. Septimò: [b] Architriclinus post gustum vini conuersi præstantissimi, appellauit illud aquam: ex quo probabile est, liquorem illum colore naturali aquæ seruato, præstantissimā vini naturam induisse. Vt vel inde exemplum capiamus, externa accidentia corporis & sanguinis Domini, substātiæ proprietatem defraudare non posse: & ex pane confectum corpus Christi, non desinere esse, quamuis interdum post consecrationem nomine panis appelletur.

Cap. XXXVIII. [c] Gregorius Nyssenus proponit solennem quæstionem, quomodo corpus Christi proprium ex virgine Maria assumptum, possit fieri ex pane & vino, sic vt per totum mundum homines fideles verè reficiens, deficere vel minui non possit. Quod fieri posse etiam naturali ratione: [c] Primò præsupponit, corpora sicut omnium animantium, sic præcipuæ omnium & singulorū hominum, constare non per seipsa, sed competenti alimento subinde instaurata. Qua thesi supposita, reliquas hypotheses sic subinfert: His à nobis hoc modo distinctis ac declaratis, ad ea quæ sunt proposita, reuocanda est cogitatio.

[a] Ioan. 6. ver. 11.

[b] Trāsubstātiationis in conuersione aquæ in vinum, idæa.

[c] Quomodo ex pane possit esse corp9 Christi, natural: ratiocinatio Greg: Niss: Orat: Catechet: cap. 37

[c] Homo constat, non solum corpore, sed supplemēto alimenti.

Querebatur enim, quemadmodum quod est in illo corpus Christi, viuificat omnem hominum naturam, in quibus est fides, omnibus distributum, & ipsum minimè diminutum. Fortasse ergo non procul absumus à probabili ratione. Nam si cuiuslibet hominis substantia, seu consistentia, est ex alimento: id autem est cibus & potus: est autem in cibo panis, in potu autem aqua vino condita. [a] Dei autẽ Verbum, sicut prius est definitum, quod est Deus & Verbum, humana est natura contemperatum, & cùm esset in nostro corpore, non aliquam aliam humanæ naturæ innouauit constitutionem: sed per ea, quæ sunt consueta & congruentia, suo corpori dedit per mansionem, cibo & potu continens substantiam. Cibus autem erat panis. [b] Quomodo ergo in nobis, sicut iam sæpè dictum est, qui panem vidit, humanum corpus videt quodam modo, quòd cùm ille in eo fuerit, hoc fit: ita illic quoq;, quod Deum suscepit corpus, cùm panis alimentum accepisset, quadam ratione idem erat quod ille, alimento, vt dictum est, transeunte in naturam corporis. Nam quod est omnium proprium, id quoq; pro certo & cõstãti est in illa carne, nempe quòd illud quoq; corpus pane continebatur, Corpus autem Dei Verbi inhabitatione, ad diuinam transmutatum est dignitatem. [c] Rectè ergo nunc quoq;, Dei verbo, sanctificatum panem, in Dei Verbi corpus, credo trãsmutari. Etenim panis erat potestate illud corpus: fuit autem sanctificatus habitatione Verbi, quod tãquam in tabernaculo habitauit in carne. Igitur vnde in illo corpore transmutatus panis, transit in diuinã virtutem, per idem nunc fit similiter. [d] Nam & illic verbi gratia sanctũ fecit Corpus, cui ex pane erat substantia, & quodãmodo ipsum quoq; erat panis: & hic similiter panis sicut dicit Apostolus, „sanctificatur per verbũ Dei & orationẽ, nõ per cibũ & potũ procedẽs ad corpus „Verbi, sed à Verbo, quemadmodum dictum est, transmutatus: nempe. Hoc [e] est corpus meũ. Cùm [f] autem omnis caro alatur etiã per hu„morem, neq; enim nisi cum eo coniũgatur, id quod est in nobis terrestre in vita permanserit: Quomodo autem per durum & solidum alimentum soliditatem corporis fulcimus ac stabilimus: eodem modo etiam humori adiungimus accessionem ex natura eiusdem generis. Qui quidem cùm fuerit in nobis, per alterandi facultatem fit sanguis, & maximè si per vinum acceperit virtutem transmutandi in calidum. [g] Quoniam ergo hanc quoq; partem accepit caro illa Dei susceptrix ad Dei constitutionem: manifestatũ autem Verbum propterea se admiscuit interitui obnoxiæ hominum naturæ, vt communione diuinitatis simul etiam deificetur humanitas: ea de causa per suæ gratiæ dispensationem, se per carnem inserit omnibus credenti-

bus

a Christi persona diuina, cibo humano sustentata.

b Panis dici potest corpus hominis, proxima potentia.

c Transmutationis panis in corpꝰ Christi ratio.

d Consecratione fit transubstantiatio.

1 Timot. 4. ver. 5

e Matth. 26. v. 26

f Ex vino quomodo fit sanguis Christi.

g Christus cur & quomodo credẽtibus seipsum cõmunicat per corpus & sanguinẽ.

bus, commistus & contemperatus corporibus credentium, quibus substantia est ex pane & vino, vt vnione cum eo quod est immortale, sit etiam homo particeps incorruptionis. Hæc autem dat, virtute benedictionis, in illud [a] transelementata eorum quæ apparent natura. Idẽ alibi: [b] Is igitur mirabilis sine agricultura panis, varietate qualitatis ad suscipientium habitudinem, virtutem suam cõmutat. Nam cùm sit panis, ignorat labefieri, sic in carnem verti, nouit holus imitari: quicquid deniq; assumenti conueniens & expetitum sit, vt Apostolus vult, qui hanc nobis mensam præparauit, in id commutatur. Sic enim diuinus ille vir perfectioribus solidorum, & in carnis speciem hunc cibum fieri docet, infirmioribus holus, infantibus lac. Hactenus Nyssenus. [c] Idem breuius complexus est Theophilactus, sic scribens: Transformatur arcanis verbis panis ille per mysticam benedictionem, & accessionem Sancti Spiritus, in carnem Domini. Et ne quem conturbet quòd credendus sit panis caro. Et enim in carne ambulante Domino, & ex pane alimoniam admittente, panis ille qui mãducabatur, in corpus eius mutabatur, & similis fiebat sanctæ eius carni: & in augmentum & sustentationem conferebat, iuxta humanum morem. Hæc ille. [d] Istorum autem multò antiquior Clemens Alexandrinus, id ipsum quoq; sic expressit: Verbũ (inquit) est omnium infantum & pater, & mater, & pædagogus, & altor. Comedite, ait, carnem meam, & bibite meum sanguinem. Hæc apposita & conuenientia elementa nobis suppeditat Dominus, & carnem præbet, & effundit sanguinem ad incrementum, nihil deest infantibus. Hæc ille.

Cap. XXXIX. [e] Istam constantem Ecclesiæ transubstantiationis doctrinam, sapientia huius sæculi conatur euertere: asserendo repugnare naturæ & rationi, vt cessante substantia panis & vini, accidentia illorum reliqua sensui patentia, dum corpori & sanguini Christi inhærere non possint, maneant sine subiecto, & veluti substantiæ per se subsistentis naturam induant. Quibus breuiter respondemus: Si hoc repugnat naturæ & rationi, non repugnat sed maximè conuenit potestati diuinæ, & nostræ fidei, quæ maximè in hoc sacramẽto enitet. [f] Sed neq; id esse contra, sed supra naturam & rationem, consulant isti Theologos, qui res fidei rationibus pertractant: potissimùm verò S. Thomam Aquinatem, qui contra gentes, sicut doctissimè, sic religiosissimè ista pertractauit. Nos enim Sermonis & etiam tractatus modum transgressi, ad finem istius etiam operis properamus. Non prætermittendus tamen nobis est quidam insignis Iudaicæ perfidiæ flagelator: qui transubstantiationem remanentibus accidẽtibus panis & vini sic breuiter & rationabiliter asserit: Duo extrema in eo intelligendo esse

perpen-

a Transelementatio etiam fit in Eucharistia.

b Corporis Christi quamuis ex pane perfectio.

Greg: Nyssenus de vita Mosis

Rom: 14. vers. 2

1 Cor. 3. vers. 2

c Corpus Christi ex pane, & in speciebus panis, cur. Theophil: in caput 6. Ioan.

d Eucharistia cõpetens Christianis alimentum ad vitam.

Clemẽs Alexãdr: lib. 3. Pædagogi Cap. 6.

e Transubstantiationis oppugnatio: & solutio.

f Accidentium sine subiecto in eucharistia ratio.

D. Thomas in summã contra Gentiles lib. 4. cap. 63.

Adrianus Finus, Flagel: contra Iudæos, C. 28. & 27

Vide Pet. Tolosanum, in Syntaxi, lib. de Deo, C. 78

perpendenda, primum panem, alterum personam Christi. Et in pane tria rursum consideranda: primò, veritatem substantiæ panis resultantem ex materia & forma substantiali: Secundò, accidentia indiuiduantia & disponentia; tertiò, esse seu existentiam panis: per quod esse, etiam existunt accidentia, in quantum hærent & inexistunt substantiæ panis subiectiuæ. In persona autē Domini nostri Iesu Christi, quatuor etiam principaliter considerabimus. Primò: corpus prout habet esse substantiale ab anima, & esse conditionatum ab accidentibus. Secundò: consideranda accidentia quæ organizant, indiuiduant, extendunt, & disponunt illud corpus. Tertiò: consideranda anima, quæ dat esse substantiale specificum toto corpori & composito. Quartò: est considerandum verbum, quod dat esse personale, & actualem existentiam toti humanitati Christi. Quibus obseruatis, dixit, quòd substantia panis non conuertitur in verbum diuinum, nec in animam Christi, sed in Corpus Christi, prout habet esse essentiale ab anima, & est altera pars compositi humani. Et sic conuertitur quid in quid, id est, substantia in substantiam: non quantum in quantum, nec in quale, nec corpus in spiritum. Et ideo manent accidentia panis sine subiecto: nec quicquam remanet de substantia panis in actu vel potentia. Et idem alibi addit, quòd remanentibus accidentibus visibilibus panis, corporis Christi in hoc sacramento, adest realis substantia inuisibilis. Ne fieret ridiculum sacrificium Iudæis, si visibilis esset, reliquisq; infidelibus qui exprobrarent quòd cruorem hominis biberemus, & carnes hominis ederemus. Item ob fidei meritum & exercitium: Auidiùs enim quæritur quod latet, & pretiosiùs est, quod cum fide quæritur. [a] His addamus duas rationes Scoti. Prima est: Transubstantiationē non solùm nō repugnare naturæ, sed esse eius perfectionis ipsiusq; diuinæ potentiæ. Quia Deus [b] populo suo in mari, aquas salsas, salua earum substantia, accidentali modo commutauit in aquas dulces & potabiles. E conuersò, in Cana Galileæ, aquam cum sua substantia simul & accidentibus commutauit in vinum. Restabat ergo tertius modus, vt substantiæ inuicem conuerterentur, accidentibus prioribus remanentibus. Altera ratio. [c] Dictat natura, vt homo nondum ætate perfectus nutriatur, non cibo solido, sed lacte, & cibis infirmioribus secundùm ætatis suæ proportionē: vt etiam attestatur Apostolus, sic scribens Corinthijs: Tanquā
"paruulis in Christo, lac dedi vobis, potum dedi non escam: nondum
"enim poteratis. Sed nec nunc quidem potestis, adhuc enim carnales
"estis. Sic etiam Hebræos reprehendit, vt qui alios docere ex lege de-
"buissent, ipsi veluti paruuli elementis fidei inhærentes, facti essent ve-

a Transubstantiatio est opus potētiæ diuinæ & naturæ congruens Scotus, in 4. Sententiarum.

b Exod. 15. v. 25 Ioan: 2. ver. 9

c Panis & vini species, ad sumendū Christum in hac vita accomodæ. 1 Cor. 3. vers. 2 Hebr. 5. vers. 12

luti

" luti lactis participes. [a] Ad eundem modum Christus nobis recens renatis, & ad statum perfectioris viri crescentibus, ad eiusmodi profectum tribuit seipsum, sed tanquam in lacte, hoc est, sub ijs speciebus quibus naturæ nostræ infirmitas assueuisset. Eadem similitudine clariùs vtitur Isidorus, inquiens: [b] Sicut cibum fortem inualidus infans capere non potest, nisi à matre prius editus, in lactis succum vertatur: vt quod in cibo non potuit vti, sugendo potetur in lacte per carnem. Ita & nos dum essemus infirmi ad conspiciendam verbi æternitatem, factum est ipsum verbum caro; vt enutriti per carnem, fortioresq; effecti, cibum solidum, id est, Verbum Domini (hoc est, filium Dei in futura gloria) contēplando, vt Angeli satiemur. [c] Hæc ille. Idipsum B. Cyprianus sic clarissimè edocet: Panis hic azimus, cibus verus & syncerus, per speciem & sacramentum nos tactu sanctificat, fide illuminat, veritate Christo conformat. Et sicut panis cōmunis, quem quotidie edimus, vita est corporis: ita panis iste supersubstantialis vita est animæ, & sanitas mentis. Panem Angelorū sub sacramento manducamus in terris: eundem sine sacramento manifestiùs edemus in cælis: non ministerio corporali, sæpè repetitis actionibus ad eundem reuertentis, sed consummato sacerdotio nostro, erit & permanebit perpetua & stabilis, implens & reficiens nos sufficientia: qua profert se palam absq; vllis tegumentis, omnibus conspicabilis summi præsentia Sacerdotis. Hæc Cyprianus. [d] Ista te-
Cap. XL. gumenta sunt profectò species externæ cum suis accidentibus: quæ tamen non in substantiam corporis Christi, sed ad nostram necessitatem extenduntur. Et tamen homines curiosi fidem abnegando, sensum autem animalem sectando, tantùm illis inhærent, vt per singulas accidentium Categorias discurrendo, ex earum natura, substantiam huius sacramenti discernant: non satis expendentes, sacramenti (sicut & fidei ipsius) naturā & proprietatē, non in ijs quæ extrinsecus signa sunt, sed quę intus subsistūt, & virtutē operātur, cōsistere. Quod Tertullianus [e] breuiter quidē eggregiè sic cō plexus est: Caro (inquit) vngitur, vt anima cōsecretur: Caro signatur, vt anima muniatur: Caro manus in positione adūbratur, vt anima spiritu illuminetur: Caro corpore & sanguine Christi vescitur, vt anima de Deo saginetur. Hæc ille. Chrysostomus [f] autē eam ipsam Eucharistiæ veritatē asserens, sic scribit: Nihil sensibile traditum est nobis à Christo, sed rebus quidem sensibilibus: omnia verò quæ tradidit, insensibilia sunt. Et cùm de baptismo exemplum posuisset, sic subijcit: Si enim incorporeus esset, nudè ipsa dona incorporea, tradidisset tibi. Quoniam verò corpori coniuncta est anima tua, in sensibilibus intelligenda tibi tradun-

a Corpus Christi sub speciebus, lactis alimento cōparatum.

b Isidor9 de summo bono, lib. 1 Cap. 16. Clemēs Alexādr: lib: 3. Pædagogiæ Cap. 6.

c Panis supersubstantialis natura & effectus. Cyprianus Serm: de cœna domini.

d Sacramentorū natura, non tollit rerum veritatem, sed palliando asserit.

e Tertull: lib. de resurrectione carnis.

f Chrysost. hom: 83. in Matthæum

tur,

tur. Hæc ille. [a] Ad eundem modum S. Bernardus: Sic (inquit) cor-
pus & sanguinem suum sumenda proposuit, vt sensus in vno foue-
retur, in altero fides ædificaretur. Fouetur enim sensus in vno, dum
solita tantùm & consueta prospicit: ædificatur fides in altero, dum
oculo carnis vidente aliud exterius, oculus cordis aliud sentit & re-
uerετur interi9. Aliud enim latet, aliud patet. [u] Posuit enim tenebras
latibulum suum. Quemadmodum enim species illic videntur quorū
res vel substantiæ ibi esse non creduntur: sic res veraciter & substan-
tialiter creditur, cuius species non cernitur. Videtur enim species pa-
nis & vini, & substantia panis & vini non creditur. Creditur autem
substantia corporis & sanguinis Christi, & tamen species non cerni-
tur. Proponitur igitur species panis & vini, vt doceatur plena & per-
fecta esse refectio in sumptione corporis & sanguinis Christi, plena
refectio cibi & potus. Cibi autem & potus substātiæ principales sunt,
panis & vinum. Hactenus Bernardus. Et sic in Eucharistia, quæ ex-
ternis signis percipiuntur, tanquam substantiæ panis & vini propria,
sacramentali intellectu, refferri debent ad similes in interiori homine
effectus, quos vera corporis & sanguinis Christi substantia opera-
tur. [b] Quæ si in quibusdam passionibus parum digna tanto sacra-
mento & corpore Christi videantur: cogitent tales importuni cen-
sores, filium Dei per exinanitionem suam incarnatum, propter no-
stram redemptionem, nihil præter culpam, ad nostram redemptionē
fuisse dedignatum. Minùs enim erat dignū (vt similiter Tertullianus
Marcioni [c] respondet) filium Dei hypostaticè carnem assumere, &
creatorem creaturæ & quidem culpa inquinatæ commisceri, quàm
sic hominem factum, in panis & vini specie seipsum manducandum
& bibendum exhibere. Magis inquā indignum erat, in pectus scele-
ratissimi Iudæ per buccellam introire, quo simul quoq; Sathanas in-
troijsset, deinde in propria persona quæ Deus esset, ab eodem osculo
prodi, ligari, colaphis & contumelijs affici, flagellari, spinis coronari,
ab impijs crucifigi, & lancea transuerberari: Deū deniq; (quod omni-
um maximū est) crucifigi & mori: quâm eas infirmitates, quas ho-
mines plusquā culpas reformidare solent, volūtariè perpeti. [d] Quin
etiam redemptionis nostræ ratio in tantum ista exposcebat: vt cum
Tertulliano audeamus dicere: Si ista carni Christi non accidissent,
benignitas & gratia, & misericordia, & vis viuifica illi defuisset. Equi-
dem nullus Christianæ fidei articulus extitit, [e] quem gentiles, infi-
deles, hæretici, suis vexationibus & cachinis non impeterent. Sed
quemadmodum S. Augustinus quondam talibus respondit: Si ca-
chinos Ethnicorum & hæreticorum timeremus, & Christi resurre-
ctionem

[a] Fides & sensus quomodo in Eucharistia conueniant.
Bern: Serm. 2. de Cœna Domini.
[u] Psalm. 17. v. 12

[b] Accidentia & passiones, præter culpam Christus nō est dedignat9.

[c] Tertull: contra Martionem.

[d] Christi caro nisi passiones sustinuisset, non esset viuifica.

[e] Propter cachinos infidelium, simplicitas fidei non deserenda.
August: Epist: 49. Cap. 6.

ctionem die tertia negare cogeremur: Eodem modo nos Sacramen-
tarijs respondeamus: Si illorum ratiunculas vel potiùs captiunculas
curaremus, fidem de corpore Domini toties ab eo asseueratam, amit-
teremus. [a] Pro colophone istius Tractatus, non possum præter-
Cap. XLI. mittere collationem meam cum hæreticis non indoctis. Cùm enim
illi non admissa comprobatione vocis Transubstantiationis, ex sensu
scripturæ (ad instar vocis ὁμοούσιον) explicatæ, ipsam expressam re-
quirerent: simulq; obijcerent, nec ipsos Catholicos conuenire posse,
quomodo ratione demonstrent, panem & vinum in Eucharistia re
ipsa desinere. Contra vtrumq; opposui illis, quando Dominus, panē
à nobis quotidie, hoc est, ad perhennitatem expetēdum, vocat super-
substantialem: quam versionem vltima recognitio Sedis Apostolicę
Romanæ, pro germana & vnica agnoscit. Hoc enim nomen vtiq;
pani communi conuenire non potest, sed pani qui de cælo descendis-
set, hoc est, filio Dei, omnē substantiā transcedenti, qui propriè [b] hoc
Sacramento, hominem credentem, ex ista peregrinatione ad glorio-
sam perfruitionem, sustentat & deducit. Sic enim ipse tantum myste-
„ rium declarat: [c] Caro non prodest quicquam, spiritus est qui viuifi-
„ cat. Et iterum: Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita
„ sunt. [d] Attestantur idipsum Doctores Orthodoxi: Hieronymus: Pos-
sumus (inquit) panem supersubstantialem intelligere, qui super omnes
substantias, & vniuersas superet creaturas. Cyrillus Ierosolymitanus:
Panis iste supersubstantialis dicitur, eò quòd animæ substantiam con-
firmet. Panis hic, non in ventrem descendit, & in secessum emittitur,
sed per te totum ad corporis & animæ vtilitatem distribuitur. Ad e-
undem modum Ambrosius, reddens causam cur post factam conse-
crationem, in Oratione Dominica corpus Christi vocetur panis, di-
cit: Panem dixit ἐπιούσιον, hoc est, supersubstantialem. Non iste pa-
nis est qui vadit in corpus, sed ille panis vitæ æternæ, qui animæ no-
stræ substantiam fulcit. Cyprianus autem: Ideo panem nostrum, id
est, Christum dari nobis quotidie petimus, vt qui in Christo mane-
mus & viuimus, à sanctificatione & corpore eius non recedamus. In
eandem sententiam Chrysologus: Quia ipse est panis qui de cælo de-
scendit, petimus & precamur, vt ipsum panem, quo quotidie, id est, iu-
giter sumus in æternitate victuri, hodie, id est, in præsenti vita, de cō-
uiuio altaris sancti, ad virtutem corporis mentisq; capiamus. Et alibi
similibus verbis addit: vt (inquit) vnde hîc gustum sumpsimus, in-
de ibi (hoc est in cælo) plenitudinem totasq; satietates capiamus. Eo-
dem modo Tertullianus: Christus panis noster est: quia vita Chri-
„ stus, & vita panis: Ego sum, inquiens, panis vitæ. Et paulò supra:

[a] Transubstantiatio declaratur Supsubstantiatione. Matth. 6. vers. 11

[b] Matth. 4. ver. 4

[c] Ioan. 6. ver. 63

[d] Panis supersubstantialis quid.
Hieronym: super Matthæū Cap. 6
Cyrill. Catechesi 5. Mystag.
Ambros. lib. 5. de Sacram. Cap. 4
Cypr. de Oratione Dominica.
Chrysolog. Serm. 68. & 70.
Tertull. de Oratione Cap. 6

Panis est sermo Dei viui, qui descendit de cælis. Tum quòd & corpus te eius in pane censetur, hoc est corpus meum &c. Itaq; petendo panem quotidianum, perpetuitatem postulamus in Christo, & indiuiduitatē à corpore eius. Hæc ille. [a] Nec huic declarationi repugnabit Categoriarū natura & ordo, qui supra seriem accidentium posita substantia, cui tanquam basi accidentia inhæreant: supra eandem substantiam ponit ipsum ens seu essentiā, quæ propriè primæ causæ & principio, hoc est, Deo, conuenit. Istam autem essentiam filio Dei etiam in carne assumpta, & in isto Sacramento existenti, tanquam Deo propriam esse, supra diximus. Si ergo substantia ad naturæ vsum veluti conuestitur accidentibus, cur etiam summa essentia, quæ creator est, ad supranaturalem in microcosmo imaginis suæ reformationem, substantiæ creatæ famulatu & velamine vti non debeat? [b] Quòd certè ab initio mundi factum esse videmus, quando illud ipsum Verbū æternum, futuram suam in carne veram apparitionem præsignabat, velatus nube, nebula, fumo, igne, petra, tabernaculi propitiatorio, speciē angelica, & ipsa etiam humana: quæ tamen velaminis seu accidentium vsum seu ministerium exhibendo, propriā substantiā non amiserunt: quominus in illis apparitionibus, & Deus, & Angelus, vel alia substantia (sicut etiam in alia apparitione columba, & Spiritus Sāctus) verè diceretur. Libet autem saluo sensu Ecclesiæ Catholicæ, cū talibus magis etiam simili ratione experiri. [c] Antiquissimi Philosophi, in creatis substantijs, propter quatuor sibi opposita, quibus ipsa constarent elementa, considerabant ipsam veluti quintam essentiam, quæ resolutis elementis permaneret, & naturam illius compositi perfectissimam retineret. Quod pro suo fundamento etiam num profitetur abditior illa philosophiæ pars, dicta Chymica, istorum scholis plerunq; familiaris: quando post extremam elementorum separationem, non solùm in exquisitis exinde essentijs, sed in ipsis salibus, ex combustarum substantiarum cineribus, potentissimam prioris compositi vim deprehendit. [d] Tradunt etiam magno consensu antiquissimi, non solùm prophani, sed sacri etiam Scriptores, in India & Arabia degere auem nomine Phœnicem, quæ sola absq; sexu, post quingentos annos feruore solis combusta, ex cineribus successiua putrefactione, primò vermem, exinde auem, eodem calore regeneret. Suspicatur ipse Plinius rei veritatem, eam ad Manlium Senatorem & inspiratum Philosophum referendo, qui tamen ipse allegoriam reuolutionis magni anni, qui rebus vicissitudines afferat, in hac narratione speculetur. Videtur etiam naturale contra leges naturæ & ipsius creationis prodigium, quæ perfecta animalia (quali perfectione ista auis pollere

[a] Substātia supra naturam eminentissima Eucharistia constat: lege etiā philosophica

[b] Deus sicut aliis speciebus ab initio mundi, sic in Eucharistia velatus.

Apparitiones tales fuisse reales testantur.

Iustin: Apolog. 2 & cū Triphone.
Iren: li:4. C.11.15
Tertull: de carne Christi. Cōtra Iudæos, & lib. 3. cōtra Marcionem.
Athanas: Serm: 3 contra Arianos.
Greg: Nas: lib. 2 de Theologia.
Hilarius lib. 9. de Trinitate.

[c] Substantiarum essentiæ abditissimæ in natura.

[d] Phœnicis prodigiosa historia & allegoria.

Plinius hist: natur: lib: 10. Cap. 2
Et lib. 13. Cap. 4
Herodotus lib. 2
Solinus Cap. 36
Tacitus lib. 5. Annalium.
Aelianus li. 6. c. 57
Clemens Const: Apost: li. 5. cap. 8

pollere censetur) ex mare & fœmina procreari ordinauit. Et mirum esset, cùm tot sæcula res quasq; abditissimas in toto terrarum orbe, intimis eius perlustrationibus indagassent, solam istam auem tantā hominum sagacitatem euolasse. Suspicor igitur antiquissimos Philosophos, ænigmatibus & allegorijs veritatem inuoluere solitos, istius auis symbolo, extremā illam naturæ igneam vim, ad res per corruptionem naturæ quidem curriculo, sed primæ & supremæ causæ virtute & operatione, intimare voluisse. [a] Quod confirmat Tertullianus, quando hoc ipsum pertractans, adducit verba Psalmi 91. „Iustus vt palma φοίνιξ florebit: (quamuis arborem intelligendā contextus arguat) sic subijcit: Vt credas de ignibus quoq; substantiam corporis exigi posse. Hæc ille. Quæ ratio maximè etiam corporum nostrorum resurrectionem (quā Christiani scriptores exinde adstruunt) confirmare potest. Ipsa deniq; nominis ratio, suspitionem nostram comprobat: Cùm Phœnices populi fuerint rerum naturalium sagacissimi indagatores, & scientiarū maximarū inuentores. [b] Neq; profectò ratio ista à doctrina sacra prorsus videtur esse aliena: quando Dominus, seipsum post futuram glorificationem, gentibus per fidem innotescendum, comparauit grano frumenti, quod non nisi in terra emortuum, fructum afferre potest. Et Apostolus, corporum nostrorum futuram resurrectionem, eodem argumento confirmat. Granum enim per putredinem terrestrem, deponit qualitates elemētorum contrarias, corruptioni obnoxias, & retinet quandam igneam & seminalem portionem naturæ veluti specificæ, quæ cælestis influxus vi & calore, terræq; ipsius humore, ad vberiorem instauratione

Cap. XLII veluti resuscitatum regerminat. [c] Non defuerunt barbaræ gentes, quæ humanas, maximè verò propinquorum crudas carnes, non solùm innata feritate, sed aliquando religione, vel intimo amore, depascerentur. Sic Artemisia Regina Cariæ, mariti mortui cineres, ad explendū amoris indeficientis desiderium, legitur ebibisse. [d] Quem morem insinuat B. Iob. quando carnis quidem suæ lanienigenā ex odio profectam, importunis consolatoribus suis exprobrat: è conuerso autem, eiusdem carnis suæ edendæ desiderium, ad intimā amoris vnionem, in charissimis domesticis deprædicat. [e] Et sic ad propositum, (si vel sic aduersarij capere possunt) In consecratione, panis & vinum sensibilia elementa, cum suis proprietatibus maneant sanè proprietate sacramentali pro signo Eucharistiæ veri alimenti: sic tamen, vt propria (vt dictum est) panis latens substantia vel potiùs essentia, transeat in solam & veram substantiam corporis & sanguinis Christi. Quod colligi videtur ex D. Thoma sic scribente: Nullū agēs naturale

Lactant: in Carmine Phœnicis.
Epiphanius in Ancorato.
Cyrill: Ierос. Catechesi 18. Illum.
Hieron: de cæreo Paschali.
Cypr. vel Ruffinus de Symbolo.
Ambr. lib. 5. Examеron Cap. 24
Et lib. de fide resurrectionis.
August. Serm. 18 ad Eremitas.
[a] Tertulliā. de resurrectione ca. 13
Psalm. 91. vers. 13

[b] Similia naturalia resurrectionis & Eucharistiæ.
Ioan. 12. ver. 14
1 Cor. 15. ver. 36

[c] Carnibus humanis vescentes, & qua intentione.
Plinius hist. Natur. lib. 6. Capit. 3
Aulus Gellius lib. 10. Cap. 18
Valer. Max. lib. 4 titul. 6.

[d] Iob carnis suæ manducationem dupliciter intelligit.
Iob 19. vers. 22
Et cap. 31. ver. 31

[e] Substantiarū in Eucharistia mutatio seu transitus, intima & perfectissima.
D. Thomas parte 3. quæst: 75. art. 4

naturale seu creatum, potest agere nisi ad immutationem formæ: & propter hoc, omnis conuersio quæ fit secundùm leges naturæ, est formalis. Sed Deus est actus infinitus: vnde eius actio se extendit ad totam naturam entis. Non igitur solùm potest perficere conuersionē formalem, (vt scilicet diuersæ formæ sibi in eodem subiecto succedant) sed conuersionem totius entis: vt scilicet tota substātia huius, conuertatur in totam substantiam illius. Et hoc agitur diuina virtute in hoc sacramento &c. Hæc ille. Quemadmodum enim Verbum æternum ad vnionem suam hypostaticam, elegit non quamlibet humanitatis substantiam, sed quæ sine omni labe & inquinatione, in vtero virginali fuisset per spiritum sanctum (vt loquitur [a] Salomon) ab æterna Sapiētia sibi ædificata, in tabernaculum, quod (teste Apostolo) fixit Deus & non homo: ad eundem modum substantiæ corporis Christi qui Deus & homo est, ad veram conuersionem, competebat substantia panis & vini, nō quæ esset comunis & elemētaris, sed quæ ipsa essentia, & intima virtute reficiendi hominis, constaret. Absit tamen, vt cum hæreticis dicamus Christum in Eucharistia impanari, vel inpanari: quia secundùm assertionem Catholicam tenemus, [b] conuerti inuicem totas & integras substantias: hoc est, in substantiam corporis & sanguinis Domini, id quod in pane & vino verè & propriè substantia est: qualitates autem & proprietates panis & vini, corporali alimento seruientes, diuina virtute relinqui pro externo signo interioris spiritualis refectionis, quæ fit per corpus & sanguinem Domini: quæ species etiam propterea, & non propter existentiam substantialem, dici possunt panis & vinum, seu calix: sicut filius ipse Dei dicitur panis de cælo descendens, non quòd Deus panis esse posit, sed quòd in similitudinem alimenti corporalis hominem intus ad vitam reficiat. Alioqui enim, quemadmodū [c] secūdum Theologos substantia panis & vini in carnē & sanguinē Christi conuersa, non annihilatur: sic sensus humani quamuis in tam spirituali mysterio deficiant, non tamen prorsus ad veram cibi vel potus perceptionem depereūt. [d] Signa enim seu species istæ in Eucharistia (vt alicubi docet B. Ambrosius) non debent esse vt præstigiæ Magorum, sed verè & realiter rem ostendentia. Quamuis eiusmodi signa (sicut Apostolo linguæ) fidelibus sunt vera, infidelibus fallacia: cùm & rem signatam, hoc est, ipsum corpus Christi longè diuersè, quam fideles apprehendant: vt paulò ante ex B. Cypriano docuimus. [e] Et hæc quidem non Catholica assertione, sed aduersariorum veluti instantia, ad declarationem sint dicta. Videant interim doctiores (nos enim ad finem properamus) si talis sensus cum do- Cap. XLIII

ctrina

a Prouer. 8. ver. 1 Hebr. 8. ver. 2

b Concil: Tridēt: Sess. 13. ca. 1. & 4.

c D. Thomas parte 3. q̄st: 75. art. 3

d Species in veritate Eucharistica sacramentali, non debent esse fallaces.

1 Cor. 14. ver. 22

e Transubstantiatio sic declarata, scripturæ cōformis, & quæstiones pacificans.

ctrina Catholica conuenire posit. Quod si esset: primò quidem sensui Christi, qui se panem supersubstantialem nominauit, conueniret: deinde satis responderet verbis illius primò promissorijs: Panis quē ego dabo, caro mea est, pro mundi vita: Et iterum: Spiritus est, qui viuificat: caro non prodest quicquam: Postea verbis ipsius circa ipsam institutionem, quando accepto pane dicebat: Accipite & manducate. Hoc est corpus meum &c. Accepto calice &c. hic est calix sanguinis noui testamenti &c. Accommodatissima quoq; videretur praxi Apostolorum, qui administrationem istius sacramenti, communiter fractionem panis vocant. [a] Conciliaret antiquissimorū & grauissimorū Ecclesiæ Doctorū sentētias, quādo seruata veritatis corporis & sanguinis Domini concordia, circa modū tamē existentiæ variè loquuntur. Vt autem aliqua commemoremus: Iustinus Martyr contra gentiles disputans, fatetur Eucharistiam esse panem, at non communem. Irenæus declarat panem esse non communem, sed Eucharistiam, ex duabus rebus constantem, cælesti & terrena. Vterq; autē (sicut & aliquot alij Doctores) constitutionem Eucharistiæ ex pane & corpore Christi, comparant vnioni verbi æterni ad humanitatem per incarnationem: vt sicut in persona Christi (inquit B. Cyprianus) humanitas videbatur, & latebat diuinitas: ita in sacramēto visibili ineffabiliter diuina se infudit essentia, [b] Et ante ista verba immediatè sic habet: Panis iste quem Dominus porrigebat discipulis, nō effigie sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro. Vbi clarissimè Cyprianus docet, mutationem factam esse in natura, quā mox essentiam ipsam declarat, non autem in effigie, hoc est, in proprietatibus panis & vini, quæ sensibus percipiuntur. [c] Hilarius etiam: Si verè (inquit) verbum caro factum est, & nos verè verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter in nobis manere existimandus est? B. Ambrosius similiter asserit, corpus Christi in Eucharistia non minus verum esse, quam Christum in nostra humanitate Deum. Ne tamen exemplo Capharnaitarum cum horrore à fidelibus sumeretur, qui panis de cælo verus & Deus esset, dedit seipsum vescendum sub similitudine cibi corporalis: vt qui accipiat panem, diuinæ eius substantiæ in illo participet sacramento. [d] Theodoretus in suis Dialogis, Christum habuisse duas naturas passim comprobat, ex duabus naturis quæ sunt in Eucharistia: quanquam illo modo nō satis propriè censeatur esse locutus. Huc etiam reuocādi sunt illi Doctores superiùs nominati, qui veluti altero extremo, Eucharistiam figurā, seu typū, aut signū, corporis Christi esse dixerūt. Ista enim declaratione, neq; panis & vinum Lutheranis: neq; signū nudū Sacramē-

tarijs

a Antiquorū Doctorum sensus de veritate Eucharistiæ concinnatus.

Iustin9 Martyr Apolog: ad Anton: Irenæ9 li. 4. ca. 34 Cyprianus Serm: de cœna domini.

b In Eucharistia natura mutatur, effigie, hoc est, specie sensibili manente.

c Hilarius lib. 8 de Trinitate. Ambros: lib. 6. de Sacramentis ca. 1

d Theodoretus Dialogo 1, 2, 3.

tarijs in Euchariſtia proſtabit, ſed vera ſubſtantia ſeu eſſentia corporis Chriſti: ſenſibilibus tamen (vt dictum eſt) panis & vini ſpeciebus, & proprietatibus formalibus, veram quoq; ac realem, quæ inuiſibiliter latet, exiſtentiam & communicationem, corporis & ſanguinis Chriſti confirmabit.

a Corpus Chriſti in Euchariſtia quomodo mutationes vel paſsiones admittit.

a Sic etiam facilè conciliari poteſt illa apparens ſanctorum Patrum diuerſitas, quando nunc aſſerunt, corpus Chriſti & Chriſtum ipſum in Euchariſtia verè manducari, dentibus maſticari, digeri, illoq; corporaliter ſimul & ſpiritualiter nutriri: è conuerſo autem, quando eam mãducationem ad ſpiritualem tantùm ſenſum referunt.

b Auguſt: contra Adimantum. Idem in Pſalm: 98 Et Tractatu 25. in Ioannem. Cypr: in fine Ser: de cœna domini.

b Vt Auguſtinus dicens: Non dubitauit Dominus dicere, Hoc eſt corpus meum, cum ſignum daret. Et alibi: Non hoc corpus quod videtis, manducaturi eſtis, & bibituri illum ſanguinem, quem fuſuri ſunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod commendaui vobis. Et rurſus: Vt quid paras dentem & ventrem? Crede & manducaſti. Et ante illum Cyprianus: Hoc quoties (inquit) agimus, non dentes ad mordendum acuimus, ſed fide ſyncera panem ſanctum frangimus. Tolli etiam poſſent illa (præſertim apud incredulos) incouenientia, qua corpus Chriſti maſticatum, in ventrem & per ventrem deſcenderet, putredinis, vermium, veneni etiam, qualitates reciperet: & alia his ſimilia, ſupra etiam à nobis commemorata: propter quæ aliqui Catholici conceſſerunt, perſonæ filij Dei in Euchariſtia, talia contingere. Quæ quamuis propter eius exinanitionem, noſtræq; redemptionis neceſsitatem, ſicut in propria perſona, ſic magis ſub alienis ſpeciebus, non eſſent inconuenientia: (vt etiam ſuperiùs diximus) tamen quemadmodum in illius perſona naturæ & infirmitati humanæ, ſic in Euchariſtiæ myſterio ſacramentali proprietati ſpeciebus obuelatæ, fides & pietas attribuere, ſuadet. Iſta enim & his ſimilia, reſident non in ipſa ſubſtantia corporis Chriſti, nõ etiam in inanibus accidentibus quæ talia recipere non poſſunt, ſed in ſpeciebus & qualitatibus naturalibus, ex ſubſtantia ſubiectorum illorum (vt dictum eſt) relictis.

c Excuſatio Autoris, cum ſermonis concluſione.

Cap: xliiij.

c Hæc proprietate vocis ſuperſubſtantiæ freti propoſuimus: non vt nouã opinionem inducere velimus, ſed ad explanandam aduerſarijs tranſubſtantiationis veritatem: vt ſecundum doctrinam Apoſtoli, d propheticam ſeu diuinæ ſcripturæ intelligentiam, omnes quidem, qui ad hoc præſertim vocati ſumus exercitemus, doctiores autem & magis illuminati, vt diſcernant, Eccleſia autem ſpiritu ſancto edocta confirmet vel reijciat.

d 1 Cor. 14. v. 31

e Recapitulatio breuis fidei & myſteriorum Euchariſtiæ.

e Iam autem longiùs quàm ſtatueramus euagati, Sermonem iſtum verbis B. Bernardi ſic tandem concludamus:

Bernardus Serm: cuiuſdam de cœna domini.

Apparatus menſæ iſtius, non hominis eſt, ſed fidei: non facinoris, ſed myſterij: non temporalis alimenti

alimenti, ſed æterni. Qui ſum auctor muneris, ipſe ſum teſtis veritatis. Altare cui aſsiſtis, quam pro te ſuſtinui, repræſentat crucem, & calix ſepulchrum, in quo mortuus quieui, patena lapidem ſuperpoſitum, corporale ſudarium, ſubſtratoria corporalis, linteamina quibus inuolutus fui. Hoſtiam quam vides, iam non eſt panis, ſed caro mea quæ pependit in cruce pro mundi vita. Sanè mutatio iſta benedictionis opus eſt, non originis. Virtus hoc facit, non vſus: effectus eſt potentiæ, non vſus naturæ: dignatio eſt, non ratio. Miſericordia eſt, non miſeria. Non commune, ſed ſolum: diuinum eſt, non humanum: pietatis ſacramentum, non deitatis detrimentum. Hîc pereat phyſicale nutrimentum. Cibus iſte non eſt ventris, ſed men-
„ tis. Non eſt enim datus ad ruinas huius vitæ, a quæ vapor eſt ad mo-
„ dicum parens, ſed ad æternam vitam animæ conferendam. Iſte eſt panis Angelorum, qui neſcit putreſcere: nõ vadit in ſeceſſum, ſed tẽ-
„ dit in excelſum. Illuc reducit hominẽ, vnde traxit imaginẽ. b Ca-
„ ro autem mea verè eſt cibus. Similiter liquor iſte quem vides, iam nõ eſt vinum, ſed ſanguis meus, quem pro te fudi in precium, tibi reſeruans in altari poculum, in peregrinatione tua præſidium, in exitu de Aegypto conductum, in cælo viaticũ. Et alibi: c Heu quanti Iudæ, qui panem Domini manducant, & dominum in operibus ſuis calce percutiunt. Quanti de altari viuunt, qui altari non ſeruiunt: immò Dominum altaris pro nihilo ducunt. Heu, quod magis dolendum eſt quanti ſacerdotes, ſed falſi ſacerdotes, qui panẽ Chriſti, corpus Chriſti ſumunt ore, & Chriſtum conculcant pede, putidi fœtore luxuriæ, infecti veneno nequitiæ. Iſti ſunt Iudæ Iſcarioth, qui niſi ſe in melius commutauerint, vtinam nati non eſſent. Sed tu ſerue Dei, Chriſti tene exemplum, & habebis promiſſum: fac quod viſsit, vt poſsis venire ad illam beatitudinem quã promiſit. &c. Et conſequẽter: Vos ergo fratres mei, diſcipuli Chriſti, cogitate quid Iſcarioth fecit, & videte ne conſimilia faciatis. Iudas contra Chriſtum leuauit calcaneũ: vos autem illi proſternite corpus & animam. Iudas ab illo receſsit: vos autem ſequimini illum. Iudas vendidit illum Iudæis: vos autem vendite quæ habetis, vt poſsitis comparare eum. Non ſolùm autem quæ habetis, ſed etiam voſmetipſos pro amore tantæ pulchritudinis margaritæ, pro nihilo reputetis, & illi ſoli placere quantum poteſtis contendite: vt ego & vos ad illius gaudia ſine fine mãſura, quæ ipſe eſt, valeamus peruenire, per eundem mũdi ſaluatorẽ, qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

a Iacobi 4. v. 14

b Ioan. 6. verſ. 55

c Abutentes Euchariſtia, Iudæ comparati. Idem Serm. 2. de Cœna Domini.

Ad Lectorem.

Ne opus adeo vtile amplius retardetur,(candide lector) reliquos Sermones de Eucharistiæ vsu,effectibus,eiusq; adoratione, in subsequenti tertia parte, sub titulo festi Corporis Christi, (Deo annuente) recipies.



INDEX LOCORVM S. SCRIPTVRÆ.

Litera S, Sermonem: Litera C, Caput, cũ suis numeris designant.

EX GENESI.

EX EXODO.

EX LEVITICO.

EX LEVITICO.

EX NVMERIS.

Numeri

EX DEVTERONOMIO.

Ex libris Iosue, Iudicum, & Ruth.

EX LIBRIS REGVM.

XXX Ibid:

EX LIBRIS PARALIPOMEN:
Eſdræ, Tobiæ, & Iudith.

EX LIBRO IOB.

EX PSALMIS.

EX PROVERB: SALOMONIS.

EX ECCLESIASTE, ET
Canticis Cantic:

EX LIBRO SAPIENTIAe.

EX ECCLESIASTICO.

EX ISAIA.

EX IEREMIA.

EX EZECHIELE.

EX DANIELE.

EX OSEA, IOELE, AMOS. & Iona.

EX MICHAEA, ET RELIQUIS.

Ex libris Machabæorum.

EX MATTHAEO.

EX MARCO,

EX LVCA.

EX IOANNE.

EX ACTIS APOSTOLORVM.

EX EPISTOLA AD ROMANOS.

EX EPISTOLA VTRAQVE AD Corinthios,

EX EPISTOLA AD GALATAS.

EX EPISTOLA AD EPHESIOS.

EX EPISTOLA AD PHILIPPENSES Colossenses, & Thessalonicenses.

Colos. 3

EX EPISTOLA AD TIMOTHEVM.

EX EPISTOLA AD TITVM.

EX EPISTOLA AD HEBRAEOS.

1 Petri

FINIS INDICIS.



INDEX VERBORVM, ET RERVM EXQVISITISSIMVS.

Litera S Sermonem: C autem caput, eiusdem Sermonis, notat,



Pastores

Eze-

Antequam opus legatur, vel recudatur: aberrata ſic reſtitue. Prior numerus Paginam: ſecundus lineam paginæ ſignat.

PAgina 6. à linea 9. ad 25. expungantur notæ ſcripturæ marginales. Similiter P. 9. à linea 11. ad 17. Item P. 13. à linea 1. ad 8. Pag: 14. linea 5. Auditores. P. 20. l. 16, coruſcat. P. 27. l. 20. adumbrat. Pag. 49. l. 37, releuat. P. 50. l. 17. Lucæ 17. Leuit:14. v. 2. P. 51. l. 1. Porrò quomodo. P. 52. l. 10, ſuſpſius ad iuſtificandum, quàm accuſatio. Ibid: l. 33. Iſaiæ 38, v. 15. P. 59. l. 13, tantùm non. P. 61. l. 11. ad tollenda ſcandala proximorum. Ibid: l. 33. per fratrem ſuum ex alia vxore Amon. P. 62. l. 23. Matth. 12. v. 33. P. 102. l. 8. munera & hoſtiæ offeruntur. Ibid: l. 9. perfectum facere ſeruientem. P. 111. l. 18. ſic exterius tabernaculum. P. 129. l. 34. claritatem fidei & feruorem. P. 134. l. 32. natura quidem. P. 139. l. 2. & quemadmodum. P. 165. l. 1. Galat. 4. v. 9. Ibid: l. 30. Clemens Conſt: Apoſt: lib: 7. Cap: 31. P. 174. l. 27. memoria. P: 182. l. 15. & illa quæ depromebat. Ibid: lin: 36: Poſt benedictionem non erat. Ibid: l. 38. hoc eſt corpus meum. Pag. 184. lin: 24. quam ſe. Ibid: l. 23. & Lucas ſcribunt. P. 185. l. 8. Panis & calicis benedictione. Ibid: l. 27. Agni iſtius verum Paſcha. P. 190. l. 30. vt vertit. Pag. 191 lin: 8. nomine ſaltem fateri. P. 206. l. 24. in præſenti Sermone primo. Ibid: l. 29 ſucceſſor promulgaſſet. Pag. 207. lin: 20. alis pedes tegentes. Pag. 211. linea 9. quòd ſicut Deus. Pag. 221. lin. 4. illos deuotione. Pag: 230. linea 8. Epiſcopus. Pag: 239. lin: 21. Ezech: 42. v. 14. Cap: 44. v. 17. Pag. 240. linea 5. Ezech: 44. v. 18. Ibidem lin: 38. vt cum exultatione recipiam. Pag. 241. lin: 30. qui ipſi coram Deo. Pag: 256. lin: 7. auiculæ illius. Pag: 259. l: 12. quamuis diſcommodari interdum. Pag: 260. lin: 12. certa formula. Pag: 262. lin: 26. Euangeliſtarum. Pag: 268. lin: 1. Sacerdotium nouæ legis. Pag: 271. lin: 1, ad relaxationem pœnæ. P. 284. lin: 9. hæreticos vtcunque. P. 286. lin: 27. vel deuotioni addictis. Pag: 290.

ERRATA.

Pag: 290. lin: 6. ſanctus innocens. Pag: 294. lin: 10. capite decimo ſexto. Ibid: lin: 22. aſsiſtendo ac iubilando. Pag: 306. lin: 11. in quo Nathanael diuinam. Pag: 307. lin: 29. tali inductione. Pag: 310. lin: 33. In reliquorum &c. ſerie. Pag: 312. lin: 5. ſicut. Ibid: lin: 15. initium, ſine qua tamen. Pag: 315. lin: 35. frequens eius mentio. Pag: 319. lin: 24. Hierem: 13. v. 23. Pag: 322. lin: 28. diſcolam. P. 328. lin: 8. veritas aſſerit. Pag: 329. lin: 12. 1. Cor: 4. v. 2. Pag: 335. lin: 34. qui precio. Pag: 364. lin: 8. ſtultitiam. Pag: 374. lin: 20. Senonnenſem. Pag: 401. l. 12 Ambroſius de dignitate. Ibid: lin: 33. Autor. Pag: 404. lin: 17. præcepto exprimuntur. Pag: 411. lin: 6. dicent. Pag: 415. lin: 15. præſignauit per ſubiectionem præeminentiam. Ibid: lin: 30. dominij affectationem. Pag: 436. lin. 29. Iſaiæ 28. v. 15. Pag: 437. lin: 16. Matth: 18. v. 17. Pag: 448. lin: 30. exitium experta eſt. Pag: 451. lin: 10. veluti fidei medullam. Ibidem: lin: 16. traduxerit. Ibid: lin: 19. apponendum exhorrent. Pag: 452. lin: 36. tria fundamenta. Pag: 454. linea 31. Pro tertio fundamento. Pag: 455. lin: 22. corpore humano. Ibid: lin: 32. ſpiritu. Pag: 456. lin: 32. ad refectionem. Pag: 457. lin: 37. ratiocinationem. Pag: 458 linea 8. vt in. Pag: 462. lin: 10. in perſona ſua. Ibid: lin: 22. in terra cum hominibus. Pag: 463. lin: 5. matrimonij fœdus ac indiſſolubilitatem. Pag: 464. lin: 2. quorum vtrumque in baptiſmo habemus. Ibid: lin: 37. ſuſcepiſſet. Pagina 465. lin: 14. per quos &c. piſcationis ſpiritualis officium. Pag: 466. lin: 32. veram carnem. Pag: 467. lin: 1. tertius terminus, Ibid: lin: 30. miniſtratum. Pag 468. lin: 4. prædeſtinationis. Pag: 469. lin: 37. oppreſſus. Ibidem, lin. 38. ſi excitandus. Pag. 474. lin. 6. quidem id oſtenderit. Pag. 475. lin. 37. reducere Pag. 478. lin. 21. fieri oporteat. Pag. 479. lin. 1. ſedula. Pagina 480. linea 38. Exodi 12. Pag. 484. lin. 39. Matth. 26. v. 28. Pag. 486. lin. 15. illud referre. Ibidem, lin. 25. quod tamen non figuram. Ibid. lin. 37. de filio Dei. Pag. 487. lin. 5. remittenda eſt ad illa. Pag. 489. lin. 10. mundatis. Pag. 497. lin. 5. Pſalmo 84. Pag. 506. lin. 21. in eadem. Pag. 513. lin. 33. manus impoſitione. Ibid: lin. 39. eſſes. Pag. 517. lin. 31. lanienam. Pag. 518. lin. 11. Prouerb. 9. Pag. 520 linea 18. quod corpus.

1. Tim: 2.

Regi ſeculorum immortali, & inuiſibili, ſoli Deo honor, & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Finis Indicis, ſecundæ partis.

